WIMBP
Opole

I

1335.

244/2/65/C

Electis & mala sunt bono.
Ex malis moribus bonæ leges natæ sunt.
Mundo corde regnum Dei possidebunt.

Malleductus qui gradit in homine.

ENARRATIO IN EVANGELION Iohannis,

PRAEFATIO, SVMMAM Disputationis & Reformationis Bern. complectens,

PER M. BVCERVM.

ARGENTORATI.
AN. M. D. XXVIII.

Simon Lyra Signabat

PRAECIPVI EX LOCIS
communibus in hac enarratione
tractatis.

De diuinitate Christi fol. 13.

Quæ populo Dei attulerit incarnatio Christi fol. 35.

Defensio pædobaptismi, & uerum populi ueteris & noui discrimen à fol. 39. usq; fol. 54.

De ueritate carnis Christi contra nouos Marcionitas fol. 77.

De typicis expositionibus scripturæ, ac certis allegoriis, uel anagogijs à fol. 79. usq; fol. 87.

De uera manducatione Christi à fol. 135. usq; 150.

De usu rerum præsentis uitæ fol. 191.

De uita æterna à fol. 394.

De descensu Christi ad inferos in fine historiæ supplicij Dominici.

Pruden-

PRVDENTIA

ET PIETATE ORNATISSIMIS MAgistratibus, studio Christi flagrantibus Ecclesiarum ministris, per ciuitatẽ & dtionem Bernatium, Martinus Bucerus incrementa precatur agnitionis Dei.

Simon Lyra Signator.

IAM egit uobiscum, & cum plæbibus uestris benigne & magnifice pater noster cælestis, uiri piëtissimi, adeo opulente in uos effudit spiritum suum, ut bonitati eius gratiæ agi pro uobis iure debeant à Christi studiosis uniuersis, sitq; ex officio omnium, quibus quanta uobis animæ aignationis lux affulsit, cognitũ est, id quantum possunt spargere, inuulgare & prædicare. Hinc cum bonam eorum partem, quæ in uobis præclare spiritus Dei præstitit, coram uiderim, & mei officij esse duxi, dare operam, ut uel aliquatenus fratribus ea innotescant. Nam pro dignitate illa prædicare, Paulini, non mei spiritus fuerit. Quantulumcunq; tamẽ erit quod potero, scio ingentem eo gratiam à sanctis, qui hæc legerint, me initurum. Cum enim ardentiß. illi uotis continuo orẽt

sanctificari ubiq; nomen patris cælestis, & obtinere passim regnũ Christi, per paucos tamen uidẽt tã inter Ecclesiarum ministros, quàm principes & magistratus, qui Euangelion regni, non pro uiribus oppugnent, paucissimos, qui munus suum digne obeant, quare cum legent utrosq; uos, tam uerbi, quàm gladij ministros, ita gloriæ illustrandæ Christi esse studiosos, ut unà cũ plebibus uestris, totos uos ipsius spiritui cõmiseritis, & semel in tam lata ditione omnem superstitionẽ atq; idololatriam eliminaueritis, dici non potest, quantum hinc in Domino gaudebunt, quantumq; cum ad agendas illi gratias, tum ad æmulandum tam præclarum exemplum, extimulabuntur. Sciant hi ergo pridem uobis Euangelion suum, seruatorem nostrum donasse, sed tantis conatibus, ut solet, & artibus, semper principem tenebrarum illi restitisse, ut diu admodum apud multos in dubio fuerit, utri essetis totiq; cessuri. Sed uicit tandem Satanã Christus, cessitq; ira gratiæ. Quoq; maiore gloria, de hoste suo apud uos Dominus triumpharet, indicta est publica de religione Disputatio, non ut ea primum disceretis quæ sequeremini, sed ut palàm omnibus fieret, quàm certa & inuicta essent, quæ sequi iam cœperatis, indeq; & Satanæ satellites confunderentur, & infirmiores apud uos corroborarentur. Quemadmodum olim Antiocheni, cum pertinacioribus Iudæis quibusdam, Pauli & Barnabæ authoritas satis nõ esset, miserunt consultum Apostolos primores, non sane ut ab illis ueritatem primum discerent, quã ex uerbo Dei iam tenebãt, sed ut Iudæi illi Apostolorũ testimonio cõpescerentur, & qui erant infirmiores, erigerentur. Hinc disputationi initio Satan, ut sæpe ei Dominus, quamlibet uersipelli imponere solet, nõ parum fauebat, sperans per suos, si nihil aliud, saltem Euangelico cursui, remoram se iniecturum. Vbi autem sensit, in eo consilio præsentius se se exerere numen Christi, facile coniecit, secus atq; cogitarat, euenturum. Omnia igitur in diuersum uertit, & primum auertere Disputationem summa ui conatus est. Hinc ilico habentur comitia à Confœdustis, captantur uaria consilia, scribuntur ad uos literæ, quibus acriores ab Heluctijs non legistis, & inuulgantur: negatur tutum uter præconibus Christi, scribunt Episcopi & ab incepto uos modis omnibus dehortantur, neq; desunt minæ. Scribunt et Episcopis formidabiliores. Et ne quid à parte Magistrorum nostrorum cessaretur interim & Cochlea, quamlibet tardum animal, adrepsit. Cum uero hac uia nõ succederet, confortante uos spiritu Domini, alia rem aggressus est, quumq; auertere Disputationem nõ posset reddere ingloriã enixe laborauit. Hac caussa eundẽ omnibus suis celebrioribus satrapis ac ducibus animum dedit, ut infandum factinus clamarent, uos ausos de religione disputare, & summum esse piaculum uoce & literis testarentur, si quisquam hanc disputationem adiret, nihil memores, quam paulo ante ipsi magna caterua, & maiore pompa, ad disputationem uenissent Badensem, ubi uictores habendos se, priusquã nõ dico uicissent, sed pugnasset, reuersciebãt tam.

Vt Euangelio Bernæ Satan restitit.

Act. 15.

Conatus Satanæ ut disputationem redderet deser-

sciebant. Episcopum quoq; quem facturum maiorem iacturam timebat, equo deiecit, quo læso crure, ad sua eum negotia reduceret, tum impetrauit illi edictum, idq; ab eo Ioue, à quo non multa antea ille accœperat, ut & doctos suos colore aliquo, à disputatione reuocaret. Spes siquidem ei erat, si nulli ex triarijs suis deuincerentur, nullius fore nominis uictoriam Christi. Vt autem id apud suos, quibus nihil nõ offendiculo est, obtinuerit, utique filij DEI, quos ille hactenus in suis castris detinuit, de quibus Dominus noster tantum sollicitus est, aliud cogitabunt, nempe nihil penitus in scripturis præsidij habere, omnes Euangelij nostri hostes, eoq; indubitato mendacia sectari, quando ad tam libera comitia, sed in quibus scripturis agendum fuit, uenire non fuerint ausi. Eo certe nos & Euangelion Christi odio insectantur, ut si uictoriæ aliquid sperare potuissent, nulla eos impedimenta detinuissent, quo minus cominus nobiscum decertassent. Ne quicquam igitur tentante omnia Satana, cœpta sancta disputatio est eo die, in quem indicta erat. Quanquam aũt ab hoste ueritatis nihil præteritum sit, quo deserta hæc comitia redderet, aderat tamen ingens numerus omne genus hominum, multi docti & pij, quicquid nebulo ille scribat, qui plenam mendacijs Epistolam, de hac disputatione nuper inuulgauit, tam grauis testis, ut adscribere nomen suum non sit ausus. Ordinatis igitur præsidibus uiris doctiß. iuxta ac grauißimis, quorum partes erant, leges

leges disputationis tueri, ut ex scripturis tantum, & ut par erat grauiter atque religiose ab omnibus disputaretur, constitutis item quatuor iuratis notarijs, qui singula ultro citroq; dicta summa fide exciperent, primum axioma, quod inter cætera CHRISTVM unicum esse Ecclesiæ caput adserit, Bechtoldus Hallerus uir pie doctus simul & prudens, quo ministro Euangelion Bernæ feliciter plantatum est, diuq; rigatum, scripturis communitum, aduersarijs per scripturas si possent, impugnandum exposuit. Prodijt ergo tandem, cum ab omnibus ferè illi, ut nihil uerius est, aßensum eßet, Alexius Grad Dominicalis, tum Nonnarum illic à confeßionibus, & quicquid uspiam scripturæ de dignitate, uel Petri, uel Apostolorum habent, in hoc produxit, ut probaret, & pontificem Ro. caput Ecclesiæ habendum. Quàm uero dextre hæc & fortiter, uel hinc licet lector conijcias. Cephas dicebat se in uocabularijs legiße, caput significare, igitur Petrum caput fuisse Ecclesiæ, quem Cephas Dominus cognominasset. Non uiderat enim quod ipse Euãgelista, id petrã significare testatus est. Eandem post hunc, cantionem cecinerunt parochus Cellæ Abbatis admodũ uocalis, et cedere uero nescius, ac alij quidam. Sed dum scriptura aperte adeo summos etiam in Ecclesia, & nominatim Cepham, nostros eße adfirmat, nos uero CHRISTI, non illorum, plantantem quoq; & rigantem nihil eße, facile tueri fuit, unum Christum

Bechtoldus Hallerus Ecclesiastes Bernus.

1. Cor. 3.

Ecclesiæ suæ caput esse, à quo solo regeneratur & gubernatur, nulla creatura quicquam potestatis in animos sanctorum, quæ sola uere spiritualis dicitur, habente. Dum uero ista tractantur, aduenit Tregarius Prouincialis Augustinianorum, uetus noster antagonista, neque excitus conuitijs, ut nugiuendus ille cuius memini, in Epistola sua uanissima sparsit. Nam cum V. Capito & ego, pridie quàm disputari cœptum esset, à clariss. Bernatium senatu orassemus, ut denuo ipse & Murnerus uocarentur, miserunt illi continuo, quod nihil prius haberent, quã disputationi suæ accersere quoslibet nominatissimos prædicati sibi Euangelij hostes, nuncium ad Senatum Friburgen. & Lucernanũ, secũdo euocatũ illos, quibus præter summam securitatem, etiam sumptus, promiserunt, si forte eos caussarentur. Nos uero ipsis scripsimus, modisq; omnibus ut aduenirent flagitauimus. Lucernanus Senatus rescripsit, Murnerum quidem paratum fuisse ut ueniret, sed se prohibuisse eum, idem respondit Murnerus nobis. Tregarius autem aduenit, tandemq; prodiens præfatus fuit, se neq; Episcopi neque magistratus sui nomine, sed suo disputaturum, uelleq; ut quicquid disputaret, catholicæ Ecclesiæ suæ nequaquam fraudi esset. Quæ uero disputando adduxit, omnia huc torsit, ut persuaderet non esse Bernatium quicquam de religione, & dogmatis ab Ecclesia receptis statuere, sed Conciliorum responsa ipsis & omnibus expectanda. Id autem ne-

Tregarij Conatus.

tem nequaquam scripturis, ut acta testantur, sed ex eo conatus fuit probare, quod Boemi in multas essent sectas sciβi, & quod nobis in quibusdam cum Luthero non conueniret. Hæc hominis commenta, & antea nota nobis facile fuit reijcere, cum satis pijs constet, iustum sua, non conciliorum & pontificum fide uiuere, eoq; oportere non solum singulas Ecclesias, sed singulos quoq; homines per se scire quæ Deus iubeat, quæq; promittat, præsertim ut uel hoc cognoscant, à Christo sibi omnia expectanda, omneq; pietatis studium in dilectione proximi consummendum. Iam cũ his ex diametro pugnant, dogmata & institutа Romanensium uniuersa, idq; tam aperte ut uel puero liqueat, sacras tantũ literas legenti. Quare nulla est ratio, in his consulta expectare Cõciliorũ, quæ tam raro coeunt, & eiusmodi iam aliquot sæculis coierunt, ut minus insanum sit è pumice aquam, quàm ab illis doctrinam petere pietatis. Paβim extant scripturæ, neque desunt qui eas fideliter populis proponant, reliquum ut fide percipiantur, non modo Conciliorum, sed nulluus omnino creaturæ est. Solus siquidem pater per CHRISTVM spiritum donat, qui in omnem ueritatem inducit, & donat ijs, quos ad id ante conditum mundum delegit, non qui audierint Concilia. Si interim scripturas, non ad eundem modum, omnes in omnibus accipiant, in caussa est, quod non pariter omnibus spiritus donatur, quod multi etiã hypocritæ filijs Dei semper admixti sunt, quod deniq;

Habac. 2.

soli Christo suo hunc honorem pater dedit, ut sit infallibilis sanctorum magister, alios quamlibet sanctos & doctos oportet, ut se esse homines alicubi prodant, quo electi discant ab uno Christo in omnibus pendere. Denique ubi filij Dei sunt, ubi regnum CHRISTI, ibi ut omnia turbet Satanas unice laborat, quos iam in sua potestate habet, quid de ijs esset sollicitus? Ad hæc uisum est patri cælesti suos per sectas probare. Proinde, tam non euincit apud pontificios esse ueritatem, apud nos uero errores, quod illis multis, in dogmatis conuenit, apud nos paucos uarietur, & cooriantur scismata, quã non probat ueritatem habere Machometanos, & Apostolos sectatos fuisse mendacia, quod illi multo plures quã pontificij, in Alcorano multis iam seculis consentiunt, hi autem tam raris Ecclesijs eandẽ de cerimonijs Mosaicis, sententiam non potuerunt approbare. Euangelion thesaurus est uitæ æternæ, pauci electi quibus ille donetur, hos ergo paucos ut turbet Satan totis uiribus laborat. Reliquæ multitudini non est curæ religio, fucum tantũ uolunt, qualiscunque igitur eis obtigerit, in eo facile consentiunt. Contra hæc cum nihil posset scripturis Tregarius, & lex disputationis non permitteret alia ingerere, quia ad inquirendum quid doceret scriptura Dei, non quid commenta hominũ, instituta erat disputatio, iactabat non satis sibi esse ad disputandum libertatis, esseq; uenenum præsentissimum uel le scripturis tantum scripturas explicare, quasi uero id non in omnium scripturarum explicatione obseruetur, & ipse

et ipse laturus esset, si qd in suo Mari magno aut alia quapiã Bulla, uellem meo arbitratu interpretari, quod nõ ex ipsius Bullæ uerbis possem euincere? Quæ igitur impudentia, postulare ut in scripturis Dei, alia quã ex ipsis scripturæ uerbis petita interpretatio admittatur, cum quæ Dei sunt, nemo noscat nisi spiritus Dei? Sed quia quærebatur occasio, è pugna dilabendi, neq; præsides disputationis neq; clarissimus senatus hominem exorare potuerunt, ut ex scripturis disputaret. V. Capito & ego, à præsidibus obnixe orauimus, ut permitteretur ei obijcere quiduis, nos tantum responsuros ad ea, quæ è scripturis uisus fuisset contra nos iaculari, sed obstabat lex disputationis, et Senatus uidens quæri ansam extrahendi tempus, id permittere nolebat. Tum orauimus ipsum Tregarium multis, & duos ex præsidibus intercessores adhibuimus, ut si nostra alijs quàm ex scriptura ductis rationibus se confutaturũ speraret, quanquam ex scriptura, docente quicquid bonũ & ucrũ est, abunde posset confutari quicquid malũ & falsum est, ut illas conscriberet, nos daturos operam, ut exeuderentur, tantum in præsens uellet axiomata proposita, ex scripturis, si posset, oppugnare. Nam in primis duobus axiomatis cõtinebatur, qcquid cõtra eũ nos habebamus, nẽpe de authoritate Ecclesiæ et Cõciliorũ. Sed cum scripturis ualeret, quantũ sua paradoxa, et quæ disputata ab ipso acta referẽt, testãtur, frustra hominẽ orauimus, quo satis testatus est, id se nõ potuisse, eoq; nostra uera, et iuxta scripturas

Quid oratum à Tregario.

pturās esse. Quicqd glorietur, uel ipse, uel alij, & qđ mentiatur, ille cuius memini ἀνώνυμος scriptor Epistolæ. Post hæc ergo propositũ Secundũ axioma fuit, continẽs Ecclesiam nulla dare præcepta, quæ nõ ex uerbo Dei manent. Contra hoc, cum ijs quos nominauimus, quidam cognomẽto Litera ludimagister Zofingen. impudentior nescias an indoctior, utrumq; certe insignite, quanquam aliâs homo apparet minime malus: & Aegidius quidam sacrificus, ad contentionem natus, & alij nonnulli, quæcunque scripturæ memorant de traditionibus Apostolorum, de ieiunijs, precibus, cælibatu, & id genus, fortiter obiecerunt, sed quia ex ijs omnibus non potuerunt probare, ius unquam hominibus factum, ut hæc ad certa loca, tempora, & personas adstringerent, tum ex ijs institutis conscientiam ligarent, concedereq; coacti fuerunt, esse doctrinam Dæmoniorum, cibis aliquibus interdicere, à connubio arcere, Axioma nihil mouerunt. Et nos enim ieiunandũ esse, precandũ, & caste uiuendũ docemus, sed quia spiritum dare, sine quo nihil horum recte fit, nemo nisi CHRISTVS potest, non possunt de ijs alia quàm ipsa scriptura habet, ab Ecclesia quidem Christi, præcepta dari, uiuit enim illa & agit omnia, spiritu sponsi sui. Ad eum modum, & contra tertium, quod omnem peccatorum expiationem, totumq; salutis meritum Christo uni tribuit, ijdem produxerunt, quicquid scriptũ est de bonis operibus, et promissa illis mercede, sed dũ euincere nequiuerunt, aliquid huius à nobis esse, sed fateri eos

Tertium axioma.

teri eos oportuit, omnia esse opera spiritus Dei in nobis, nobis gratuito donati, neq; hoc ab eis Axioma labefactari potuerit. Quartum, quod negat posse scripturis probari, in pane Eucharistiæ esse realiter corpus CHRISTI, oppugnarunt saniores, qui cætera nobiscum faciunt. Protulerunt autem primum id Dominum promisisse, cum dixit, Panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi uita, cum autem ostenderetur eo loci Christum de eo pane loqui, quem qui edit habet uitam æternam, non de pane Eucharistiæ, quem multi edunt, qui in æternum uitæ Dei expertes sunt, obiecerunt uulgatum illud: Hoc est corpus meum, sed dum ipsi quoque faterentur, panem non idem fieri, quod corpus Domini, eoq; non simpliciter, sed tropicôs hæc uerba accipienda, ut intelligas in pane corpus Christi esse, nec tamen hunc suum tropum possent scripturis euincere, non enim dixit Dominus, in hoc, sed hoc est corpus meum, relicto nobis hoc loco, adduxerunt illud, Panis quem frangimus, nunquid communicatio corporis Christi est, & eo ualde fidebant, sed cum responsum fuit fide & cultu constare κοινωνίαν, id est, societatem corporis & sanguinis Domini, sicut κοινωνούς Dæmoniorum Paulus ibidem uocat, qui in cultu aderant idolorum, uescentes idolothytis, in quibus tamen non erant Dæmones corporaliter, nihil habuerunt, quod obijcerent contra. Ipsi κοινωνίαν uertebant distributionem, eo q; Paulus alicubi hoc nomine uocat, societatem quam sancti ineebant, contribuendo, quod egẽtibus mitteretur Ierusalem, sed sa-

Quartum axioma.

Iohan. 6.

1. Cor. 10.

Quintum axioma.

sed satis constat id ne in his quidē locis, pro distributione accipi. Hæc potißima eorum tela erant, sed quibus axiomatis nostri ueritatem nihil cōmouerunt. Multo imbecillius pugnatū est contra Axio. quintū, quod missam negat esse sacrificium & affirmat esse blasphemiam, quia aperte adeo illa cum omni scriptura pugnat, ut nullus queat illi prætextus excogitari. Nihilo fœlicius & reliqua impugnata sunt, quæ prioribus scilicet nituntur. Id legēt & agnoscent exactis, quicunq; possunt cognoscere uerum. Neq; morabuntur, quod modo quidam Euangelij hostes iactāt, facile nobis fuisse uincere antagonistas tā inermes. Primum illi nihil minus quàm inermes se agnoscunt. Deinde si inermes fuerunt, stupa, non arma erunt quicquid primi illi θεόμαχοι Eccius, Faber, Roffensis & huius monetæ alij, hactenus contra nos scripserunt, nam nihil eorum, quæ isti contra nos Baden, & aliās hactenus produxerunt, illi prætericrunt. Ad hæc satis fortiter, hoc est, clamose & impudenter, horum tela torserunt, plerić; enim Eccium Baden audierant. Postremo cur non uenerunt armatiores? In tempore Eccius & alij, etiam ij, qui circa Eucharistiā dissentiunt, ad hanc disputationē uocati sunt. Sed quid facerent in luce sutores mendaciorum? Vbi scripturis, & non ui res agitur, sciunt isti nihil sibi uictoriæ sperandum. Id sic, gratia Christo agnouit Ecclesia, et Magistratus Bernen. ut mox postridie quàm finita esset disputatio, id quod factum est XXVI. Ianuarij, cum incœpta fuisset VI. eius mensis, unanimi Senatus consulto,

à Senatu

à Senatu & diacosijs, quos maiorem Senatum uocant, decretum sit, omnes Missas, aras, statuas, & quicquid superstitionis contra uerbum Dei inuectum est, simul tollerentur in urbe Bernen. et tota eorum, quæ admodum ampla est, ditione, ubi modo Ecclesiæ uerbo edoctæ essent, ita placere Deo. Iam interea certiores facti sumus, tā sanctæ reformationi, propè omnes consensisse. O ampliß. in uos Bernates, & nunquā satis prædicandam Dei bonitatē. O nimis rarum non nostris solum sæculis exemplum. Nam & apud Iudæos, soli Chizkijah & Ioschijah penitus abominationes omnes sustulerunt. Ingentes profecto gratias optimo patri nostro agere pro uobis debent, quicunq; nomen eius serio orant sanctificari, & dare operam ut tam præclarum & imitabile exemplum, pluribus commendetur, fundere deniq; preces ad Deum ardentes, ut quod tā magnifice in uobis cœpit, magnificētius perducat, quo in gloriam ipsius plurimos exemplo uestro, ad similia prouocetis. Equidem ut testarer, quanti mihi sit, uiri fratres obseruantißimi, uestra ad Deum tam plena conuersio, nuncupare uobis decreui, quam hisce diebus in Euangelion Iohannis, Enarrationem scripsi, sperans nō omnino absq; fructu legendam, à plerisq; Ecclesiarum uestrarum ministris, qui in scripturis nondū adeo sunt exerciti. Non quod mea, hæc, cupiam præferri, ijs quæ tam ueteres, præcipue Chrysostomus & Augustinus, quàm recentes quidam, præcipue Erasmus Roteroda. & Philippus Melanchthon, in hūc Euangelistā præclare scripserunt, sed quod

fortasse

fortasse & in his insunt, quæ in præsenti tempestate, frugem aliquam lecta rudioribus adferant. Dedi nanq; operam omnia Euangelistæ, suo ordine, quàm syncerissime enarrare, non tantũ in quædam annotare, & contra eos, quos modo Satan mittit errores, quàm diligentissime fratres munire, iudicium sit penes sanctos. Quod parum emendata multa sunt, festinatio in caussa fuit, nam quod apud uos insumpsi tempus, id nõ accelerando, sed planè præcipitãdo opus compensandum fuit. Cœptũ enim erat, cum uestra sancta comitia adirẽ. Boni igitur qcqd hoc est officioli, uiri cordatiss. cõsulite, et in adserenda gloria Christi, Dei nostri, strenue pergite. Argentorati. XV. Calend. Aprilis, Anno nati Seruatoris M.D.XXVIII.

ENARRATIO M. BVCERI IN EVANgelion, secundum Iohannem.

Cap. I.

VId Euãgelion secundũ scripturas proprie significet, fusius & communitus in Enarratione Matthæi diximus. Igitur satis sit monuisse, esse publicã pridem adeo ac multotues promissæ, electisq; diu ac multum expectatæ, demum uero per Christum Iesum partæ, & exhibitæ salutis renuntiationem atq; prædicationem. Promißiones diuini fauoris et multiplicium beneficiorum, quas scripturæ, ἐπαγγελίας, non εὐαγγέλια uocãt, ut nonnihil in se Euangelij, quandoquidem benignitatem Dei renunciant, continent, ita Euangelia non nisi καταχρησικῶς, dici possunt, ijs præsertim qui scripturarum nomenclaturam sequi uolunt. Eæ nanq; Euangelij nomen, tam apud Prophetas, quàm Apostolos, præconio regni Christi, quod

Quid Euangelion.

ἐπαγγελίαι καὶ εὐαγγέλια differunt.

sti, quod patribus quidem promissum, & per prophetas prædictũ fuit, sed per Apostolos demũ in orbe sonuit, uulgarique cœpit, peculiariter tribuunt. Ebraice dicitur בשורת Reliqua de his in Matthæo.

Iohannes igitur, qui historia hac, quam enarrandam suscepimus, unum id agit, ut hoc ipsum Christi regis & seruatoris nostri præconium explicet, & quantam ille suis salutem, uitam & felicitatem, homo factus, pro nostris peccatis mortuus, & in immortalem ac beatam uitam à mortuis reuocatus, parauerit, orbi renuncict & exponat, apposite hãc historiam Euangelion uocauit. Quæ sanè Euangelij titulo tanto, quàm reliquorum Euangelistarum historiæ dignior habetur, quanto ea luculentius & plenius, quod diu & anxie sancti desiderarunt expectarunt q; Christi regnum, adnunciat & inuulgat. Siquidem diuinitatem Domini, redemptionis q; mysteriũ, multo tum diligentius, tum explanatius, quàm Euangelistæ reliqui exponit & deprædicat, narratione nimirum, & altius petita, & plura, quæ uim ac naturam regni Christi exprimant, commemorante, ut profecto digna sit, quæ ad uerbum à Christianis ediscereturr.

Iohannis historia Euangelij nomine præ alijs digna.

In quo hæc historia εὐαγγελικωτέρα.

Hoc futurũ prospiciens Dominus, hunc Euange-filiũ tonitruicum fratre appellauit, id est, ut Marcus habet, Βοανεργές, sed uoce nonnihil immutata. Nam Chaldaice בניא רגש, Bnaia regesch, Ebrai· בני רגש, id est, Bne regesch dicendum erat. Immutantur enim Ebræa nomina, dum à græcis & latinis usurpantur plera q; omnia.

Cæterum

Cæterũ iusta causa Dominus, filijs Zebedæi, uel ob unũ Iohannem, hoc cognomenti indidit, qui ueri Iouis tonitru, Verbum, quo uniuersa mundi machina, ut condita est & gubernatur, ita instauratur ac renouatur, tam clare ac magnifice in orbe sonuit, ut nemo unquam uel clarius uel magnificentius. Vnde & eius ratio apparet, quod se à Domino peculiariter dilectum gloriatur. Vere enim peculiaris atq; eximiæ dilectionis erat, quod Christus se illi familiariter adeo insinuauit, cognoscendum q; tam sublimiter, & prædicandum tam luculenter donauit. Istud enim certum dilectionis suæ esse argumentum, ipse pronunciauit, cum apud hunc nostrum Euangelist. infra capite 15. ait: Vos dixi amicos, quia quæcunque audiui à patre meo, nota feci uobis. Non uos me elegistis, sed ego elegi uos, & cõstitui uos, ut eatis & fructum afferatis &c. Plura de laudibus huius Euangelist. non uidetur hic esse memorandi locus, quo de laudibus agitur Christi. Neq; potest ille prædicari ab homine cumulatius, quàm eum hæc ipsius prædicet historia, cælesti sapientia, ut nullus alius liber, fœcunda. Nam quæ præter ista, uel Ecclesiastica historia uel authores alij de eo narrant, quoniam ea inter se non consentiunt, incertiora sunt, quàm ut hic loci de ijs uerba faciamus.

Iohannes filius tonitrui.

Cur dilectus discipulus.

Causam autem cur Iohannes Euangelion scripserit, fuisse existimo, ut diuinitatem Christi, tam tum à Carpocrate, Corintho (Cerinthum alij uocant) & Ebione hæreticis labefactari cœptam, plenius adserceret, & indicatã

Quæ fuerit scribendæ huius historiæ causa.

ab alijs Euangelist. magis, quàm prædicatam, clarius Ecclesijs exponeret. Nam quod quidam scriptum reliquerunt, Iohannem, ut adijceret, quæ Dominus primo prædicationis suæ tempore antequam Iohannes Baptista esset in uincula conjectus, gesßit, hanc historiam composuisse, infirmius mihi uidetur, quàm ut ipsum ausim affirmare. Non enim quicquam huius generis, præter unum nuptiarum miraculum ostendi potest, de quo constet, ante Baptistæ uincula esse factum. Deinde non tantum παραλελειπομένα, hoc est, ab alijs relicta Iohannes conscripsit, quandoquidem non pauca, & memorata alijs, ipse quoq; narret, quanquam illa sic fere, ut occasionem ex eis sibi sumat narrandi sermones DOMINI & dialogismos, cælesti doctrina fœcundiores. Id quod in sexto capite satis liquet, ubi memorato ut ex quinq; hordeaceis panibus, Dominus quinq; hominum millia pauerit, quod factum et apud alios Euangelistas legitur, continuo diuinum illum, de cibo cælesti sermonem eius, miraculi occasione habitũ, subtexit. Idem & narrata sanatione eius, qui triginta & octo annos ad probaticam piscinam iacuerat, obseruauit. Subiunxit enim præclaram admodũ, quam de diuinitate sua Dominus & cum patre æqua uirtute, eius facti occasione, orationem ad Iudæos habuit. Sic & resuscitati Lazari historiam magis adeo retulisse uidetur, ut saluberrimam Domini, de fide et resurrectione doctrinam, quæ in responsis eius ad Lazari sorores legitur, quàm ut miraculum memoraret. Quinq; enim duntaxat ex ijs quæ Dominus in

nus in mortali corpore miracula fecit, tota historia sua narrat, in recensendis autẽ Domini sermonibus, & eius modi quidẽ, qui diuinitatẽ eius luculentißime testantur, reparationisq; nostræ arcanũ, demum et germanæ pietatis rationem apertißime explicant, nihil non abunde et copiose exponit.

Quinque tantum signa Domini ante resurrectionẽ facta Iohan. narrat.

Proinde uero simile mihi quidem est Iohannem multo grauiore consilio, quàm ut præterita ab alijs gesta Domini sublegeret, quorum in totum pauca adeo cõmemorat, Euangelion hoc suum conscripsisse, nimirum, ut sicut dixi, periclitantem iam tum fidem seruatoris hoc suo scripto suffulciret, mysterio Christi paulò clarius quàm ab alijs factũ, expositò. Cœperat siquidẽ iam tũ fides in Dominũ nostrum Iesum Christũ, per eos, quos Iohannes in Epistola sua Antichristos uocat, h audquaquam leuiter oppugnari, alijs eum filium eße Dei negantibus, ut Cerintho, & Ebione, alijs blasphemantibus eum, non uere in carnem uenisse, quam blasphemiã postea & Marcion Ponticus, prosecutus est, nam quotiescunq; ueritas in orbe lucet, pater mendacij innumera ilico contra eam errorum figmenta excitat. Hinc ergo sanctum Dei Apostolum compulsum ad scribendum arbitror, ut prædicati à se Euangelij monumentum Ecclesijs relinqueret, quo freti electi, in fidei synceritate persistere, & ab irruentibus omne genus erroribus animos suos seruare poßent, quare ea quoque potißimum commemorauit, quæ quid Christus sit & poßit, quid esse denicq; nobis uelit clarißime exponunt.

Hæc nanque qui recte tenuerit, ut uitam tenet æternam, ita contra quamlibet tentationem abunde communitus fuerit.

Quis scopus et status huius historiæ.

Hic ergo status et scopus in hac sacra historia est, Dominum nostrum Iesum, non hominem tantum, quanquam & hominem causſa tollẽdi nostra peccata, sed et Deũ esſe ac saluatorem omniũ in se credentiũ, hoc est, eorum quos illi pater ab æterno in hanc sortem destinatos donauit, quorum peccata ut morte sua expiauit, ita spiritu suo sit penitus repurgaturus, donec diuinitatis, per omnia iusti & beati, plene participes euadant, quos interim suo spiritu, ad hoc præcipue agit, ut bonitatem DEI in mundo deprædicent, cámque beneficijs in proximos exprimere studeant, pro quibus saluberrimis officijs, à mundo odio haberi eos, & persecutionem sustinere oportet, in quibus ipse eos tamen seruat superioréſque reddit, dum ereptos ex hac uita, ad se transferat in mansiones cælestes. Natos autẽ esſe ex Diabolo quosdam, id est, à Deo reiectos, eos CHRISTI uerbum audire non posſe, quibus ille in iudicium scandalum & ruinam uenerit.

Cum uero in modum historiæ hæc de Christo narrare Euange. instituerit, non est quærenda propositio, quam postea argumentis probet. Propositio hæc est, Euangelion IESV CHRISTI, id est, præconium, quo eius ortus, uita & uirtutes explicantur. Citra procemium historiam

Quæ propositio.

historiam orditur, quia solis electis Christi ouibus, quæ pastoris sui uocem, per spiritum satis agnoscunt, testificari de suo pastore uoluit, id quod præcipuum erat Apostolorum officium, iuxta illud: Eritis mihi testes Hierosolymis, in Iudæa &c. Acto. primo. Item in hoc Euangelio decimo quinto: Quia & uos testes estis. Hoc igitur simplicius Apostoli de Domino nostro testimonium cum sermone, tũ scripto, tulerunt, quo de uirtute spiritus cooperantis, et testimoniũ ipsorũ in electorũ cordibus cõfirmantis & obsignantis, erant certiores. Sentiebant siquidẽ et experiebantur, se idoneos, ut ministri essent noui testamenti, nõ literæ sed spiritus, diuinitus factos, plantationi eorum & rigationi DOMINO incrementum ubique adijciente, ne inanis & mortua doctrina, qualem literæ continent, sermo eorum esſet. Hac itaq; spe freti ut libere & confidenter, ita simpliciter & citra artificium rationis, Euangelion & annunciarunt, & scripserunt. Quare nemo hic aliud, quàm simplex & apertum, sed diuinum & certum de Domino nostro IESV CHRISTO testimonium expectet, id qui spirituales fuerint, quósque uocare DOMINVS dignatus fuerit, agnoscent, qui spiritu uacent, quod uel reprobi sint, uel nondum tempus à patre definitum quo uocentur, appetierit, ijs ut animalibus hominibus, nullis etiam, quamlibet artificioſe adductis, tam scripturis, quàm rationibus, hoc cæleſte testimonium persuaſeris. Quibus igitur mens DOMINI consti-

Cur Euangelista citra procemiũ et simpliciter narret.

Simplex sermo uerbi dei sufficit. 1. Cor. 2.

tigit, cælestem hunc præconem, & testem, pronis animis exaudiamus, renunciantem & testantem, quibus uita constat beata & æterna.

In principio erat uerbum.

PARAPHRASIS.

Sect. 1.

DE Domino nostro Iesu Christo narraturus & testificaturus, primum omnium affirmo, non nuper eum è Ioseph, quod impij quidam impie dicunt ortum, quamquam uerus sit è Maria uirgine homo natus, sed initio, antequam quicquam esset, ille uerbum, uirtus, & gloria DEI erat, & apud DEVM erat, ne quis quærat ubi fuerit, cum nihil dum esset præter Deum, quin Deus ipse, erat hoc uerbum, ne quis existimet nos duos deos facere. Verbum nanque sapientia & uirtus omnium effectrix, nullum substantiæ à DEO discrimen habet. VERBVM. Vt iterum ergo dicam, uerbum, quod in carne nobiscum conuersatum est, & morte sua electos redemit. Dominus noster IESVS CHRISTVS, quem prædicamus, nequaquam nuper cœpit, & si homo esse cœperit, sed initio ante omnia fuit, & apud DEVM fuit, nihil enim dum in quo apparuisset, præter Deum, qui substantia idem uerbum est, erat.

Annotationes.

ANNOTATIONES. Quo diuinitatem Domini IESV Iohannes exprimeret, & in Epistola sua, uerbum uitæ, quod ab initio fuit, eum uocauit. Verbo scriptura testatur Deum omnia condidisse & gubernare, quo nimirum immensam eius potentiam nobis cõmendat, quandoquidem eorum duntaxat, qui summa potestate pollent, sit, uerbo quæ uolunt efficere. Deus autem, non paucula aliqua & incerta, ut quamlibet summi reges, sed cuncta & de nihilo, uerbo suo creauit, & eodem seruat, agit, immutat, instaurat, perficit, hoc est, omnia, ut Apostolus ad Ephes. 1. scribit, in omnibus implet. Iam Dominus noster IESVS Christus, is est, per quem creata sunt omnia, quæ in cælis sunt & quæ in terra, uisibilia, & inuisibilia, siue Throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per illum & in illum creata sunt, & ipse est ante omnia, & omnia per illũ consistunt &c. Hæc Paul. Colloss. 1.

1. Mosch. 1. Cur Christus uerbũ appellectur.

Epistola ad Hcb. item testatur, condita esse per eũ sæcula, hinc & splendorem gloriæ Dei, & expressam imaginem, id est, χαρακτῆρα, substantiæ illius, qui moderatur omnia uerbo potentiæ suæ, id est, sua uirtute, eũ appellat. Etenim dum uerbo hoc suo Deus, sua ineffabili uirtute, omnia condidit, pulcherrimoq; indito rebus ordine, sapientissime iuxta administrat, cœpit gloria bonitatis Dei relucere & imago Dei apparere, in sola autem illa inestimabili uirtute, & uerbo, quo sese prodidit, tam mirabiliter fabrefacto mundo, perfecta.

Splendor gloriæ & imago Dei.

Primogenitus omnis creaturæ.

Paulus ad Colloß. ex eo quod omnia per Christum facta sunt, et reguntur, primogenitum omnis creature eum uocat. Nam ut primogenito ex lege Dei, imperium est in reliquos fratres, ita Verbum patris, uerbo potentiæ suæ, hoc est, sua uirtute, & plenißimo imperio, cuncta moderatur, atq; gubernat, existens ipsa Dei uirtus & potẽtia.

Verbũ & ſpiritus oris Dei idem.

De quo & Pſal. 33. Per uerbum Domini, cæli facti sunt, & per ſpiritum oris eius omnis ornatus eorum. Vbi pſalmographus pro eodem accipit uerbum, & ſpiritum oris Domini, nimirum pro uirtute, potentia, & efficacia Dei, qua creata omnia sunt, & conſiſtunt.

Sapientia Dei.

Schlomoh ſapientiæ nomine, eandem ſignificat, et per proſopopœiam inducit, de ſe prædicantem, per ipſam omnia condita, & ipſam ante omnia formatam, apud Deum, iugem ſibi fuiſſe oblectationẽ, tũ & in orbe terrarũ, bonitatis ſuæ luſum deprompſiße, & apud homines quaque beatam oblectationem exhibuiße. Lege caput octauum prouerbiorum.

Lex quoq; per Chriſtum data eſt.

Vt uero eodem loci, ſapientia de ſe prædicat. Meum eſt conſilium & æquitas, intelligentia, & fortitudo, per me reges regnant, & conſiliarij iuſta ſtatuunt, ita recte affirmauero, incomparabilem illam ſapientiam, quam miniſtro Moſcheh accepimus, eidem uerbo patris, acceptã ferendam, ipſumq; eße mediatorem illum, per quem latam Paul. Gal. 3. legem meminit, tametſi ex recentioribus quidam Moſcheh illum intelligant. Certe quicquid unquam boni mundus accepit, quandoquidem Dominus IESVS

is eſt, qui ſua uirtute portat & moderatur uniuerſa, impletq; omnia in omnibus, ab eo id donatum eße, & depromptum, confitendum eſt.

Christus ille adorandus יהוה.

Quare equidem Chriſtum noſtrũ, illũ יהוה fuiſſe, nihil dubito, qui patribus locutus fuit, tantaq; illis beneficia partim exhibuit, partim promiſit. Nam Deum nemo unquam uidit, unigenitus filius qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit nobis. Infra. Patrem nemo nouit niſi filius, & cui filius uoluerit reuelare. Matth. 11. unde quicquid diuinitus, hominibus dictum factúmue eſt, opus fuit Verbi, qd' erat initio, per quod sunt facta omnia. Id quod & Iohannes in ſequentibus teſtificatur. Quapropter cum יהוה eſſentiam, uel authorem eßendi ſignificet, idq; uere ſit, æternũ Verbũ patris, hoc ipſo ineffabili illũ nomine deſignatũ fuiſſe, credo. Certe Irmeiah prædixit, eũ hoc nomine uocandum. Qui ubi homo natus fuit, nomen accœpit יהשוה, in quo nomine inſunt, omnes ineffabilis illius literæ, et adiectum præterea eſt, ש ex uerbo ישע, quod ſaluauit ſignificat, quo indicaretur aduenißе demum, qui eßet inſtauraturus omnia, & populum ſuum, id eſt, electos ſaluaturus, ſicut per eum condita omnia sunt & ſubſiſtunt, ut idem ſalutis, qui & eſſendi author, agnoſceretur. Si quis autem motus ex eo, quod Angelus iubens puerum IESVM uocare, quod eſſet ſuum populum à peccatis ſaluaturus, putet idem nomen Domino fuiſſe, quod ſucceſſori Moſcheh יהושע, quod proprie ſaluatorem ſignificat, certiora uidetur ſequi, quam ij qui יהשוה uocatum

uocatum existimãt, ex eo quod uates prædixerit nouo nomine uocandum. Sunt etiam in nomine יהושע omnia elementa, nominis sacri יחוח, nisi quod ה non repetitur.

Ex his liquere iam existimo, cur Iohannes, diuinitatẽ Domini uolens prædicare, Verbum eũ uocauerit, nimirũ quod Verbum Dei, uirtutem et potentiam Dei per quam facta sunt, & consistunt omnia, significat. Hoc uero initio fuisse, quod idem est, atq; ante res conditas, propter negantes diuinitatem Christi adseruit, cui consequens erat, ut et apud Deum illud fuisse, cũ præterea nihil dum esset, & Deum uerbum fuisse, ne scilicet duos docere deos uideretur, iuxta adscreret.

OBSERVATIONES. Obseruandũ primũ, ut paucis, circunspecte tamen & religiose, de diuinitatis mysterio Euangelista diserserit, quod si imitari olim Christiani uoluissent, non tam misere & periculose dissectæ Ecclesiæ fuissent, neq; præbita causa Sophistis, impuris suis figmentis, diuinam maiestatem contaminandi. In cognitionem diuinitatis salutarem, non nisi per mediatorem hominem Christum IESVM peruenimus. quare operæ precium est, ut cum Paulo ante probe discamus IESVM Christum, & hunc crucifixum, quo nobis ipsis displicea mus, carnisq; nostræ quam professi sumus mortificationem gnauiter prosequamur. Sic et exaltati Christi gloria nobis conspicietur, indeq; & diuinitas, in nouam scilicet et cælestem iam creaturam renouatis. Principio satis nobis fuerit

bis fuerit agnouisse Dominum nostrum Deum esse, eundem naturæ cum patre, & rerum omnium opificem, quandoquidem maledictus sit, qui confidit in homine. Reliqua eo cottidie percipiemus plenius, quo in nouitate mentis plus promouerimus. Mundi enim corde Deum uidebunt.

Obseruandum item, quemadmodum dicitur ex malis moribus bonas leges prouenire, ita Dei bonitate fieri, ut pestilentium occasione errorum, saluberrimas Ecclesia doctrinas recipiat. Nisi enim Cerinthus & Ebion, & similes diuinitatem Domini nostri IESV Christi impie negassent, Iohanni tam magnifice de ea testificandi nulla fuisset occasio. Ita electis, & mala bono sunt.

Monemur deniq; hinc non esse desperandum animum, quod & nostra tempestate, magnum impiorum dogmatum uidemus prouentũ, iacula sunt Satanæ contra salutiferam ueritatem Euangelij, quæ si nõ & contra nos illa iacularetur, neq; illa uere apud nos uigeret. Acquo igitur animo ferendum, si ijsdem nos uetus hostis quibus primam illam Christi Ecclesiam, machinis petat, dum id argumento est indubitato, eodem nos quo illi uerbo uitæ esse donatos. Proinde excitent ista nos, ut uigilemus & caute contra uersipellem hostem stemus, in abnegatione nostri, Christiq; admiratione continuo proficientes, non uero deijciant, ut fiduciam spemq; ponamus meliorem, promouendi Christianismi alacritatem remittentes.

Omnia per ipsum facta sunt. Sect. 2.

Para=

PARAPHR. Aeternitatem igitur diuinitatēq; Domini IESV, qui uerbum patris est testatus, iam ut sese ordi insinuarit testabor. Primum creatione id fecit, nam per ipsum facta sunt omnia, ut nihil omnino sit, quod ipse non ædiderit. Deinde & cōseruatione actuq;. Nam ipsius beneficio uiuunt omnia, & quo sublimiore ac præstantiore uita homines, eo præsentius uim uerbi experiuntur, estq; plane uita ipsa, illis lucerna, qua authorem uitæ Verbum, & in illo patrem agnoscere debebant, esseq; inde beati. Vt enim inuisibilia Dei, hoc est, eius æterna potentia & diuinitas, ex condito orbe, ijs scilicet rebus omnibus, quæ factæ sunt, intellectu peruidentur, ita peculiariter ac certius hoc fit, ex nunquam satis admirato hominis opificio, maxime autem omnium, ex cōsideratione uitæ intellectualis, quæ tanquā clarior quidam, quam in ulla uisibili creatura reluceat, diuinitatis radius nobis affulsit. Vita ergo omnium, præcipue autem hominum lux ipsis à condito iā orbe luxit, Deumq; omniū opificem uisendum exhibuit, uerū illi priuati pridem spiritu, diuinitatis scrutatore, nihil eius uiderunt, lucet nanq; lux hæc in tenebris, excæcatis mortalibus ad unum omnibus. Ideo licet Verbum Dei & potentia, clarius meridiana luce omniū oculos usq; feriat, tamē tam non cōprehenditur ab humanis mentibus, quam sol ab oculis cæcorum. Tenebræ etenim sunt, mentes mortalium omnium.

Sine ipso factū est nihil.

ANNOTAT. πλεοναζόμενος iste, omnia p ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factū est Ebraismus est,

mus est, qualibus scriptura abundat. Facit uero ad expressionem eius, quod de Verbo prædicare instituit, nempe ipsum authorem esse omnium. Malo autem sic legere, quā ut quidam, illud (quod factū est) iūgentes sequentibus. Videtur siquidem Euangelista, si hoc uoluisset, fiuse dicturus. Quod factū est, in ipso uiuit, nō est uita. Nō enim facile simlis loquendi modus ex scripturis proferetur. Ad hæc Nonnus uctustiss. huius Euangelij paraphrastes, ut nos, locum hunc legit.

In ipso uita erat.

Illud (in ipso uita erat) idem pollere, quod per ipsum, uel ab ipso uita est, uel parum Ebraismis assueti non ignorant. Certe quem locū psal. 33. paulo ante adduxi, si quis uerbo uerbū reddere uelit, legendus erat. In uerbo Domini cæli firmati sunt &c. Nam ברבר יהוה Eb. legitur. Quis autem dubitet, id (in uerbo) interpretari (per Verbum?) Simile uero est illud Pauli in actis. In ipso uiuimus mouemur & sumus. Quod psal. 104. his uerbis canit. Abscōdes faciem tuam turbabuntur, auferes spiritum eorum, peribunt & in puluerem suum reuertentur. Emittes spiritū tuū, creabūtur & renouabis faciē terræ. A spiritu enim, hoc est, uirtute Dei esse omnē uitam adfirmat, hæc aūt & Verbum est, & à Verbo per quod facta sunt, & seruata consistunt omnia, suppeditatur.

Vita erat lux.

Vitam uocat lucem hominum, nihil enim est quod præsentius Deum exhibeat, præsertim uita hominū. Hac enī præsentem adeo & familiarē sese Deus nobis adiunxit, ut tāgere eū, ut Pauli uerbo utar, debuerimus. Sed quid? nulli

nulli erant hominibus oculi, non tenebrosæ, sed tenebræ ipsæ erant mentes illorũ. Satis igitur splenduit lux, sed tenebræ humanarũ mentiũ eã cõprehendere nequiuerunt.

OBSERVAT. Obseruandum, nihil penitus esse quod non ut opus, ita & in plena potestate sit Domini nostri IESV Christi, hic igitur cum frater noster esse uoluerit, & eam dilectionem exhibere, qua nequeat cogitari maior, quid à creaturis metuamus, aut cur de futurũ aliquid nobis timeamus? Quin admoneat nos seruatoris nostri, quicquid omnino in mundo aspexerimus, lux bonitatis eius, in omnibus egregie relucet, quod utiq; nos mouere quoq; debeat, ut summa temperantia, animiq; gratitudine rebus omnibus utamur.

Omnia Christi opera sunt, eius ergo admonent.

Animaduertendum quoq; mentes hominum spiritu nondum renatorum, non tenebrosas, sed per auxesim, uel nimis plenam similitudinem tenebras ipsas uocari. Et cur non? quando ψυχικῶ homini, quæ Dei sunt, & quibus ideo æterna uita constat, apertissime atq; certissime, nempe oraculis Dei proposita, stultitia sunt, neque potest ea agnoscere. Et quis non, si quid tenebris obscurius sit, uocet, in Deo ac uerbo eius uiuere, moueri, esse, & portari, & bonitatem eius ubiq; præsentiss. sentire, nec tamen illum uidere?

Hominum mentes nõ tenebrosæ, sed tenebræ ipsæ.

His nequaquam aduersatur, quod Paulus Romanis scribit, homines cognouisse Deum, sed non ut Deum glorificasse. Ipsum nanq; mundi tam mirabile opificium, authorem suum satis prædicat, unde potuerunt Dei beneficio, ex

Rom. 1.

cio, ex conditis ab ipso rebus, æternam potentiam atq; diuinitatem eius, intellectu satis uidere, ut plane uiderunt, quod & commune illud omnibus mortalibus religionis studium excitauit, suffecitq; hæc cognitio ut inexcusabiles redderentur, cum quem optimum agnouissent, eoq; non nisi solida bonitate delectari, dubitare nequiuissent, cultu innocentiæ & bonitatis uenerari neglexerint. At nihilominus bis cæci, ac meræ tenebræ fuerunt, quod tam manifesto sese insinuantem Deum, non ita uidere potuerunt, ut ex animo eum amasent, ueroq; & grato illi cultu fuissent uenerati, id quod indubie fecissent, si eum recte pleneq; agnouissent. Quis enim famelicus, cibum præsentem oparum & salutarem non auidiss. corripiat? Ita cor hominis, boni semper cupidiss. in Deum omnis boni fontẽ, qui non raperetur totum, si plane eum agnosceret?

Quantũ de Deo ex creaturis cognoscitur.

Adest igitur aliquis etiam in deploratis Dei sensus, qui satis ad id sit, ut olim se ipsos condemnent, qui quem agnouerunt, ei non etiã, eũ quem solum gratũ sciuerunt, cultũ, exhibuerint. At tãtus illis Dei sensus nõ adest, ut uere diligere et suspicere Deum possint. Rapit enim transuersum eos uis Satanæ cui obnoxij sunt, ut in corde dicant nõ est Deus, non quod hoc ipsorũ conscientia dictũ ratum habeat. secus esse arguit, uel illa, qua trepidant ubi non est caussa formido, uerum ita torquet eos malitia, cui addicti sunt, ut Deũ reclamãte corde, contemnant tamen secum, & negent apud alios. Neq; mihi quisquam facile persuadebit,

Quatenus impij Deum cognoscunt.

C

WBP Opole

debit, uel Epicureos, aut quoscunq; alios, qui Deos esse, et futurum iudicium negarunt, non sensisse in animo sententiæ suæ contradictionem, magisq; optasse nullos esse Deos, quam ita penitus credidisse, utcunq; ore contrarium affirmarent. Proinde impij uidentes cæci sunt, neq; enim possunt plane uidere, & inde amare, quod bonum eo usq; tamen uident, ut licet uelint, acti scilicet à Satana, animo tamen non possint auersari. Id quod satis erit, ut contra seipsos olim sint pronunciaturi, excusaturi minime. Vt igitur magis miserandus is esset, qui uidens & sentiens cibum salutarem, malitia tamen abstractus cuperet sentire eum esse noxium, idq; mentiens pronunciaret, atq; hinc nolens gustare eum, fame interiret, quam qui errore tantum abductus, simpliciter toxicum fuisset arbitratus, atq; ita abominatus illum, gustareq; non ausus, perijsset. Ita longe peius est, uidendo cæcum esse, id est, cognitam aliquantisper ueritatem auersari tamẽ, idq; inducie quia non plane, non penitus sit cognita, quàm prorsus nihil eius adhuc agnoscere. Hi simpliciter cæci uocantur, illi uidentes cæci, hi peccatum non habent, illorum peccatum manet. Infra 9. Hi cũ Paulo misericordiam cõsequuntur, quod peccent ex sola ignorantia, illi neq; hic, neq; in futuro sperare ueniam possunt, quod peccent prudentes, & ideo in spiritum sanctum.

Ita siquidem res hominum cõparatæ sunt, primum ex æquo cæci sunt, quotquot homines nascuntur, deinde illuminantur, alij plenè, ut Deũ & agnoscant & colant, alij eo usq;

eo usq; ut quid Deus sit ac uelit, sentiant quidem aliquatenus, at captiuos cum illos Satanas detineat, efficit, utquem cognoscunt, glorificare ut Deum nequeãt. Vniuersi itaq; mortales tenebræ & cæci sunt, qui in totum inouantur, ut lux fiant, ij ueritatem uere suscipiunt, qui non innouantur, & si quæ Dei sint, intellecta peruideãt, siue docti ab operib. Dei, siue à uerbo Dei, administrato per homines, lucẽ uident quidẽ, at nõ cõprehendunt, hoc est, nõ uident penitus, filij alioqui lucis euaderent ac raperentur in id, quod uere optimũ agnoscerent. De his et infra, aliquoties dicendi occasio dabitur.

Tenebræ eũ nõ comprehenderunt. sect. 3.

Fuit homo missus à Deo.

Vbi itaq; homines Verbum Dei, licet radij eius, ex admirando mundi, hominisq; tum opificio, tum conseruatione relucentes, omnia clarissime perlustrarent, agnoscere non possent, nam quod lux in illis est, tenebræ erant, mens scilicet & ratio, aduenisset uero tandem tempus, quo illud orbi reuelandum erat, primum eius præconem Deus misit Iohannem Baptistam, qui suo illud orbi testimonio ita commendaret, ut per eum persuasi crederent, & Verbum hoc, diuinam uirtutem amplecterentur, non Iudæi solum, quanquam his peculiariter Verbi reuelatio fuisset promissa, sed omnes, quicunq; demum secundum carnem essent, quare ille & militibus et publicanis Euangelion annunciabat. Ex hac uero noua, & ad quoslibet

citra discrimen habita, de regno cælorum prædicatione, non pauci hunc Iohannem esse illã mundi lucem, quæ uulgo appellabatur, & Verbum per quod omnia facta sunt, arbitrabantur, at non erat is illa lux, sed missus in hoc dun taxat, ut testis illius lucis esset. Lux illa uera erat, quæ omnem hominẽ uenientẽ in hũc mundũ, id est, quicunq; omnino in hanc uitã ædũtur, illuminat, tũ luce, quæ uita est, tum lampade intelligentiæ, qua æternam potentiam Dei, & diuinitatem agnoscere queant. Licet autem electis dun taxat donet illam plene agnoscere, habet tamen eiusmodi non solum inter Iudæos, sed etiam inter omnes qui in hunc mundum ueniunt. Causſa uero quare Iohannes præco Verbi, præmissus à patre fuit, erat, quod hic Dei filius, hoc uitæ uerbum, hæc salutifica lux, in mundo iam inde ab initio lucebat, portans, uiuificans, & moderans cuncta uerbo uirtutis suæ, nec tamen à mundo cognosceretur, imò ne Iudæi quidem cum ad eos peculiari & in prophetis prædicta ratione uenisset, ipsum suscipere sustinuerunt. Cum ergo mundus per collatam sibi sapientiam, uimq; intelligendi Deum ex eius sapientia, & in rebus omnibus mirifice relucente, cognoscere rite non potuit, uisum Deo est per stultam humanæ rationi prædicationem, homines saluos facere. Quid enim uulgi hominũ iuditio, fide in eum, qui tam humilis in carne apparuit, ac tandem ignominiose adeo cruci suffixus interijt, iustitiã expecta re & felicitatem omni cogitatione consumatiorem? Hanc igitur prædicationem, Iohannes apud Iudæos auspicatus fuit,

Erat lux uera.

1. Cor. 1.

fuit, effecitq; ut aliqui tamen Verbũ reciperent, hoc est, in nomen eius crederent, certa fide illum uti Meschiah Domini & saluatorem quo nomine ueniebat, amplectentes, seseq; illi totos consecrantes. Atq; his demum à Verbo potestas contigit, ut filij Dei uere essent, mente Dei & uita præditi. Idq; nequaquam ideo quod carne ex Abraham genus ducerent, non enim hic sanguinis & carnis, aut parentum ulla ratio habetur, sed quod nati essent ex Deo, hoc est, ante conditum mundum in id electi, ut filij & hæredes Dei euaderent.

ANNOTAT. Quibus rationibus Verbum orbi penitus demum reuelatũ sit Euangelista narraturus, Iohannis testimoniũ, narrato, ut illud se ex orbis & hominis opificio, à mundi creatione luculentissime uisendũ exhibuit, licet cæci homines uidere id nequiuerint, continuo subiecit, prætermissa ea uerbi reuelatione, quæ facta est per patres, legem, & prophetas. Causſa huius mihi quidem uidetur fuisse, quod statuerit, de ea uerbi reuelatione potissimum loqui, quæ illud non Iudæis tantum, sed & toti orbi reuelatum est, quæ prima certe ex nunquam satis admirata machina, gubernatione q; mundi, uitaq;, omniũ gentiũ oculis exposita, facta fuit, multo potẽtissima aũt ex Euãgelio, cunctis creaturis prædicato. Ad hæc uidemus, ut pperarit ad præcipue institutã sibi Verbi, ex proprijs eius, dictis & factis renuntiationem, atq; præconiũ. Vix enim uno & altero uerbo, æternitatem & diuinitatem eius testatus, mox indicauit, ut se rerum & condi-

Quibus modis uerbi facta sit reuelatio, et cur prætrita, quæ facta per legem est, & prophetas.

tione, & actu prodiderit, quod & ipsum per paucis fecit, ac continuo ad testimonium Iohannis transiuum fecit. In quo narrando eo quod propius ad institutum suum, nempe prædicationem Verbi iam incarnati faceret, pauliſper immoratus quidem est, longißime autem hæsit in recensendis ipsius Verbi, iam hominis, gestis & sermonibus, quod nimirum haudquaquam aliunde clarius uirtus eius uoluntasq; saluifica pernosci queat. Postremo, uerbum in lege magis adumbratum, quàm reuelatum fuit, prophetæ etiam suis uaticinijs tectius locuti fuere, quàm ut paucis potuißent explicari, contentus ergo Euangelista narrasse ex quibus clariſima Verbi uis cognosci potest, umbras legis unà cũ prophetarũ oraculis præterijt. Quæ uero nato & adhuc puero Christo mira acciderũt, eumq; eße orbis saluatorẽ clare admodum indicarunt, ideo uidetur Iohannes præterijſſe, quod fuse ab alijs narrata erant. Instituiße etiam apparet ea potiß narrare, quæ diuinitatẽ & proprium Christi officium, proxime exprimunt.

De mißione & officio Iohannis, simul & eo, quod ipse lux habitus fuit, contra quod per occupationem unitio statim Euangelista testatus est, infra dicet plura.

Credere in nomen IESV. Credere in nomen, uel nomine IESV, idiotiſmo Ebræo idem significat, atq; credere in IESVM, uel IESV, hoc est certum de eo esse, perſuasumq; habere, quod is sit, quem prophetæ illum, & ipse quoque semet esse dixit, nimirum filiorum Dei caput & seruatorem. Hoc ipsum igitur ut electis Iohannes perſuaderet, in uirtute & ſpiritu

ritu Elijah fuit DOMINO præmiſſus.

Illud ἐρχόμενον, id est, uenientem, cum homine malo coniungere, quam cũ luce, eo quod lux hæc nõ solum, cum uenit amicta carne in mundum, sed antea quoque & semper illuminat homines quoslibet. Sic etiã legit Nonnus. Verb. illuminat omnem hominem. Ἦν γὰρ ἐοῦ μετὰ πατρὸς ἐτήτυμος ἀρχεγονὸν φῶς· Μουνογενὲς λόγος ἦεν, ὃς ἀνέρα πάντα καθαίρει· Πνευματικαῖς ἀκτῖσι καταυγάζων φύσιν ἀνδρῶν Ἐρχόμενον εἰς γαῖαν, id est. Erat enim ucrum cum patre suo, & æternum lumen, unigenitus sermo, qui omnem hominem lustrat. Spiritalibus radijs illuminans naturam hominum uenientium in terram. Testificari enim Euangelista de Verbo collato Iohanni uoluit, nõ eße illud tantum externo prædicationis uerbo paruæ regionis lucernam, uti Iohannes erat, sed eam lucem, qua non modo externe, sed & interne, neq; Iudæi solum, sed quicunq; omnino in hunc nascerentur mundum illuminarentur, reprobi ut tãdem à ueritate ipsa coacti Deo dare gloriam, & contra seipsos pronunciare cogntur, electi ut in filios Dei renouati æternum beatæ lucis consortiũ cõsequãtur.

Mundũ hic p uniuersitate hominũ, ut et propria Verbi p Iudæis Euãgelistã scripsiſſe, satis in apto est. Neq; tamẽ hoc dicto affirmare uoluit, neminem omnino mortaliũ credidiße, quare ilico subiecit. Quotquot receperunt eum. Quid mundus. Mundus enim dicitur nõ cognouiſſe quẽ maior mũdi pars nõ cognouit. Ita sui eũ nõ receperũt, id est, ex suis plurimi. De mũdo siquidẽ i uniuersum loquutũ inditio est, qd adie

eit, & mundus per ipsum factus est, alibi accipitur pro re
Iohan. 15. probis tantum, ut cum Dominus ait ad discipulos, ego elegi uos de mundo, mundus me odio habuit &c. Iudæi uero, ppria Verbo dicti sunt, nõ tamen aũt ob carnalẽ cogitationẽ (quãtula enim carnis, hoc est personæ, apud Deum ratio?) quam propter electos ex Iudæis, quorum gratia totus populus, סגולה, id est, peculiũ Deo uocatus est. Quemadmodum & apud nos nomine regni cælorum gaudent, qui olim quod scandala sunt & zizania, de regno tollentur.

Nõ ex sanguinibus. Illa uero congeries uerborum, & πλεονασμὸς quidam. Non ex sanguinibus &c. nihil aliud significat, quã natiuitatem carnalem, ἀντίθεσιν enim Euangelista facit generationis carnis & spiritus, illam reijciens, hanc statuens. Quare idem est ex uoluntate carnis & uiri nasci, atq; ex sanguinibus. Qui enim ex sanguine (sanguinibus Ebraismus est) hoc est, naturali semine nascitur, idem ex uoluntate, hoc est, desiderio carnis, id est naturæ, & uiri nasci recte dicitur. Quare superuacanea est quorundam hæc ad diuersa referentium disputatio. Adsuescendum uero est, istiusmodi, & idiotismis, & redundantibus uerborum acceruationibus, quas πλεονασμοὺς quidam uocant, quibus ut Ebræorum lingua ita Iohannes qui Ebræus fuit admodum abundat.

Sed ex Deo nati. Postremo illud: Sed ex Deo nati sunt, in paraphrasi interpretatus sum, ante sæcula ut filij sint et hæredes Dei, electi sunt, huic forsan quis putet pugnare, q. Iohãnes ante hoc

te hoc scriptũ reliquit. Iis qui credunt in nomine eius dedit potestatem filios Dei fieri. Si nanq; hi ante creatũ mundũ, electi & destinati sunt, ut Dei filij sint, qui quadrat, quod credentibus demum fieri potestatem, ut filij Dei euadant, hic Iohannes testatur? Sed animaduertendum tamet si nemo unquam crediturus, ac filius Dei futurus sit, nisi quẽ in hoc Deus ab initio elegerit, uocat enim & sanctificat, quos prædestinauit, & dat filius, æternam uitam ijs duntaxat, quos ei dedit pater, pro mundo reliquo ne orat quidem. Hanc autem gratuitam adoptionem tum demum sentiũt electi, cum Christum fide agnouerint, spiritu sancto, in quo Deum patrem per Christum inuocent, donati. Iohannes igitur his uerbis uoluit significare, sortem filiorũ Dei ijs qui crederent in Christum, quocunq; de sanguine essent nati, contingere, neq; referre quos homines parentes haberent, ut falso Iudæi arbitrabantur, sed ut ex Deo nati, hoc est, electi essent. Sed de natiuitate ex Deo, qua Iohannes electionem significat, & non infrequenter uerba facit, infra suis locis plura.

Et Verbum caro factum est. Sect. 4.

PARAPHRA. Dixi Iohannem missum, ut de Verbo, quod neq; mundus, licet per illud factus & uiuens, neque Iudæi licet illi peculiaris populus, agnoscebant, cum etiam noua iam et familiari quadam ratione præsens illis

esset, testificaretur. Si quis iam & meo testimonio scire cupiat, quæ nam ista noua ratio præsentiæ, qua Verbum in propria, id est, ad Iudæos peculiariter uenit, fuerit, quanquam illam qui ante me Euangelia scripserunt, Matthæus & Lucas abunde explicarint, paucis tamen quod res est, & ipse memorare non grauabor. Verbum caro factum est, & iam uerus homo sicut & uerus Deus, habitauit uersatusq; est inter nos, reliquis hominibus similis. Et quanquam omnino humanam & seruilem uiuendi rationem exhiberet, simul tamen eos de se diuinitatis radios identidem emisit, ut gloriam & magnificentiam eius tanquam gloriam et magnificentiam unigeniti, æterni patris, qua ab eodem patre ornatus fuit, spectauerimus contemplatiq; simus. Plenus nanq; erat gratia & ueritate, hoc est, in omnibus incõparabiliter gratiosus atq; amabilis, tũ uera omnigena, absolutaq; uirtute ornatus et conspicuus. Hæc uidimus, & experimento cognouimus, ideo & testari audemus.

ΚΑΙ ΑΝ. Verb. caro fa. Per parenthesin quandam, hæc ab Euãgelista historiæ hoc loco inserta uidetur, qua exponere uoluit, quo nã pacto Verbũ ad suos peculiariter uenerit. Erasmus tamẽ Roterod. per quẽ eã nobis lucernã, ad uidendũ quæ scripturæ docent, Deus accendit, ut is sanctis & intelligentibus, quanta ueritatis lux illius lucubrationib. illata orbi sit, summo sanè in precio iure habeatur, hic ut aliás ita & in scripturis oculatiß. hæc in Paraphrasi sua proximæ præcedenti sententiæ, qua Euangelista testificatus

Ratio ordinis.

stificatus est, dari credentibus Christo, filijs Dei esse, tanquam rationem caussamq; connectit. Neq; abre quidem, omnino enim quod credentes Christo, filij Dei euadant, hinc est, quod in Verbo suo Deus sustinuit fieri homo. At tamen puto non obscurũ esse, etiam historiæ rationẽ proposcisse, ut sentẽtia hæc inseretur. Dixerat enim Iohan. missum, ut de æterno Verbo, quod iam pridem in mundo esset, nec cognosceretur, atq; nuper ad suos peculiariter uenisset, neq; fuisset tamen susceptũ, testaretur, et nondũ dixerat, quo nam modo illud aduenisset. Id ipsum igitur cum ante illud: Fuit homo missus, non memorasset, hic narrationi, testimonij Iohannis immisit, facta transpositione, quæ ut scripturæ, ita et huic Euangelistæ haud quaquam insolens est. Certe mox post hanc interiectam sententiam, testimonium Iohannis prosequitur.

Carnem pro homine positã hic, ut in scripturis paßim solet, notius est, quã ut eius lector admoneri debeat. Est autem in ea appellatione, admonitio humilitatis nostræ, ut et apud latinos in uoce, mortales, & græcos in nomine θνητοὶ, quare commodum ea hic Euangelista usus est, ubi quousq; se Verbum nostræ salutis caussa demiserit, narrare instituit. Sic & illud: habitauit in nobis, id est, uersatus est inter nos in similitudine hominũ factus, ut Paulus loquitur, & figura repertus ut homo. Christi humilitatem, in qua inter discipulos, in seruili forma, & ad modũ aliorum hominum uixit, exprimit. Caro. Habitauit in nobis. Philip. 2.

Illud uero Vidimus gloriã eius &c. diuinitatẽ nunq; nõ

relucentem

Gloria unigeniti.

relucentem ex dictis & factis eius testatur. Quæ ut præcipue in monte Thabor, à tribus discipulis spectata est, tum & reliqua uita, totq; præclaris gestis & miraculis, qualia ante eum nemo uidit, tum gloriosa resurrectione atq; ascensione, eadem plusquam magnifice sane resplenduit, uisendaq; omnibus discipulis patentissime exhibita est. Mihi profecto, quod sequitur, plenus gratia & ueritate, subaudi, erat, præcedentis ratio uidetur. Quasi Euangelista dixisset, spectasse nos dixi & planè contemplatos fuisse gloriam Verbi, non semel duntaxat atq; iterum aspexisse, quia plenus erat gratia & ueritate, omnia in eo adeo erant diuina quadam elegantia suspicienda, ut nihil posset fingi eo gratiosius, omnia quoq; eius absolutã adeo & inimitabilem uirtutem præ se ferebant, un nemo posset illum homine esse maiorem, dubitare. Nunquam igitur non unigenuti DEI & ante omnes dilecti in illo gloria refulsit.

Gratiæ nomine Euangelistam existimo uoluisse exprimere, quod Ebr. חן, id est, chen uocant, quæ omnino apposite latinis gratia, qua nimirum quis fauorabilis et gratiosius existit, cui facile quiuis bene uelit, dicitur. Sic multoties sanè in scripturis legimus, si inueni gratiam in oculis tuis, pro eo, quod dicimus: Si mihi est apud te aliqua gratia, si mihi faues, si me amas. Hinc in ulti. Prouerb. Fallax est gratia, et uana res forma, mulier timens Deũ, illa laudabitur. In quo satis apparet significari, incertam fallacemq; esse rem, si qua amabilis sit & gratia, atq; forma polleat,

Gratia quid.

ma polleat, certum autem bonum esse timorem Domini. Iam ergo eo quod Christum Euangelista prædicat plenũ gratia, significat eum per omnia diuinum adeo aparuisse, ut & Dei erga eum fauor egregie declararetur, & omnium bonorum fauore simul iudicaretur dignissimus.

Veritas uero, qua item plenum Christum Iohannes testatur, opponitur ueritati & mendacio, cuiusmodi est omnis homo. Nam nemo est qui boni ex se ac solidi aliquid habeat. Christus autem ueritas erat & ueritate plenus, quia ipsa Dei sapientia et Dei iustitia, firma, certa, plena & æterna. Hæc ueritatis in Christo plenitudo passim à prophetis prædicta est. Psalm. 45. In decore tuo prospere age, & inequita, ornatus inquam ueritate, & humili expertaq; molestiam iustitia. Psalm. 89. Fides mea & benignitas mea cũ ipso. Ieschaeiah 16. sub typo Chizkijah regis. Firmabitur thronus benignitate, sedebitq; super eum in ueritate, in tabernaculo Dauid, qui iudicet & inquirat iudicium, & persequatur iustitiam.

Quid ueritas.

Cæterum ex uarijs scripturæ locis colligitur אמית Ebræis significare, nunc synceritatem & integritatem, nunc certam & plenam beneficentiam, nunc certitudinẽ & firmitatem. In primo significatu, usus ea uoce est Chizkijah rex, cum orabat, recordare Domine quod uersatus coram te fuerim in ueritate, & corde perfecto, egerimq; quod tibi probatur. Hic ueritas quid aliud est quã synceritas & integritas? In altero creberrime in usu est, & ungitur ferè חסר quod benignitatem significat. Sic dicebat ad

Quæ significet אמית, id est, ueritas. Iesch. 38.

bat ad familiam Bethuelis seruus Abraham: Si libet face-re cũ hero meo benignitatem et ueritatem, quod idem pol let, ac si dixisset: Si libet hero meo iustam & plenam beni gnitatem exhibere. Germ. uuolt ir an mein herren, freun dtlich und getreuulich thuon. In hac significatione co-iunctum חֶסֶד, Deo identidem tribuitur, cuius solius bo nitas plena & certa existit. In tertio significato usus illa uoce fuit, idem Abrahæ seruus, cum gratias ageret Domi no, quod iter suum secundum & prosperum fecisset. De-duxit me inquiebat, per uiam ueritatis, id est uiam ueram & optatam. Sic & Chizkijah gratulabatur sibi, quod suis diebus futura pax esset & ueritas, ubi ueritatis nomi ne intellexit, certum ac firmum regni statum, quemad-modum pacis nomine, secundum & prosperum. Hoc iam significato Euangelista Christo ueritatis plenitudinem tribuit. significarecq; uoluit, quod uiderũt eũ plenũ gratia, qui apud Deũ et homines gratiosiß. et amabiliß. fuerit, ut quẽ ne hostes quidẽ ullius peccati arguere possent, tũ et ue ritate, ut cuius omnia sicut optima, ita etiam certißima & firmißima essent, cum in alijs hominibus nihil, firmũ nihil stabile, nihil uerum, nihil proprium, nihil certũ existat, qui si boni quid cupiant ac proponant etiam, uires tamen non habent, ut id perficiant, quare in scriptura, uanitas & mendacium, non immerito appellantur.

OBSERVAT. In primis obseruanda hic, & semp animo cogitanda ineffabilis Dei erga nos dignatio, quod Verbũ suũ, per quod sunt facta omnia, nostri causſa uolu-

erit carnem

erit carnem, hoc est, mortalẽ & miserum hominem fieri. Quis miser adeo et calamitosus, quẽ hæc effusißima Dei erga nos dilectio in spem optimã non erigat? Certe Ange lorum naturã Deus hoc modo nõ assumpsit. Qui ergo de Heb. 2. carne & oßibus sumus Domini, dubitare non possumus, quin omnia ille nostri causſa sit posthabiturus. Sumus aũt uere caro & os eius, quotquot ipsius spiritu docti, agno-scimus, hæc illũ gratia nostræ redemptionis factũ. Desti-nata huc à Deo erat ingens hominum multitudo, ut in eis ipse esset omnia, ideo tota de integro raparanda erat, tota enim prolaſſa in peccatũ fuerat adeo, ut nullus esset in eis uirtutis sensus reliquus. Reparari autẽ non potuit, nisi ue tustate extincta, & Deo ultroneo animo sacrificata. Id cũ nemo alius posset, quod sui amor, in omnibus radices altiſ sime egißet, aduenit Verbũ patris, humana carne uestitũ, unigenitus Dei, in quem sacrum uolumẽ respexit, quoties sacrificiorum suaueolentium meminit.

Is est qui patri dixit: Sacrificiũ & munus noluisti, au res perforasti mihi (ut essem tibi in æternũ seruus) holo Psalm. 40. causſtũ & sacrificiũ expiationis nõ postulasti. Tunc dixi, ecce ueni, in uolumine libri scriptum est de me, ut facerem gratũ tibi (quod neq; brutæ illæ hostiæ, neq; offerẽtes illas potuerũt) id ex animo placuit, nam lex & doctrina tua in intimis meis est. Cũ intimũ aliorũ mortalium obtineat lex peccati. Euãgelizabo iustitiam in cõcione magna, en labia mea nõ continebo. Domine tu nosti, iustitiã tuã nõ abscon dã in corde meo. Idem et salutẽ tuã annũciabo, nõ dissimu

labo be-

labo benignitatẽ et ueritatẽ tuã, in cõcione magna. Voluit nanq; pater ex hominib. Deos facere, sed id p hominẽ, qui Deus iã esset, ideo Verbũ eius Dcũ, hominẽ fieri oportuit. Cũ iã arcanæ literæ ἀποθέωσιν, id est deificationẽ electorum ubiq; uel promittant uel doceant, & illa nullis ni si per Verbũ incarnatum contingat, nihil omnino in scripturis legitur, quod nõ suo modo ad illud respiciat, finem & perfectionem legis, hoc siquidem authore & mediatore diuinitatis omnia ad nos perueniunt & perficiuntur. Huius ergo admonere nos, & in spem sortis diuinæ penitus olim consequendæ erigere debet, quod Verbum caro factum est, quod in hoc ipsum assidue sanè recogitandum, pieq; expẽdendũ nobis fuerit. Indubie enim diligẽter perpensum in quauis tẽtatione animũ facile cõfirmabit, & fiduciã in Dei bonitatẽ mirifice augebit. Tum monebit quid & nos proximis fieri deceat, quando propter nos Deus homo factus est. Certe quem hæc uerbi humiliatio rite considerata, non lubentem reddiderit, ut ad quæuis se officia erga proximum demittat, quamlibet ipse sublimi loco constitutus, hunc nihil prorsus officiosum efficiet.

Inter quos uerbũ habitauit.

Considerandum & illud: Habitauit in nobis. Quid enim humilius & abiectius coram mundo ijs inter quos uerbum homo factum habitauit uixit q; ? Cur igitur nobis adeo sæculi fu'gor oculos perstringit, & non malumus uersari apud eos, quibus nos consulere possumus & debemus, atq; eos, à quibus nobis emolumenta speramus ? Profecto fides in Verbũ, naturam & indolem Verbi resipit.

Sed

Sed ne hoc prætercundum. Et uidimus gloriam eius. Viderunt hanc abunde et hostes Christi Iudæi, sed ut odio eius inflammarentur ad sui perniciem, non ut digne susciperent illum, ad sui salutem. Et hinc ergo animaduertendum, ut humilia Deo placeant, displiceant celsa. Liceat itaq; tandem nobis & mundo nihil esse, ut Deo simus, inter quos habitare, suamq; gloriam ad salutem reuelare dignetur. Hic locus cum aliàs, tum in priore ad Corin. cap. primo, & secundo à Paulo tractatur fusius.

Qui ad salutẽ uerbi gloriam uiderunt.

Notandum deniq; & quæ gloria unigeniti fuerit, quã discipuli in Verbo cõtemplati sunt. Splendor enim erat diuinæ bonitatis, quæ in omnibus dictis et factis eius iugiter emicabat, quam & in nobis pro nostra portione, si filij sumus Dei, relucere oportet. Etenim quod in monte transformatus fuit, ut gloriæ eius, clarior quædam extitit reuelatio, ipsa tamen gloria, natura erat bonitatis, sese ubiq; depromentis, id est, exerens se in singulis eius uerbis & gestis, diuinitas.

Testificabatur autem Iohannes de ipso & clamabat dic.

Sect. 5.

PARAPHRA. Sed redeo ad institutũ de Iohan. testimonio narraturus. Cum ergo reuelãdi uerbi tempus adesset, testificabatur ille, atque libere de Domino nostro proclamabat. Hic ille est de quo dicebã, quod prædicatione esset me secuturus, cum tamẽ ante me sit genitus, utiq; ante sæcula, prior enim me est, princeps meus, & caput,

ſicut & omniũ, cũ ſanctorũ tũ prophetarũ. Is etenim eſt, fons omnis boni, de cuius plenitudine et inexhausta abundantia accepimus, quotquot unquã ſanctũ aliquid aut ſalubre, uel ipſi poſſedimus, uel alijs attulimus. Gratia ſiquidẽ ſup gratiam ab ipſo nobis deriuata eſt. Primũ, ab ipſo nobis datus eſt ſpiritus timoris, quo inſtar puerorũ quos coercet adhuc pædagogi metus, ad qualẽcunq; pietatẽ agebamur, deinde et ſpiritus libertatis, quo iam excluſo omni metu liberi et lubẽtes ijs quæ probantur patri ſtudemus. Quid dicã? Quicqd omnino gratiæ, et apud Deũ et homines recte iudicãtes, & ideo ueræ quoq; uirtutis, ulli unq̃ habuerunt, Chriſti Ieſu habuerũt beneficio. Nam et ſi per Moſen lex data ſit, nihil tamẽ per eũ hominibus cõtigit iuſtitiæ, qua uere gratia apud Deũ et diuinos homines, poluiſſent. Hæc gratia, ut et ueritas, hoc eſt, ſyncera ſolidaq; iuſtitia, per Ieſum hũc, indubitatũ Chriſtũ, regẽq; ſaluatorẽ, cõfertur. Per quẽ et Moſcheh ipſe, didicit et accœpit, quicqd ſancti, q̃cquid diuini, quo uel ipſe ornatus fuit, uel erudijt alios, unq̃ habuit. Deũ ſiquidẽ nemo unquã uidit, nemo cũ immenſo, infinito, inacceſſo numine cõgredi potuit mortaliũ, unigenitus dei hic Ieſus, qui in abdito patris ſinu agit, æternũ eius Verbũ, enarrauit, Moſcheh, prophetis reliquis, ac nobis omnibus, quicqd unq̃ de Deo didicimus. Lux enĩ eſt illa uera, quæ illuminat omnẽ hominẽ.

ANNOT. Illud: qui uenit poſt me, cõcorditer omnes de prædicatione intelligunt, de eo autẽ, qui ante me factus eſt, uariatur. Sua quiſq; pbet, qd ego ſecutus ſim, pio lectori,

ctori, penes quẽ iudiciũ ſit, paucis indicabo. Cõſtat ut multa alia noſtrũ Euangeliſtã quæ tamẽ ad uerbi reuelationẽ momẽtũ haudquaq̃ uulgare habuerũt, præterijſſe, ita et ex teſtimonijs Iohan. ea duntaxat memoraſſe, quæ præcipue & luculẽtiſſime Verbi diuinitatẽ exprimunt. Hinc in hoc ipſo, quod hic adduxit, quæq; diuinũ. ineſſe, libenter agnoſco. Quæ enim Euange. de Verbi diuinitate teſtatus eſt, eo uoluit cõprobare. Inducit ergo Iohannẽ, memorantem ut prædixerit, poſt ſe uẽturũ, id eſt, prædicaturũ, qui tamẽ ipſo eſſet infinito maior. Dixerat enim, ut reliqui Euange. omnes memorant, ego baptizo uos aqua, uenit poſt me potentior, cuius nõ ſum dignus corrigiã ſoluere calciamẽti, is baptizabit uos ſpiritu. Id ipſum igitur ſignificabunt et iſta. Ante me factus eſt, prior me eſt & cætera. & hoc quidem ordine.

Dixi aliũ uenturũ poſt me, cui dicto audire uos oporteat, qui et illuſtris futurus ſit, me obſcurato, magnus me imminuto, huius cauſſa eſt, q̃ is longe ante me factus eſt, imo enim fuit, et ſunt omnia per ipſum facta. Etenim licet poſt me prædicaturus ſit, tamen multo me prior eſt, imò primus meus et princeps eſt, ipſe fons omnis ueritatis, gratiæ et ſalutis. Hæc exponit deinceps per ea, quæ ſubijcit. De plenitudine eius accœpimus omnes etc. Nẽq; enim inepte ut cauſſa huius, ante me factus eſt, illud, qa prior me erat, etiam hoc ſenſu ſubiectũ erit. Vtiq; quia prior Iohanne (equidẽ non illubens primus uel princeps legerẽ. quando cõparatio duorũ ſit, Euange. autẽ habeat πρῶτος)

Ante me factus eſt prior me erat.

Verbum erat, necesse fuit, ut & ante Iohannem esset factus. Neq; offendit quod (factus est) potius quã (genitus) Euangelista scripsit, utrunq; enim non nisi metaphoricos Verbo tribuitur. Et Schlomoh formatam atq; constitutam Dei sapientiam dixit Prouerb. 8. Deniq; si prorsus idem utrumq;, & ante me factus est, & prior me, uel primus meus erat, significarent, neq; hoc quicquam præ illo haberet euidentiæ maioris, ut posset ipsius esse probatio, non esset tamẽ πλεονασμὸς ἢ περισσολογία, id est, redundans sermo, Euangelistæ hoc nostro, insolens.

Vtcunq; autem hæc accipiamus, eandem Domini dignitatem, huic nostro significant, quã apud reliquos Euangelist. illud: Fortior uel potentior me est, cuius non sum dignus &c. Et quod illi per baptismum ignis & spiritus exprimere uoluerunt, hic noster, exposuit hic per ista. De cuius plenitudine &c. Spiritus utiq; Dei est, quo solo & gratia & ueritate pollere nobis datur. Hic noster, quo hæc magis explicaret, adiecit collationem cũ Moscheh, et quod ab ipso unigenito, omnis de Deo ueritas tradita sit, quã uel Moscheh, uel alij Dei homines unquam perceperunt.

Plenitudo Christi utiq; est, quod spiritũ absq; mẽsura accepit & dedit ei pater omnia in manus in fra. 3. Gratiã pro gratia, intelligo gratiam super gratiã. Gratia est, qua Deo placemus gratiq; sumus, id nõ fit nisi per spiritũ eius, hũc donat filius. Prior ergo gratia, quã à Verbo accepimus spiritus fuit timoris, quo ueteres qualicunq; pietate uixerunt sub legis pædagogia. Ab homine enim nihil nisi peccatum

Gratia prior, spiritus timoris.

peccatũ & ignoratio Dei est, quibus corã Deo, necessario abominatio quædam est. Hac igitur ceu puerili iustitia p Christũ donati fuimus, cũ adhuc pueri essemus. Altera gratia spiritus est ille liberior, cuius filiorum cõceditur, per quẽ sancta fiducia, Deũ patrẽ inuocamus, qui timoris spiritũ in seruitutem eliminat, quia dilectio foras pellit timorẽ. Profecto gratia, et quidẽ ingens erat, quod uel timore utcunq; Deũ colere, & metu eius, in litera legis, id est, præscriptis eius, citra propriũ spiritus arbitriũ et impulsum ultroneũ atq; lubentem, uiuere populo ueteri datum fuit. Ad Christũ enim sic cõcludebãtur, et ab impietate cohercebãtur. Atqui multo maior gratia fuit, cum libertatis spiritũ suis pater dedit, quo iam ad ipsius uoluntatem animati sancti, libere sponteq; sua, ad ea, quæ iusta, sancta et salutifera sunt, feruntur.

Gratia posterior spiritus libertatis.

Quod uero Moscheh p collationẽ meminit, occupatio quædã est. Moschen enĩ perpetuo Iudæi iactabãt, quanq; ne illi quidẽ crederẽt, ut infra 8. Dominus eis opprobrat. Tribuit ergo Iohan. Mosch. quod eius erat, nempe legem per illũ datã esse, stetit enim inter Dominũ, et filios Israël, ut annũciaret eis uerbũ Domini, ex hac autẽ lege, quibus per Christũ nihil adiectũ præterea fuit, tam abest, ut gratiã in oculis domini inuenissent, q, tantũ rei impietatis facti sint et execrabiles. Execratur enim lex, quotquot non obseruauerint quæ præcipit singula. Hinc est, q, Paul. legem, administrationem mortis et condemnationis uocat, literamq; occidentem.

Collatio Moscheh et Christi.

Quid enim mihi nisi mortẽ et cõdemnationẽ afferret, si quis ita imparet: Numera omnes stellas, et edic nomina earũ, aut morieris. Sic Pet. testatur, q. onus legis neq; ipsi, neq; patres eorũ potuerint portare, ideo in omnes etiam pios ipsa quidẽ, quãlibet sanctè doceret et moneret, ac esset omnino utilis et sancta, administratio tamẽ mortis exti tit, ut sanè et nobis exiſtit. Vt enim p legẽ ad pietatẽ erudi or, ita simul semp peccati cõdemnor. Nunq̃ enim me, qua lem lex requirit deprehẽdo. Eoq̃; ex lege, mors perpetuò mihi intẽtatur. Quod uero, et legi uel in parte obtẽpero, et cõdonandũ mihi spero, quod eam transgrediar, imò q. omnino legẽ mihi obseruandã agnosco, omnia hæc spiritus Christi sunt, qui uiuificat. Huius tã sementẽ quandã, qua donata fuit Ecclesia ueterũ, quã primitias quibus nostra ornatur, uni Christo acceptas referre oportet. Hoc iam est, quod Iohan. testabatur. Gratia et ueritas per Iesum Christũ facta est. Nam sine numine Christi nihil gra ti Deo, nihilq; ueri boni, in ullo unquam esse potuit.

Lex erudit monetq; ad pietatẽ, sed semper simul cõdemnat.

Illud, Deũ nemo uidit unquã, cũ non dubiẽ cũ præcedentibus, quib. annexũ est, suã habere consequentiã, et uideã, satis aperte, Iohan. in hoc suo testimonio uoluisse persuadere, ut Christũ Iudæi quẽadmodũ se ipso, ita et Moscheh maiorẽ agnoscerẽt, uidetur occupationẽ in se habere eius, quod cõtra Christũ Iudæi obijcere solebãt, nẽpe Moscheh uidisse Dominũ, atq; cũ eo. facie ad faciem, ore ad os, fuisse locutũ. Hoc ergo uoluit istis uerbis, Deũ nemo uidit unq̃, reijcere et affirmare Christũ eum esse, qui solus nõ solum Deũ uiderit, sed in sinu quoq; eius sit, id est, in abditiß. et

Infra 9.

intimo Dei, nimirũ, uirtus, sapientia, & æternũ Verbum Dei. Quanquã enim Iaacob uidisse Deũ facie ad faciẽ, Moscheh 32. Et filijs Israël locutus Dominus facie ad faciem, 5. Mosch. 5. Peculiariter autẽ ipsi Moscheh, seruo quo fidũ & certũ magis non habebat in omni domo sua, ore ad os, et in uisione uerba fecisse 4. Mos. 12. legatur, nihilominus eidẽ Moscheh petenti uidere Domini gloriã, Dominus respondit: Non poteris uidere faciẽ meã, quia nõ uidebit me homo et uiuet. Quib. enim Deus se apertiore uel uisu, uel allocutione reuelauit, eos dicit scriptura Deũ, facie ad faciem uidisse, & ore ad os loquentẽ audiuisse, cum tamen ipsam Dei faciẽ propriã uidere, hoc est, plenã diuinitatis cognitionẽ assequi nemo potuerit mortaliũ unquam. Inhabitat enim lucẽ inaccessam. Non potest homo suam ipsius, qua est & uiuit mentẽ peruidere, quomodo igitur uideret Deũ? Cũ maximũ igitur Moscheh Deus uellet beneficiũ præstare, posteriora gloriæ suæ uidere cũ fecit, faciem, in quiebat meam nõ uidebis. Hæc posteriora, hoc gloriæ Dei tergũ, magna utiq; fuit diuinitatis cognitio, at non plena, ut uisio facici, dici meruisset. Demiror autẽ qd sibi uelint, qui hoc loco posteriora, uel tergũ gloriæ Dei, posteriora tempora intelligunt, in quibus facies Dei tecta humanitate, hominum oculis exhibita est.

Quemadmodum itaque Dominus iactantibus Moscheh dedisse Man, dicebat: Nõ dedit Moscheh uobis panẽ de cælo, sed pater meus dat uobis panem de cælo, illum uerum & cæt. ita Iohannes hic tacite apud se iactantibus,

se uelle discipulos esse Moscheh, cũ quo Dominus ore ad os locutus fuisset, quiq; Dominũ facie ad faciẽ uidisset, dixit: Mosche non uidit Deũ, et si plenius eũ multis alijs cognouerit, ipse enim testatur dixisse Dominũ, non uidebit me homo & uiuet. Hic Christus autẽ quem annũcio in cælo est, & apud Deũ, in ipso sinu patris, is patrem Deũ uidet, et cognoscit plenissime. Ab hoc et Moscheh ipse ac quicunq; diuini aliquid unquã uiderunt, perceperunt. Patrẽ siqdẽ nemo nouit nisi filius, et cui uoluerit filius reuelare. Quin hũc unicũ igitur et cælestẽ magistrũ q unus diuina enarrat, agitq; iam inter uos homo, auditis, misso Moschme, et prophetis quibuslibet? Nam si eos, et quicũq; ex dei spiritu unq̃ locuti sunt sancti audieritis, ad illũ cõmunem nostrum doctorem et mediatorem uno ore uos ablegant. Ne ergo offendat uos hominis in eo humilitas, ne à Deo, qui in ipso habitat corporaliter, plenissimo quodã modo, excidatis. Vt ab unigenito omnia semp sancti acceperint & in Sect. 1. huius cap. quædam diximus.

Cæterum quantũ ad significantiã uerborũ attinet, quod ait: Nemo uidit unq̃ Deũ. Perinde est, ac si dixisset, nemo audiuit, quare enarrasse unigenitũ Dei mox subijcit. Sic infra 6. cũ dixisset Christus: Omnis qui audiuit à patre, et discit, uenit ad me, continuo adijcit, non quod quisquam patrem uiderit, nisi qui est à Deo, is uidit patrem. Ita & 1. Mosch. 20 Et populus uidebat uoces.

OBSERVAT. Obseruandum, licet Deus unus omnia doceat, quantopere tamen uelit homines hominibus, ad ueritatis cognitionẽ percipiendã ministrare. Super tot

prophetarum oracula, & ipsam Christi de se, cum uerbis tum operibus testificationem, & ante, & postquam semet ipse proderet, Iohannem quoq; eum suo commendare testimonio oportuit. Cum itaq; uita æterna sit Christum uere agnouisse, relucet mirifice hic diuina dignatio, quæ adeo nihil omisit, quo ille reuelari cognosciq; potuit. Deum patrem ergo hic imitemur, & cooperarij eius esse studeamus, omnia nostra huc referentes, ut Christum Dominum quã plurimi agnoscant, & in ipso æternũ uiuant. Deniq; cum unus sit, de cuius plenitudine, certam gratiam, solidamq; iustitiã omnes electi percipiant, summopere caueamus ne uel nos ipsi uel alij, ad alia deflectant. Euangelizatio per homines non contemnẽda.

Animaduertendum iuxta cum per unum Christũ gratia & ueritas fiat, omnes eos inuisos Deo, & nihil nisi fuos esse, quicunq; Christum non habent, quantalibet sapientia & iustitia uideantur pollere. Sine Christo nihil Deo probatur.

Neq; prætereundum demum, quum diuina unius Dei unigenitus narrat, Christianorũ esse, ut nulli mortalium sese addicant magistro, sed hunc ut omnibus orent, ut quæ stultifera sunt enarret. Deum enim aliorum nemo uidit, nemo audiuit, unde incerta esse oportet, imò falsa, quæcunq; sine numine Christi, de Deo affirmauerint. Conueniebat igitur ut longe modestius, in asseuerando, & alijs præcipiendo, quidam agerent, præsertim cum homo, quamlibet sanctus, non queat nisi plantare & rigare, sit autem, nisi DEVS incrementum donet, inane & frustra utrunq;. Vnus doctor ueritatis Christus.

Sect. 6.

Hoc uero est testimonium Iohannis, quando.

Ne cui uero suspectum sit hoc Iohannis testimonium, tulit illud Domino nostro, nõ in angulo aliquo, aut coram paucis ijsq; humilib. arbitris, neq; tantũ corã credulo uulgo, sed respõdit id graui quoq; et uerẽdæ legationi Hierosolymitanorũ, quæ constabat ex leuitis & sacerdotibus, ijsq; ex laudatißima inter Iudæos secta Pharisæorũ, quæ percontatum quis nam ipse esset, peculiariter ad eum fuerat destinata. His ergo rogantibus quis ipse eßet, an CHRISTVS, Helias, uel alius quispiam propheta, nihil dißimulans, & ingenue ac libere quod res erat confessus, negauit se quidem Christum, Heliam, uel prophetam eße, affirmauit autem uocem eße se clamantem in deserto, ut Domino iam ingressuro uia muniretur, cuius Ieschaiah meminit. Rursus uero rogatus ab eis cur igitur baptizaret, testatus est aqua se duntaxat baptizare, sed inter eos stetiße, quem ignorarent, qui prædicando post ipsum uenturus eßet, ante ipsum tamen factus, eo quod prior ipso eßet, cuius nõ esset ipse dignus soluere corigiã calceamenti, & hunc baptizaturum spiritu sancto. Hæc in Bethabara facta sunt, circa Iordanem, ubi Iohannes baptizabat, aderatq; ideo, ex omni populi Israëlitici regione turba hominum frequentiß.

ANNOTAT. De illo: Confessus est, & non negauit & confessus est, quidam disputant, & ad diuersa referre

referre uolunt, sed præter rationem, cõsueta enim nostro Euãgelistæ περισσολογία, uel πλεονασμός est, ita et Nonnus intellexit. Quod uero negauit se Iohãnes Heliam & prophetam eße, sermoni Christi, qui utrunq; esse illũ affirmauit, nihil pugnat. Credita est nanq; iam olim Iudæis sicut et hodie παλιγγενεσία, id est, iterata generatio, quam & Pythagoras docuit. Ex qua opinione Herodes putabat Iohannem quem decollauerat, in uitam redisse, & IEVM iam uocari, ex eodem errore & uulgi pars Dominum Heliam, pars Ieremiam, aut alium quempiam ex prophetis putabat. Obtinuerat simul apud Iudæos, qui pridem & apud nos error obtinuit, non eße prophetas & sanctos, nisi superioris sæculi. Cum ergo negasset Iohannes se Christum esse, rogabãt eum legati illi, num Helias esset ille Thesbites, uel alius quispiam ex prophetis in uitam hanc rursum reuersus. Suam enim ætatem non credebant dare prophetam. Vtrunq; igitur recte negauit. Et si enim plusquam propheta esset, nempe clarius CHRISTVM prædicans, quam quisquam retro prophetarum, licet etiam spiritu & uirtute uere Helias, sed alter esset, non tamen erat ille ipse Helias, qui raptus fuit in cælũ rediuiuus, aut unusquispiam ex prophetis reliquis, qui uixerant antea, secundum quam opinionem erat interrogatus. Alij hæc aliter interpretantur, sit cuiusq; interpretationis fides apud authorem suum, iudicium penes Ecclesiam.

Qua ratione negauerit Iohannes se esse Heliã & prophetã esse. Mat. 11. Luc. 1.

Quod

Quod uero se uocem Iohannes clamantem adseruit esse, apposite ad prophetæ uaticinium fecit. Vaticinatur enim propheta Ieschaiah 40. unde hic uersiculus desumptus est, de restitutione & salute populi Iudaici, ab exilio Babylonico. Quæ salus cum umbra fuerit, salutis p Christum partæ, sicut semper minus Dei beneficium, admonet maioris, recte ad suam prædicationẽ Iohannes transtulit, quod dictũ est apud uatem, de uoce annũciante libertatem à seruitute Babylonis, et habitaturam rursum Dei gloriam in terra Iehudah, quæ deserta iam erat, & uasta solitudo. Id quo certius cognoscatur, uolo initium uaticinij, cum sequentibus aliquot uersibus hic subscribere. Postquam ergo uates Chizkiah regi exilium Babylonicum cap. 39. prædixisset, ita 40. rursus ad prædicendum bona reuertitur.

Verb. Ieschaiah.

Consolamini inquit, cõsolamini populũ meũ. Loquimini ad animũ Ieraschalaim, renunciate illi quod finitum sit tempus uastitatis eius, condonata iniquitas eius, iamq; satis compensata peccata eius. Vox clare sonans, sternite uiam in deserto Domino, complanate semitam in solitudine Deo nostro. Omnis certe uallis eleuanda, omnis mons & æditior collis humiliandus est, rectumq; quod tortuosum, & planum quod erat saltuosum futurum est. Et reuelabitur gloria Domini, & omnes pariter mortales uidebunt, quod os Domini locutum sit. Vox dicens clama. &c.

His & sequentibus aliquot non paucis uersibus, propheta prædixit, consolandum iterum populum Domini, & Ieru-

& Ieruschalaim læta nuncianda, quia condonatum esset illi peccatum eius, & finita quam sumere de illa Dominus decreuerat, pœna, audiẽdam iam optatam uocem, tũ à Coresch rege, tũ à sanctis quibusdam uiris Iudæorum, ad repetendam regionem Iehuda hortantibus, ut in deserto & solitudine, nempe Ieruschalaim, & Iudæa tam diu desolata, Domino uia paretur, gloriose iterum in medio populi sui habitaturo. Cuius sane aduẽtui nihil prorsus iã queat obsistere, omnia in gratam planitiem coæquatis. Audiendam præterea uocem, quæ ut uanitatem hominũ, ita æternitatem Verbi Dei clarissime prædicet. Euangelizandumq; in æditio monte, Dominum cum robore adfuturum, & suos curaturum, benignissime. Quando ergo infinito uerior & præstantior populi liberatio, & gloriæ Dei apud electos per totũ orbem restitutio facta per Christum est, appositissime se Iohannes hanc uocem esse dixit, qui iam iam adfore glorioso & potenter, illum pastorem & reparatorem saluificum omnium filiorũ Dei, adnunciabat. Hoc nanq; unum ille perpetuo, & ardentissimo studio omnibus auribus insonabat. Ebræa habẽt, parate uiã in deserto, Euãgelistæ aũt locũ hunc citant, ut uocem in deserto clamantem, significent, sed in sensu nihil uariatur. Quem enim in deserto clamasse memorant, utiq; hortatum significant, ut & in deserto uia Domino paretur. Desertum autem hoc, & uasta solitudo, in quam uenturam gloriam Dei Iohannes prædicabat, non Iudæa solum, sed & totus orbis fuit, nusquam enim sub Christi aduentum, gloriæ Dei erat locus. Ad hunc

Sensus uaticinij Ieschaiah.

Vt in aduentum Christi uaticiniũ hoc quadret.

Ad hunc autem modum, pleraq; omnia in Christi regno perfecta, suos in populo ueteri typos habent, quos uetum scriptura proponit, augustioribus ferè uerbis, quam in illis re expressum sit, eos describens, ut mentem spiritus Dei præditam, semper ad sublimiora, & in Christi regno completa pulchre & certo subducat. Verum ubi deest spiritus Dei, ut & reliqua Dei stultitia habentur, ita mirum non est, huiusmodi quoq; à typis ueteris populi, ad regnum Christi transitiones, tanquam incertas & ridiculas repudiari. Imò ut hos fastidiosos & carnaliter sapientes, à mysterijs suis arceret Deus, pauca certe de Christo, & regno eius, sine inuolucris typorum in scriptura sua commemorat.

Hæc uelim fratres perpenderent, quo certius & gratius posſent de citatis ab Apostolis scripturis loqui. Si quis enim hoc loco cõtenderet, nullam aliam unquã fuisse clamantem uocem, de qua sit Ieschaeiah locutus, præter hunc Iohannem, is Iudæis se ipsum propinaret ridendũ, & præterea nihil. Vbi autem concesserit, uocem eam, de qua propheta hic loquitur, & ante hac auditam, quod sit omnino magna populi Dei facta per Cyrum liberatio & salus, tum expendat excutiatq; quæ hic de populi liberatione à uate prædicta sunt singula, facile eiuncet, probabitq; ijs qui non ultro contendere uoluerint, omnia rectius & plenius quadrare in liberationem factam per Christum, cuius illa per Cyrum facta, typus & umbra quædam fuit, eoq; tum demum plene & perfecte uocem, aduenientis

Quomodo cruẽda oracula de Christo.

salutis,

salutis, adnunciatricem sonuisse, quando Iohannes eã æderc cœpit. Idem si & in alijs locis, per Apostolos adductis feceris, & certiora & planiora multa tibi erunt, quam fuerint hactenus longeq; instructior & aduersus Iudæos nostra tueri poteris.

Cæterum dictum hoc: rectã facite uiam Domino, metalepsis est. Nihil enim eo uoluit uel uates uel Iohannes significare, quam scitote iam iã adfore saluatorem, quẽ diu expectastis, mox uidebitis, qui desertum uestrum sit reparaturus, modo aduentat. Per prosopopœiam enĩ & imitationem, ita loquitur, ac si instar regis terreni, ad eos esset uenturus. Sicut enim mox ingressurus rex certo expectatur cui uia iã sterni iubetur, ita fuit populo, illud, parate Domino uiam, mox ad futuri Domini, mouens & efficatior quædam adnunciatio, quam si citra figuram dixisset Dominus iam aderit. Hinc quo certiores redderet eum illi co adfore, neq; obstiturum quicquam, subijcit item figurate, omnis collis eleuabitur &c. id est, complanata erunt omnia, nihil eum remorabitur, glorioſe & magnifice aderit adeo, ut uniuersi mortales ex tam præclara & libera li beneficentia eius uisuri sint, os Domini locutum, salutemq; eam pollicitum esse. Veruntamen quia frustra hic aduẽtus gloriæ Domini annunciatur ijs, qui nullo eius desiderio tenẽtur, apud eiusmodi nihilominus recte uiã Domino præparare dicetur, qui fiduciã sui in illis cõpressuru, suaq; sentire peccata docuerit, in quẽ modũ & ipse in

Parate uiam Domino, figurate dictum.

Matthæum

Matthæum, locum hunc enarraui, sed germanior & purior est eius enarratio, quam hic posui.

Ego baptizo aqua, inabsoluta antithesis est, subijciendum enim fuerat, in medio uestrum stetit, quem nescitis, qui baptizat igni & spiritu sancto, id in uero sequentibus testatur.

Ille post me uenit: Hæc in præcedēti Sect. explicata sunt.

Hæc in Bethabara &c. Hoc quo certius esset testimonium, adiectum est. Et dignum sanè fuit hoc Iohannis testimonium, tam constanter & magnifice primoribus Iudæorum in maxima populi frequentia qui eo loci tum maxim accurrebat responsum, ut diligenter conscriberetur.

Pharisæi, autore Capnione, הפרישי id est, phorschai, tanquam inuestigatores legis dicebantur, quod illi excutiendæ præ alijs Iudæis studerent. Saniora etiam habebāt dogmata, credebant resurrectionē & Angelos esse, quod utrunq; Tzadicai quos Saducæos uocant negant. Act. 23. Errabant autem statuentes libertatem arbitrij. De hijs latius in Matthæum dixi cap. 3. in illud. Cum uidisset autem multos ex pharisæis, & 5. cap. in illud: Nisi abundauerit iustitia uestra.

De baptismo, in sequentem Sect. dicam.

OBSERVAT. Animaduertendum ut personati religiosi, ucræ religioni semper aduersantur. Nam maligno Iudæos misisse animo suos ad Iohannem, nō est dubium. Qui enim quem ob uitam seueriorem Dæmonium habere, calumniati fuerunt, pro Christo suscipere uoluissent?

luissent? Populus quidem cogitabat num forte Christus esset, ut Lucas testatur, at sacerdotes, & primi Hierosolymis qui clauem scientiæ tulerant, & non solum ipsi regnum cælorum auersabantur, sed & arcere cò alios quoque conabantur, eiusmodi cogitationem tam non admittebant, quam dominari plebis ipsi & soli cupiebant. Neq; potuerunt quidem isti Iohanni non aduersari, qui Christo iam infensi erant, ex eodem nanq; spiritu, Iohannes & synceram pietatem docebat, & illorum hypocrisim grauiter admodum, detegebat. Ad uoluntatem Satanæ tenebantur captiui, coq; turbabantur cū de nato Christo tantum leuis rumor allatus esset per Magos, qui igitur nunc tam apertum & simul adeo seuerum Christi, et talis, qualem ipsi minime uolebant, præconem Iohannem æquo animo sustinuissent? Proinde equidem non dubitarim, misisse istos ad Iohannem, interrogatum num Christus, uel Helias aut propheta esset, non ut tale aliquid esse eum sentirent, multo minus, ut horum aliquo nomine eum susciperent, tanti nimirum Euangelij hostes, & durissime ab illo increpiti, uiperæ & serpentes appellati, sed potius ut occasionem ex responsis eius uenarentur, ipsum oppugnandi & persequendi. Id & inde colligi potest, quod cum audissent eum, uocem illam desideratam, instantis iam magnæ redēptionis populi Dei afferre, de redemptione illa, nulla cum eo uerba, quod oportebat salutis huius auidos, communicarunt, sed ilico conuersi ad expostulationem cū eo, obiurgationē q;, rogabant enim cur & qua authoritate

Luc. 3.

Insidiose Iudæi Iohannem quis esset, interrogarunt.

WBP Opole

E

ritate baptizaret, discipulosq; colligeret, cum non esset Christus, Helias aut propheta. Eo nanq; qd' infra 5. Christus Iudæis opprobrat, quod ad horam in luce Iohannis uoluerint exultare, non plus significatur, quam quod Iohannes ad tempus apud multos Iudæorum in precio fuerit, nõ aũt quod unquã primoribus charus, multo minus qd' Christus eis Helias, uel propheta fuerit existimamus.

Etiam coram reprobis adserenda ueritas.

Præterea in Iohanne considerandum est exemplũ grauitatis & constantiæ, qui constanter adeo & ingenue Iudæis respondit, quod nõ tam uerum, quam ingratum illis nouerat. Quo responso tametsi illi peiores euaserint, quia tamen gloriæ Christi & salutis electorũ, non eorum tantum qui tum præsentes aderant, sed & omniũ qui ista legerunt hactenus & legẽt deinceps, id intererat, incontanter & aperte de Euangelio, quod rogantibus odor mortis ad mortem erat, testificatus est, referebat etiam, adimi illis excusationem, de quo supra in Sect. 2. Et nos igitur licet canibus sanctũ, et porcis margaritas, si id nec gloriæ Christi adserendæ, ut uel reprobis adimatur excusationis occasio, interfit, nec ad salutem audientium omnium Christi faciat, nequaquam obijcere debeamus, attamen ubi spiritus monuerit, qui solus fundendi uerbi Dei tempus nouit, ex Euangelij confessione, alterum uel utrunq; expectari, non morabimur qui sint, qui eius confessionem requirunt, sed quid Christi nomen queat illustrare, tum proximos ædificare. Orandum autem diligenter, quando præciosissimum margaritum Verbi, summa cũ observatione

ũatione & cautione dispensandũ sit, ut ita nos pater suo spiritu doceat, & agat, ne unquam carnis affectum, pro impulsione spiritus, sequamur.

Postero die uidit Iohannes Iesum uenientem ad se. Sect. 3.

PARAPHR. Adjecim & alterũ Iohannis de Verbo incarnato testimoniũ, nõ quidem illud responsum principibus Iudæorũ, sed apud promiscuã plebem, et chariss. discipulos suos, nõ tam dictum, quam oblatum, obtrusum, inculcatum. Cupiebat enim electos omnes eo permouere, ut IESVM æternæ uitæ magistrũ, quàm se tantum præconem eius sectari mallent. Cum igitur postridie quã Iudæis de Domino Iesu fuisset testificatus, uideret eũ ad se uenire, uoluntarius testis, imò præco, dixit: En hic ille agnus Dei est, qui tollit peccata mundi, suo omnia sacrificio expiaturus. Hic ille est, de quo dicebã post me ueniet prædicaturus, sed ante me factus est, genitus ante sæcula, quia alius quam ego, et prior me, ac princeps cum meus est, tũ omnium, æternũ Verbum patris. Nemo uero hoc elogium, uel charitati cognationis datũ, uel ab humano corde confictum putet. Quanquam enim cognatus meus sit, haudquaquam tamen ante hac cum de facie noui, quod utique nemini poterit creditu uideri difficile, qui nouerit me in desertis Iudeæ, inter feras, & feris non multum dissimiles, rudes homines à puero uersatum, illum in Galilæa inter fabros operãtem, hactenus delituisse. Cum ergo tam

abeßet, quod gratiæ eius, uel neceßitudine deferre aliquid poßem, ut mihi etiam plane incognitus eßet, Dominus excitit me, & in publicũ pertrusum uoluit, ut aquæ baptismo pœnitentium colligerem Ecclesiam, quæ continuo huic filio suo in sponsam per me adduceretur. Atq; ita ut Israëli hic manifestaretur, ut & unicus saluator agnoscceretur, ego ueni, aquæ baptismate ipsi, non mihi discipulos conscripturus. Hoc autem pacto ipse eum, quem antea nesciebam (sic testificabatur Iohannes) agnoui. Vidi spiritum tanquam columbam à cælo descendentem, & manere super eum. Quod signũ agnoscendi eius à patre qui miserat me ad baptizandũ aqua accœperam. Is enim mihi dixerat, super quem uidisses spiritum descendentem & manentem, cũ esse qui baptizaret spiritu sancto. Hoc ergo eum uidi, testimonium illi, non domesticum sed cæleste, & patris authoritate nixum, perhibeo, & filium illum Dei unigenitum, omniumq; seruatorem eße, palam prædico.

ANNOTAT. Quia filium suum pater in mundum, hominem factum miserat, ut reposita in se, omnis peccati expertem, omnium semel electorũ, peccata morte sua expiaret, hoc enim piaculum, diuina iustitia requisiuit, Iohannes agnũ Dei illum, id est, purißimam simul & gratiß hostiam appellauit, alludens ut uidetur ad uaticinium Ieschaiah 53. quo de sacrificio huius agni, copiose & luculenter prædixit. Hunc uero agnum, affirmat peccata tollere, id est, in se transfata abolere, & mundi, nõ Iudæorum tantũ. Mors enim eius, omniũ semel ut dixi, electorũ

Agnus Dei tollens peccata.

redemptio fuit, id mox à morte eius, uel eo declaratũ est, quod Euãgelion uitæ sparsum fuit in uniuersum mundũ, congregariq;, qui dispersi per orbem erant filij Dei illico cœpium. Quam caussam oblationis Christi, & Euangelista noster infra 11. aßignat.

Id uero pbe notandũ est, ut sciamus quid sanctis, Christi luatio proprie attulerit, ne uel ueteribus, quod Christi habuerunt admamus, ut quidam, uel quod etiam nobis per eam allatum est ignoremus, quod non paucis, multis retro seculis contigisse uidemus. Nunquam enim suis, uel aliorum hominum operibus satisfacere pro peccatis conati fuissent, si una Christi morte pro omniũ peccatis satisfactum agnouissent. Etenim ut facta sunt, & uiuũt per Verbũ omnia, ita illuminauit quoq; ipsum & iustificauit, quotquot de Dei bonitate cõfidentes, peccatorũ unquã remißionem cõsecuti sunt, etiam antequã esset factum caro. Illuminat enim omnẽ hominem uenientẽ in hunc mundũ. At semel tamẽ erat per innocentẽ, & libere in gratã Dei susceptã mortem, diuinæ iustitiæ satisfaciendũ. Eam cũ nemo filiorũ Adam præstare posset, Verbum hoc, ipsum Deum, hominem fieri, & mori pro nobis neceßum fuit. Hoc ergo primum est eorum, quæ noua orbi attulit incarnatio Verbi. Alterũ est inuulgatio Euãgelij ad gentes, cũ antea apud Ebræos dũtaxat publica eßet pietatis doctrina. Tertium, donũ est paracleti, hoc est, uis spiritus potentioris liberioris q;, quã Ecclesia ueterũ, in uniuersum quidem habuit, per quem credẽtibus & cerimoniarũ legis factali-

Quæ attulerit orbi incarnatio Christi.

bertas est. Consummatiore enim doctore corda formante filiorum Dei, facessere debuit pœdagogia externa illa, in elementis mundi sita, & obtinēte iam in mentibus sanctorum, lege spiritus, magistra pietatis plenioris, non fuit necesse ut ad literas, & præcepta externi hominis alligarentur. Legis consummatio dilectio est, quia huc tota scripturæ doctrina spectat, ut bonitate Deo patri reddat nos quam simillimos, quando igitur perfectiorem multo Christi spiritus in cordibus accendit electorum, quam possint uniuersæ legis institutiones, libertas harum credentibus iure facta est. satisq; habetur, ut moneantur, necubi carnis affectus, pro impulsu huius spiritus sequantur, & quo huius gnauiter imperata faciāt, illam ut studeant mortificare.

Hæc Paulus paucis quidem uerbis, sed luculenter admodum scribens Galatis docuit, Christus inquit nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus execratio est, scriptum est enim: Execrabilis omnis qui pendet in ligno, ut in gentes benedictio Abrahæ ueniret per Christum IESVM, ut promissionem spiritus acciperemus per fidem. Vide hic primum satisfactionem, nam ab execratione legis, cui ex se omnes sancti obnoxij sunt, quod nemo unquam fuerit, qui legis omnia præstitisset. Deinde Euangelij lucem gentibus communicatam, qua utiq; benedictio Abrahæ promissa, iustitia scilicet & salus, ad eas peruenit, postremo & promissionem spiritus, utiq; exhibitam locupletius, quam ueteribus. Nam neq; illi sine Christi

5. Mosch. 21.

Christi spiritu fuerunt, quando eius fuerunt, & per eum salui facti sunt. Quapropter confitebimur, eundem habuisse ueteres & Deum, & CHRISTVM, & spiritum sanctum, sed non tam reuelate, non tam opulente, de uniuersa eorum Ecclesia loquor, non de singulis. Habuerunt nanq; aliquot sed paucos, spiritu multis nostrum, incomparabiliter ditiores. Ergo quod ampliore spiritu, & ideo maiore quoque libertate sancti donantur, quod Euangelion omni creaturæ annunciatur, ea sunt, quæ super benignitatem Dei antea orbi perspectam, à CHRISTO exaltato electi perceperunt, fructum & argumētum reconciliationis hominum cū Deo, morte eius perfectæ. De hac & supra nō nihil in Sect. 4. in obseruatione prima.

Egò non cognoscebam eum &c. His aduersari uidetur, quod apud Matthæum legimus agnitum Iohanni Christum, antequam super baptizatum uidisset spiritum sanctum. Confitebatur enim sibi opus esse, ut ab illo baptizaretur. Perpendendum igitur quod Iohannes hic non dixit, sibi ignotum CHRISTVM fuisse, donec columbæ inditio illum agnouerit, sed tantum hoc se signum diuinitus accepisse, quo certus de eo redderetur. Id uidit, & ideo certus factus, alijs eandem ueritatem testificatus fuit. Cui non pugnat, quod spiritu, quo plenus erat, illum nihilominus agnouerit, cum baptismum peteret, antequam ei spiritus in columbæ specie, super eum, uisus esset. Quo nanq; suum elogium certum

Quomodo Christus fuerit Iohanni incognitus.

esse persuadeat, memorat, quam euidenti, & infallibili signo ipse de Domino certus euaserit, tacens secretiorem reuelationem, quæ haudquaquam tantopere fidem testimonio suo apud populum feciſset. Porrò facie tantũ ignotum Christum Iohanni fuisse, antequam ad baptismũ ueniret, crediderim, nam cuius præco extitit antequam uidisset eum, & aliquatenus cognouisse uerisimile est, præsertim spiritu tam plenum. De his fusius in Matth. cap. 3. in illud: At Iohannes prohibebat illum. Post quæ & de eo, quod spiritus sanctus, in columbæ specie super Christũ sedit, aliquid annotaui. Summã enim simplicitatem, atq; charitatẽ uenerat Christus, nõ tam docturus, quã largiturus suis, id columbæ simulacrum indicauit, quo animali nihil & simplicius, & erga pullos suos affectus ardentioris. Indicatum præterea eo fuit IESVM hunc, illũ esse, in cuius persona, apud Iesch. decimo sexto legitur: Spiritus dominatoris DOMINI super me, hac causa unxit me, ad Euangelizandum afflictis misit me, ad curandos, qui sunt corde contrito, ad renunciandum captiuis liberationem &c. Citra modũ enim spiritu Dei bono plenus fuit homo Christus.

Columbæ species.

Porrò de spiritu sancto, quo baptizat CHRISTVS, multis item in tertium cap. Matth. in illud: ego quidem baptizo uos aqua, diserui. Est enim uirtus DEI, omnium uiuificatrix, altrix, fotrix, & consummatrix, cuius solius afflatu fit, ut DEVM & cognoscamus, & amemus, similesq; tandem illi euadamus.

Quid spiritus sanctus.

damus. Hanc exercere uirtutem camq; administrare quibus uult, Christi est, Verbi nimirum, per quod omnia ut condita sunt, ita & moderantur atq; feruntur, sicut habet Epistola ad Heb. quiq; is est, qui gratiam patris à qua hoc donũ uenit morte sua nobis cõparauit. Hinc baptizare spiritu, hoc est, immutare spiritu, ad regnũ cælorum, hominemq; Dei constituere, peculiariter Christo tribuitur, sicut & infra paracletum suis se missurum, sed à patre pollicetur. Patrem tamen simul missurum illum, ibidem adserit, ut quàm unum sit cũ patre declararet. Vnde & Act. 1. eum promissionem patris uocat, Luc. ultim. uirtutem. Est enim hic spiritus uirtus ipsissima Dei. Vnde simpliciter cum uirtutem uocat, cum sedere suos Ierusalẽ iubebat, donec uirtute induerentur ex alto. Deus etenim unus est, neq; esse potest, inter ipsum, Verbum suum & spiritum sanctum hanc salutificam & omnium uiuificatricem uirtutẽ, de qua hic agimus, ullũ substantiæ discrimẽ.

Nomina Sp. S. spiritus, ignis, aqua, digitus Dei, unctio, obsignatio, arra.

Qui iam agnouerit, quicquid sapientiæ, uirtutis, & omnino spiritalis fœcunditatis hominibus contingit, id nõ nisi, hoc ipso cælesti afflatu, quem sanctum spiritum scriptura, propter secretam, sed inuictam, omniaq; superantem uim, appellat, contingere, et non erit obscura ratio, & aliorum, quæ illi scriptura tribuit, nominum. Ea enim hanc uim diuinam, nunc ignem uocat, quia purgat, accendit, et uigorem suppeditat, nunc aquam, quia lauat, recreat, rigat & fœcundat, nunc digitum Dei, quia ipsa uirtus Dei est, nunc unctionẽ, quia diuinis consecrat & adoptat

officijs, nunc σφραγίδα et obsignationẽ, quia eo discernuntur filij Dei, à filijs Diaboli, quiq; eum habuerint in æternum Domini sunt, nunc arram, quia de plena iustitia ac felicitate olim consequenda certificat.

Hæc iam agnoscenti obscurum esse haud poterit, & quid sit, hoc sancto spiritu baptizari. Baptismata Ebræis, sicut & gentibus fuerunt, quædam quasi lustrationes, et ad rem diuinam faciendam initiationes. Iam cum ut nati sumus toti impuri, toti prophani sumus, omni mente nostra ad malum propensa, non iniuria dixit Christus, non uisurum hominem regnum Dei, quod situm est in solida iustitia, certo gaudio, & æterna pace, id est, felicitate, ni si renasceretur, aluscq; & cælestis fieret. Huius initium in animo fieri oportet, quem cum afflat numen Dei, cognitioneq; diuinitatis illustrat, & amore eius accendit, ad uitam Deo dignam, cælorumq; municipatum, ueluti lustratur & initiatur. Quamobrẽ baptizari spiritu, est spiritu sancto donari, quo Christi iam simus, Deum patrẽ inuocemus, et ad gratiã eius uitã comparare nostrã satagamus.

Quid baptizari spiritu.

OBSERVAT. In primis considerandum, ut cupide Iohannes Dominũ Iesum, populo ut unicum saluatorẽ commendarit, imminuiq; ipse quæsierit, ut ille magnus fieret. Similem ardorem in Paulo legimus, qui se non solum obscuratum, sed & anathema esse à Christo optauit, quo Christum tantum plurimi agnoscerent. Hoc animo si omnes præditi essemus, plus synceri Euangelij coruscaret, & minus multo contentionum perstreperet. Fundamentum ante

tum ante omnia, si sapientes architecti esse uolumus, nobis ponendum est, id Christus est, ut animus persuasus sit, hunc se iustum & beatum redditurum, qui & mori pro nostris peccatis dignatus est. Hoc ubi fundamentũ collocatũ fuerit, etiamsi lignum, fœnum et stipula super ædificetur, saluus tamen homo erit, licet per ignem. Quid igitur plus de superstructione, quam de fundamenti collocatione pleriq; soliciti sumus? Et cur quos tenere fundamentum uidemus, etiam si super illud uideantur ædificasse nõ conuenientia, non ut fratres amplectimur? Quis autem dubitet, fundamentũ probe tenere eos, qui Christo omnia sua commiserunt, qui ab ipso omnia expectant, uerbis eius in omnibus fidem habent, & si forte non in omnibus illa intelligant? Quid demum lignum, fœnum & stipula erit, si non falsæ fuerint opiniones, quas tamen homines putent, ad fundamentum Christum pertinere? Iam fit, ut non pauci, eo quod lignum, fœnum & stipulam in fratribus esse credant, quæ sunt aurũ, argentũ & gemmæ, fundamẽtũ illos tenere, nimis temere negẽt, qui sanguine tamẽ suo Christo inædificatos sese comprobant. His indubie si qd Iohan. fuit, studiũ esset, ut omnes nos imminueremur, regnaret uero Christus solus, longe moderatius agerent.

Qui Christum suum agnouerit saluatorẽ illi multa condonanda sunt.

Deinde obseruandum, quod Christus unus is est, qui peccata tollit mundi, qui huic enim testimonio fidẽ habuerit, omnẽ errati ueniã, missis semel omnib. creaturis, ab uno hoc nostro summo põtifice petet, qui unica quoq; propeccatis ppitiatio est, eoq; et unicus mediator, quod unus scilicet

scilicet posſit quæ nos deliquimus, compensare. Homines sancti, ad fidendum Christo, sperandamq; ab ipso peccatorum remißionem atq; purgationem, hortari possunt, credentibusq; peccata uere remissa esse testari, peccata autem ipsi remittere, purgareue, aut etiam fidem in Christum dare uel augere, nõ possunt. Hoc spiritus sancti opus est, eo baptizat unus Christus. Ita in nomine Iesu sancti, fidem hanc, atq; per eam peccatorum liberationem posſunt orare, impetrabunt autem nunquam, nisi spiritus Christi, uolentis quod orant prestare, ad orandum illos instigarit. Adeo est omnis peccatorum satisfactio, expiatio, purgatio, liberatio, unius huius agni Dei, Iesu Christi, unici nostri mediatoris, redemptoris & sanctificatoris. Sancti siue angeli, siue homines, & hi siue cælites siue ad huc terrigenæ, fidem in hunc Dominum nostrum, peccatis liberantem, suadere possunt & orare, tum habentibus eam, remissa esse peccata testari, & præterea nihil. Neq; enim potestatem aliam remittendi peccata Ecclesia habet, quàm spiritum sanctum, is autem credentes in Christum duntaxat peccatis soluit liberosq; pronunciat, quare & Ecclesia, peccata aliter remittere non poterit, quã q̃ credentibus in Christũ remissa esse agnoscit et testatur.

Quomodo Christus peccata tollit, quomodo sancti.

Animaduertendum præterea ex eo, quod Iohannes de se dixit. Sed ut manifestaretur Israëli, propter hoc ego ueni, baptizans in aqua, ad quid nam in Ecclesia Christi baptismus institutus sit, nimirum in hoc solum, ut Christus notus fieret. In Christum enim Iohannes baptizabat, quia hortabatur ut crederent in eum qui post ipsum uenturus erat, id est, Christũ Iesum Acto. 19. Etenim regnum Christi, quod ipsum regnum Dei & cælorum est, proprie situm est, in iustitia, qua mens se Deo dedidit, eiusq; spiritu tota cò rapitur, ut illum bonitate erga proximos exprimat. In gaudio, quo certus de Dei erga se bonitate animus, in ipso semper lætatur. In pace, hoc est, successu rerum, quo Deus omnia in salutem electis suis facit cooperari, ut eor boni omnia consulat, & cum omnibus hilari lubentiq; & beneuolo animo agat. Hæc uirtus illa est in qua regnum Dei situm esse Paulus prædicat, quæ in nulla re externa, sed intra nos, in corde suam sedem habet.

Huius regni filij & ciues ueteres quoq; fuerunt, sed uulgus sanctorum hæc non tam reuelate atq; potenter sensit, quàm sancti recentiores, qui post mortem Christi fuerunt. Spiritus timoris, qui qualicunq; metu Dei illos continebat, primas apud illos obtinebat, eoq; multis etiam externis legibus, ut Dei uoci esse morigeri assuescerent, constringebantur. Post glorificatum autem Christum, non accepimus spiritum seruitutis iterum in timorem Roma. 8. hoc est, non accepimus spiritum, quo tantum timeamus Deum, quemadmodum fiebat, cum sensu pietatis etiam animum pueri, sub pædagogo ad honesta agebamur, magis quàm ducebamur, & ita seruili animo, imperata eius faciebamus, ignorantes quo finc quæq; præciperentur, neque liberam ad ea propensionem sentientes, sed accepimus spiritum adoptionis, quo uere filij Dei constituimur, quo freti

Quid inter sanctos ueteris testamenti, & noui interfit.

quo freti inuocamus Deũ, nomine patris, & impulsi eius amore, libero spiritus arbitrio, omnia nostra eò ordinemus, ut inde utilitatem proximi sentiant. In primis autem ut ad eandem filiorum Dei sortem perueniant, quotquot ad eam destinati sunt, qui minus, ut ij nihilominus externa illa à nobis, dum opus habent, & spiritalia respuunt, beneficia percipiant, sicut & patris bonitas Solem suum illis & imbrem, largitur. Sic animatos esse decebat, quotquot Christo dederunt nomen. Qui enim spiritu Dei aguntur, ij demum filij Dei sunt, & non est Christi, qui spiritum Christi non habet Ro. 8. Iam ubi spiritus ibi libertas 2. Cor. 3 ibi & fructus spiritus, quorũ aliqui Gal. 5. enumerantur.

Spiritus filiorum hic impfectus.

Hunc autẽ spiritũ alij, alijs habent opulentius, nulli tamẽ consummatũ. Dum nanq; hæc caro, hæc inquã natura nostra uiuit, spiritui aduersatur, efficitq; ut quæ spiritu detestamur, nihilominus faciamus. Hinc fit, ut cũ Paulo nemo sanctorũ se apprehẽdisse putet, eorũ autẽ quæ à tergo iã sunt, quæ puerilia fuere elementa, hoc est, rudimẽta et institutiones scilicet in externis rebus sitæ, quæ remote non pxime ad pietatẽ momentũ aliquod adferebãt, obliuiscuntur, et ad ea, quæ à fronte sunt cõtendũt, ut apprehendãt, in quo et apprehensi sunt in Christo Iesu, plenã nimirum Dei dilectionẽ, qua penitus Deo euadant similes, Philp. 3.

Hic uero conatus, hoc studium, opus quidem est spiritus Christi, qui donum est patris, attamen uisum Deo est, ut ipsi huic uerbo doctrinæ & monitionis cooperarij simus. Et

mus. Et uoluit ut sermo Christi inhabitet in nobis, opulente in omni sapientia, ut doceremus & instituremus nos in uicem psalmis, hymnis &c. Coloss. 3. Quo itaq; hoc commode fieret, uoluit arctissimam uitæ inter suos societatem esse, ut alij aliorum membra, uniuersi Ecclesiam uelut corpus unum constituerent. Hanc regnum cælorum in Euangelicis literis uocauit, quia uere spiritualẽ, uereq; cælestẽ uitam ij meditantur, qui coram Deo in hoc suum regnum peruenerunt. Coram hominibus nanque, & sati à Dabolo mala zizania, sese admiscent, qui in fine mundi demum omnes eijcientur.

Propter Ecclesiæ societatem conseruandã, institutæ sunt symbola.

Quo ergo huiusmodi in Domino uitæ societas, ac communio, oportunius inter sanctos haberetur, duo symbola ac uelut sacras tesseras dedit, quorum altero eam auspicaremur, altero subinde instauraremus, ac uelut renouaremus. Illud baptismus est, hoc Eucharistia, utrumq; ex Mosaicis ritibus, quia & ipsa elementa mundi sunt, id est, externa instituta quædã, in quibus pietas sita non est, qualibus Mosaica doctrina fuit referta. Multius sane usus baptismatũ Iudæis fuit, nõ ex lege tantũ, sed etiam ex traditionibus patrũ, ut Marc. 7. legimus. Quotiescunque immundus quis censebatur, Ecclesia populi Dei, nisi baptizato, non patebat, ut tertio Mosaicæ capite decimo tertio et 15. legimus. Sed & totum populum, antequam Dei legem reciperet, lauare oportuit uestes Secũdo Mos. decimo nono. Aaronisq; & filiorum corpora tingi oportebat, cum cõsecrarentur. 2. Mosaicæ 29. & 40. Et in sanctuarium

quod

quod intra uelum erat, non licebat sacerdotibus nisi baptizatis ingredi 3. Moscheh 16.

Ex quibus locis uidemus baptismatum usum, ex lege fuisse, ut illis uelut lustrati Israëlitæ in Ecclesiam Dei admitterentur, & sacerdotes ad faciendam rem diuinam idonei haberentur. Sic ergo cum regnum Dei non pateat, nisi renatis, & lustratis, non aquâ illa uisibili, quæ mentem non contingit, sed aqua & igni cælesti, hoc est, spiritu sancto (prophani enim & impij nascimur omnes, quia filij iræ) & Christianismi susceptio, sit nouæ & cælestis uitæ professio, uoluit Dominus, ut qui in suam Ecclesiam externe reciperentur, antea baptizarentur, coq; significaretur, quicunq; ab ipso alieni sunt, eos impuros & prophanos esse, neq; regni eius municipatum posse consequi, nisi per spiritum sanctum, quem nunc aquam nunc ignem scriptura uocat, lustrentur et mundentur, hoc est, ea mente donentur, ut toti iam uelint in hoc incumbere, ut uetus homo, natura ista ad malum tantum prona, intereat, nouus autem, id est, illa ipsa mens Dei studiosa, quam spiritus Dei in suis format, cottidie incrementum accipiat, & pietate augeatur, donec totus homo innouatus, imagini Christi per omnia respondeat.

Quæ baptismatis significatio.

Hinc baptizatos Paulus ait, in mortem Christi baptizatos, & cum eo sepultos, item ipsum induisse. Baptismo enim in Christi Ecclesiam recipimur, hoc est, in eorum gregem, pro quibus Christus est mortuus, ut & ipsi sibi moriantur, uiuant autem ei, qui pro omnibus mortuus est & re-

& resurrexit, moriantur peccato, uiuant Deo, in nouitate uitæ ambulantes. Quod totum, opus spiritus Christi est, cui consecrantur qui baptizantur, qui etiam quos apprehenderit, non deserit, donec conformes reddat imagini Christi, uti is nequaquam solus, sed inter multos fratres primogenitus sit. Proinde cum Christi esse, & ideo hoc spiritu eius innouandos speremus, qui per baptismum in Ecclesiam recipiũtur, recte dixit Paulus, in mortem Christi eos baptizari, & cum illo per baptismum sepeliri, illumq; deniq; induere. Qui enim electi sunt, hæc omnino olim consequentur, de reprobis hœdis, qui dum hic peregrinamur, ouibus semper admisti sunt, non fuit ratio, ut Apostolus mentionem faceret, cum scriberet ijs, quos ut esse filios Dei credebat, ita ut digne sua uocatione ambularent, uoluit monere.

Vnde baptis. Christi.

Quemadmodum igitur qui Christo à patre donati sunt, ante iacta mundi fundamenta in hoc, ut Christo olim similes euadant, electi & à reliquo mundo segregati sunt, ita præ se ferre, hoc ipsum eos agentes etiamnum in hoc sæculo addecet, eaq; caussa, arctiss. uitæ inter se communionẽ, tanquam membra uniius corporis habere, & quodlibet membrum iuxta sibi admẽsuratum actum, hoc est, spiritus facultatem, incrementum corporis facere, ipsumq; ædificare, id est, conferre in medium quo meliores fratres reddi queant oportet. Hinc itaque est, quod Caput huius corporis, Christus, dat alios Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios doctores & pastores, alijsue spi-

 ritus do-

ritu dotibus instructos. Nam quicquid huius donat, ad communem Ecclesiæ suæ utilitatem donat, ut per assiduam doctrinam, & admonitionem, sancti instaurentur, & illa quæ corpus suum est incrementum sumat, donec perueniamus omnes in unitatem fidei & agnitionis ipsius filij Dei, & demum uirum adultæ ætatis Christi referamus, adolescentes in eum ipsum per omnia, qui est caput Ephes. quarto.

Hanc itaq; uitæ æternæ societatem, muniaipatumq; cælestem, ritu aliquo solenni auspicari, & uelut in regnũ Dei inaugurari nos Domino placuit. Desumpsit ergo ex innumeris symbolis et ritib. ueteris populi, Baptisma, ritũ qui & minimi negotij, & maxime uulgaris esset, haberet autem ἀντίτυπον & admonitoriam similitudinem eius, quo uere & coram Deo societas illa, & municipatus consistit, id est, spiritus sancti. Hic enim unctio est, & uera in regnum cælorum inauguratio, tessara & σφρά-γις atq; obsignatio, qua filijs Dei adnumeramur, quæ à mundo subducit, lustrat, purgat & nouos ac cælo dignos efficit. Vnde Paulus: In uno spiritu, in unum corpus baptizati sumus, siue Iudæi siue Græci, siue serui siue liberi, & omnes unum spiritum hausimus, quod more suo de ijs qui uere Christiani, non hypocritæ erant, scripsit. Ex his iam abunde liquere potest quid nam baptismus aquæ sit. Solennis numirum in regnum cælorum, id est, Ecclesiam hic etiamnum peregrinantem, inauguratio, qua significatur, ut quis uere ciuis sit cælorũ, opus esse, ut spiritu

Baptismo aquæ in externã Dei Ecclesiã, bapt. spiritus in internam recipimur.

ritu sancto per Christum lustretur, & initietur, quo sibi totus moriatur, uiuat autem Deo.

Per Iohannem hunc ritum Dominus introduci primũ uoluit, quia primus ciues huic regno Christi, Euangelio conscripsit. Christus ipse non baptizabat aqua, quod spiritus baptismus et proprius sit, & inauguratio per baptismum aquæ, ad eam societatem proprie faciat, quã sancti inter se in hac uita habent externam, unde decebat, ut ipsi se mutuo in eam reciperent. Cœpit itaque hic ritus baptismo in Ecclesiam Christi, homines recipiendi, per Iohannem, deductus est per Apostolos, & apostolicos uiros usque ad nos. Neque adultos solum, qui fidem Christi palàm confiterentur, sed & horum infantes ac pueros eti am Apostoli baptismo in Christi Ecclesiam receperunt. Nam Orgenes testatur, hanc traditionem ab Apostolis Ecclesiæ commendatam. Et iure quidem. Non enim potest homo, uel hæc uel alia, prudentius Deo disponere, is autem mox natos infantes sibi conscerari, & in externam Ecclesiam cooptari suam, ueteri populo sanctiss. præcepit, coq; declarauit, quanta cura & solicitudine uelit nos dare operam, ut in Ecclesiam suam, ubi pietas docetur, & ipsius bonitas prædicatur, plurimi ueniant. Vnde non solum ex semine Israëlitico natos, sed quorumcunque potestatem haberent, etiam alienigenarum, siue nati eis domi essent, siue nuper argento comparati, mandauerat circumcidi. Moscheh 17. Quod igitur tantopere Deus olim exegit, non modo nunc ipsi non displicebit,

Bapt. per Iohannem cœpit.

Infantes et Apostoli baptizarunt.

ſed erit longe gratiſs. quia utiliſsimum. Qui enim non utiliſsimũ eſſet, à cunabulis, in populo Dei uerſari, Deóque dicatum eſſe?

Certe Chriſto id adeo probabatur, ut arcẽtibus à ſe pueros diſcipulis ſerio indignaretur. Exiſtimabant enim illi cum infantes qui apportabantur, percipere uitæ doctrinã nõ poſſent, ſine cauſſa Domino eos offerri. Sed quid ſapientia Dei Chriſtus? Sinite paruulos uenire ad me, & nolite eos prohibere, talium enim eſt regnũ cælorum, à quo pueri tam non debent arceri, ut nemo poſſit in illud recipi, qui non euaſerit puero ſimilis, nihil ſibi uel ſapientiæ, uel iuſtitiæ arrogans. Etenim ut declararet ſe non de ſimilibus tantum pueris, ſed de ipſis pueris quoq; locutum, oblatos puellos accœpit in ulnas, amplexatus fuit, atq; impoſitis manibus benedixit. Vide, indignatus fuit, quod diſcipuli, pueros repulisſent, tanquam doctrinæ Chriſti non capaces, iuſſit eos ſibi adduci, & prohiberi uetuit. Rationem uero cur hoc uellet, ſubiecit, talium eſt regnum cælorum. Si iam hæc ratio quadrat, neceſſe eſt, ut fateamur, regnum cælorum ipſis pueris aſsignatum. Si nãq; regi alicui offerrentur eruditi, & ſatellites repellerent eos, rex autem indignatus diceret, ſinite eruditos uenire ad me, talium enim eſt regnum meum, & qui non fuerit ut eruditus, non erit particeps regni mei. Quis auderet hic dicere, rex nõ uoluit eruditis ſuum regnum aſsignare, ſed tantum eruditis ſimilibus?

Sinite paruulos uenire ad me.

Sicut pater ergo, ita & Chriſtus in regnum ſuum pueros recipi

ros recipi uoluit. Saluator enim omnium eſt, etiam puerorum, imò pueri eo ad ipſius regnum magis idonei ſunt, quod tantum ab ipſo fingi, non etiam ipſi per ſe eſſe aut ſapere aliquid poſſunt. Niſi igitur iram & indignationem Domini in nos prouocare uolumus, pueros ipſi & adducere, & adductos in regnũ ipſius recipere debemus. Sunt quidem ſæpe inter pueros reprobi, id autem dum nobis nõ conſtat, nihilominus populo Dei accenſere illos debemus, ſatis tempeſtiue rurſum electuri eos, cum malis fructibus ſuis, qui ſint, & nobis palam fecerint. Regnum enim cælorum, ſimile eſt agro in quo & zizania cum tritico naſcuntur, & ſagenæ tactæ in mare, ac malos cum bonis, piſces concludenti, nuptijs deniq;, in quibus & carentes ornatu nuptijs digno, recumbunt, deniq; ſunt in regno cælorum, qui legem Dei ſoluunt & ſoluere docent, ſed minimi in eo habentur. Quid? Si etiam ſolos adultos, baptizemus, multos nihilominus hœdos in ouile Chriſti admitteremus. Nõminus olim atque nunc Deus è medio Eccleſiæ ſuæ malos eijci uoluit, præſertim cum id pluribus quàm tempore Euangelij præceperit, nihilominus uoluit Dominus Iudæos fretos eo, quod cum ipſis & ſemine eorum fœdus pepigiſſet, ſingulos infantes, non tantum ex ipſis natos, ſed & quomodolibet in poteſtate ipſorum conſtitutos, ſibi initiari ſymbolo, quod nihilo minoris fuit, quàm ſit baptiſmus, æque enim ut hic mortificationem carnis uitæq; nouitatem ſignificabat.

Baptizatio paruulorũ reijci ex eo nõ poteſt, quod contingat baptizari hœdos.

Ex eo autem triplex fructus peruenicbat. Primus

perueniebat ad omnes, admonebantur enim eo DEVM etiam puerorum saluatorem esse. Quot enim infra eam ætatem moriuntur, qua agnoscere & confiteri, D E I gratiam queant, quos tamen D E V S, ob sanguinem filij sui, multo ad saluandum, quàm fuerit noxa Adæ ad perdendum, potentioris, indubie saluat? Hanc igitur suam bonitatem commendari populo eo uoluit, quod in fœdus suũ iuberet recipi, etiam recens natos. Alter fructus ad parentes redibat, ac quoslibet puerorum propinquos, inuitabantur enim illi ea obseruatione, ut tanto diligentius ad pietatem educarent, quos D E O consecrassent, meritoque iam non ut suos sed D E I filios agnoscerent. Quos etiam considerata hæc D E I erga pueros quos suo fœdere dignabatur misericordia, faciles, alacres, & studiosos reddebat, quibuslibet officijs, sanctos iam pueros demereri. Tertius fructus ad pueros redibat, quibus multam ad D E I cognitionem, pietatemque, occasionem præbebat, ei populo accensis esse, & inter eos à puero uersari, inter quos uerbi D E I prædicatio cultúsque uigebat. Cum lacte enim reuerentiam Dei imbibebant, quo factum quoque fuit, ut quanquam non raro principes & populi maior pars ad idololatriã deficerent, qualiscunque tamen metus D E I uerbique eius obseruatio, in populo maneret reliqua. Vnde non paulò facilius prophetæ, ad resipiscentiam populum reuocabant, quàm si metus ille qualiscunque & reuerentia uerbi in populo exoleuisset, exoleuisset autem, si non ab infantia fœdus D E I illis fuisset inculcatum. Et no-

Quos fructus, infantes in Ecclesiã recipere, adscrat.

Et nobis quoque insigniter utile fuit, quod in qualemcunque Ecclesiam, à cunis omnis populus noster coptatus fuit, sic uel aliqua de Christo opinio, & sacrorum librorum hæsit existimatio, quibus factum est, ut redeunti nuper Euangelij puritati, ampla satis fenestra patuerit. Quæ patere haud potuisset, si nulla sacræ scripturæ ratio à populo fuisset habita, id quod indubie esset factum, si Christiani nomẽ sibi uulgo uendicare non fuissent ausi. Sensim cum nomine, ita ut per Syriam, Asiã, Græciã, & alias regiones, quibus principes dominantur, lue Mahometana infecti, factum uidemus, & doctrinæ Christi æstimatio euanuisset, & fuisset pridem Euangeliorum et eorum quæ Apostoli scripta reliquerunt, ea apud nostros authoritas, quæ & apud Turcos.

Vtilitas pædobaptismi.

Porrò ritum hunc, iam inde ab eo quod populum Deus in terris habere cœpit, ex Dei præcepto obseruatum, & à CHRISTO tam grauiter confirmatum, tam utilem totq; nominibus, sicut omnia quæ D E V S instituit certum fructum afferunt, conuellere conati sunt homines quidam pernitiosi errantes, id quod pleráque non tam absurda, quàm pestilentia eorum dogmata abunde probarunt. Mitto enim quæ pauciores inters eos confinxerũt, et dogmatizant. Spritũ Dei, & legẽ illã, quã Deus suis promisit in corda sc inscripturũ, esse lumẽ naturæ in uniuersum omnib. mortalib. cõmune, peccatũ fãlsam dũtaxat et in omnibus spiritibus olim euanituram opinionem scriptu-

Quales hostes pædobaptismi.

ram impijs duntaxat, pijs uisiones quibus doceantur, daſtinatas, nullos eſſe dæmones, & Chriſtum fuiſſe ullum, qui primis parentibus impoſuit ſerpentem, Chriſtū in carne ſua habuiſſe peccatū, diē extremū poſt ſex, alij, poſt duos annos futurum, & id genus alia, uel ea, quæ æditis libris communi omnium ſententia profeſſi ſunt, facile indicant, quo agantur ſpiritu. Chriſtianū non poſſe gerere magiſtratum, neque imperāti arma, quamlibet licita parere, aut iuſiurandum facere, non poſſe uerbum Dei doceri in templis idolis conſpurcatis, eos qui rebaptiſmum illorum cum enumeratis dogmatis non recipiunt, eſſe uitandos. Cum interim quamlibet ſceleratis, modo eorum dogmata non impugnent, amicis utantur. Munzeri cruētam ſeditionem, item quod quidam in Oppido S. Galli, fratri ſuo caput amputauit, cum dixiſſet, ita patrem, ſic enim de Deo loquuntur, uoluiſſe, pauci inter eos dānent. Nuper Bernæ andiui qui aſſererent, ſe abſq; peccato eße. Quam inſaniam ſibi perſuaſerunt alij, & teſtari uolentes ſe in ſtatum innocentiæ reſtitutos, nudi in domibus conſederunt uiri & mulieres, nudi de domo in domum tranſierunt. Quidam etiam eò prolapſi ſunt, ut ſororum carnes peterent, concumbenteſque cum eis, aſſerent nihil eſſe peccati, carnis tantum eſſe opus, non ſpiritus. Horum facinorum oculati uiuunt teſtes apud S. Gallum, & in uicis regionis Heluetiorum, quam Cellam Abbatis uocant.

Huiuſmodi

Huiuſmodi ſunt qui pædobaptiſmum execrabilem dixerunt, & ſic rebaptiſmum multis perſuaſerunt, quos eo ſibi, ad multa impia reddiderunt obnoxios. Præcipuæ aūt rationes quibus pædobaptiſmum reijcere conantur ſunt, Chriſtum miſiße Apoſtolos ſuos docere & inde baptizare, ſic & obſeruaße eos. Deinde baptiſmum eße, ſymbolum mortificationis, cuius ſint pueri expertes. Poſtremo non poße excommunicationem in Eccleſiam reduci, niſi ſi baptizentur, qui ſcientes iugo Chriſti collum ſubmittant. Adhæc ſæpe illis reſponſum eſt Matth. ult. quem locum unice urgent, nihil de tempore baptiſmi præceptum eße, aut ne pueri baptizarentur uetitum, ſed datum Apoſtolis mandatum, ut & gentibus iam Euangelion prædicarent, easq; baptiſmo in Eccleſiam Chriſti reciperent, quod in prima legatione eos Chriſtus prohibuerat. Tum & circunciſionem fuiße ſymbolum mortificationis, carnis, ex Dei tamen inſtituto datam pueris, illam nondum potentibus meditari, ſic dandum & baptiſmum eße. Hanc enim mortificationem opus eße, non adulti hominis, ſed ſpiritus Dei, quem Chriſtus, quibus pater deſtinauit, donat, nulla aduocat oris confeßio. Hinc igitur & infantium ſaluatori, infantes nos per baptiſmum offerre, quos ille aliter nequit reddere ſaluos, quam ſi baptizet ſpiritu, & renouet, id quod aquæ baptiſmus ſignificat. Deniq; excommunicationem ſpiritu feruenti ſtudij Dei, & dilectionis fratrum reſtitui poße, non autem baptiſmo adultorum, neq; enim eſſe hominis proponentis, aut

Quæ argumenta Catabaptiſtarum.

promittentis, sed Dei miserentis. Sed hominibus istis, tantum sua placent.

Ad nostra respondent nihil ad nos attinere, ritum circuncisionis, nos perfectiorem & aliam legem à Christo accepisse. Verum eo declarant, se nescire Christi legem esse, spiritum sanctum immissum cordibus, quo sancti ad quæq; iusta & honesta ultronei ducuntur, & baptismi usum, ut elementum mundi est, non aliunde rectius peti, quam à Mosceh huiusmodi externorum proprio doctore, ac uelut elementario quodam præceptore.

Sanctorum pædobaptismi aduersariorum rationes.

Sunt autem qui erroribus quos memoraui Catabaptistarum non consentiunt, & summam fidei recte tenent. attamen pœdobaptismum auersantur. Ii dicũt quod Deus eo quod infantes ad Ebræos quomodolibet pertinẽtes, recipi per circuncisionem in suum fœdus uoluerit, significarit & portenderit, omnes electos & spirituales pueros in fœdus suum admittendos, circuncisos spiritu, qui unica sit diuini fœderis tessera. Nos non debere in nostram Ecclesiam recipere, nisi qui fructibus hoc se spiritu præditos declararint, ne hædos admisceamus ouibus, & regnũ Christi, quod regnum reuelationis, cognitionis & confessionis Dei est, dehonestemus, cooptando illi, qui nihil dum spiritus præ se ferant. Addunt sententiæ suæ hanc confirmationem, quæcunq; Israeli ueteri acciderunt, accidisse in figura, sic sabbathum illorũ, spiritualis sabbathi umbram fuisse, regnũ Dauid, regni Christi, sacerdotium Aharonis, sacerdotij Christi, ita & circuncisionẽ carnis, circũcisionis spiritus. Vt igitur sabbathũ externũ, carnale regnum & sacerdotiũ abolita sunt, & carnalib. spiritualia successerunt, ita & circũcisionem abolitam esse, eiq; succesisse spiritualẽ, ac deniq; in locum circunciso rũ infantiũ, infantes uenisse ætatis Christi. Hinc uero fortissime probasse se putant nobis ritum illum, infantes in nostra potestate constitutos, exemplo ueteris Israëlis promiscue in Ecclesiam recipiendi, haudquaquam imitabilem esse.

Omnia in figura illis cõtigerũt, explicatur.

Hos ego, & quibuscunq; huius cõmenti sui illi fidem fecerunt, moneo & hortor, ut carnis mentem, à motu spiritus probe discernant, attendantq;, ne supra quam par sit sibi fidant. Suum cuiq; natura pulchrum est, ubi quis aduersatur, redditur pulchrius. Nouitatis gratia etiam ualde insidiosa est. Excutiam simpliciter, quibus nituntur, Dominus det suis uidere, quæ sua, quæq; sint carnis. Quod ἀλληγορικὸν fundamenti loco ponunt, Israëli in figura omnia contigisse, & uideri uolunt ex Paulo 1. Cor. 10. mutuatum, uelim rectis intuetãtur oculis. Memorat illic Paulus Ebræos olim usu beneficiorum Dei externo, omnes æquatos, postea nihilominus punitos qui illis exiterant ingrati. Hæc tũ inquit nobis typi facta sunt, ne essemus concupiscentes malorum &c. Narratisq; aliquot in populum transgressorem diuinis animaduersionibus, iterum subijcit. Hæc omnia acciderunt illis typi, hoc est, sic ut sint nobis typi & exempla, in quos fines sæculorum peruenerunt, unde scripta affirmat propter nostram correctionem.

Hunc

Hunc iam perpende locum, qui nondum satur es sapientiæ, & discere aliquid sustines, uidebis q̃ plane pro nobis eum facere, & nequaquam pro aduersarijs illis nostris sanioribus. Illi istud: omnia in figura contigerunt, eò rapiunt, quasi moneat illo Paulus, quæcunq; illis externa acciderunt, spiritualium fuisse antitypa, & exemplaria quædam, sicut sacerdotium illorum corporale figura fuit nostri spiritualis, regnum illorum terrenum, nostri cælestis, hæc enim ipsi exempla adducunt. At si uolumus ad hunc modum & ea, quæ citato loco Paulus memorat, exponere, argumentationem Pauli reddemus ineptam & per se quoq; absurdum erit. Neq; enim Apostolus eo loci Corinthios conatur à spirituali idololatria, sed à nimio ethnicorum, et externæ idololatriæ commertio reuocare. Commodũ igitur obijcit intuendũ Israëlem carnalem, qui licet in mari rubro per columnam nubis Moschen fuisset baptizatus, panem ederet de cælo deplutũ, aquam biberet de petra miraculo excussam, attamen ubi ingrati cibos Aegyptiorum concupiscerent, ubi erecto uitulo idololatriam admitterent, ubi cum Midianitarum mulieribus fornicarentur, ubi Dominum tentarent, ubi murmurarent, senserunt ultionem Dei, & prostrati fuere in deserto. Et monet hæc nobis exempla in illis ædita, quo terruit Corinthios ne peccatis illorum uellent affines esse, ne & ultioni, quam illi experti sunt, affines redderentur. Non facit autem ex idololatria illorum fornicatione, tentatione &

ne & murmure, spiritualia, sicut neq; ex ultionibus. Simpliciter monet, quæ acciderint illis peccantibus, quæ deterrere nos debeant, ut quorum ultionis exempla expauescimus, & transgressionum exempla abominemur. Delegit nanq; sibi hunc populum Deus, in quo omnibus gentibus & sæculis gratiæ & iræ suæ, mirabiliumq; iudiciorum suorum formam deliniaret, & exempla ederet, è quibus electi, ipsius super se mirificam bonitatem cognoscere, et ad omnem pietatem formari, commodissime possent.

Nos igitur Paulum hic sequentes, cum sciamus in illo populo typos ædidisse Deum, quibus quid sibi placeret quid secus declararit, oculos in typos illos conijcimus, uidemusq; ipsi placuisse, ut à puero, quotquot in populi sui potestate erant, in Ecclesiam suam, scholam uerbi sui reciperentur, displicuisse autem summe, si id fuisset præteritum. Atq; ideo & nos cũ Dei populus simus, quoscunq; in nostra potestate habemus, ut efferamus ei per nostrũ initiale signũ, præterire tã nolumus, quam ipsius institutum contemnere, & ei displicere, minitataq; ultionem expectare.

Si quis hic obijciat, uidetis etiam placuisse illi, ut multas ferias, sacrificia, & id genus alia, populus suus obseruaret, num iam & uos illa obseruabitis? Respondeo, libertas nobis spiritus, omnia ad Ecclesiæ utilitatem admoderantis facta est, ideo quid in unaquaq; cerimonia ædificationis & nobis esse qucat, id amplectimur, tanquam

rerum

Quatenus exempla ueterũ imitabilia.

rerum illarum nucleum, reliqua quæ suo tantum tempore, ob maiorem populi ruditatem utilia fuere missa facimus, tanquam testã. Sic utile ueteribus fuit, ut festa, sacrificia, singulas cerimonias legis ad unguem, ut præscriptæ fuere obseruarẽt, quo si nihil aliud, saltem discerẽt iuxta uocẽ Domini in omnibus uiuere, et humana minime sectari. Id uero nobis non esset utile, obscuraret enim gratiam Christi, qua nobis contigit amplior & uirilior spiritus, quam ut pædagogia huiusmodi elementorum mundi indigeamus. At ut subinde conueniamus tamen, & Verbi Dei tractatione in pietatis studio confirmemur, tum communicatione panis atq; calicis, sacrificij Christi, quod cũ absoluerit omnia, cunctã sacrificãdi occasionem ademit, memoriam celebremus, atq; religionis fœdus cum fratribus uelut renouemus, momentum ad profectum pietatis haud modicum habet. Non id ex se quidem, illa enim opus solius spiritus sancti est, sed quia Deus hunc obseruarior dinem, & ad opus suum & nos, sed suo actos spiritu, adhibere cooperarios hactenus decreuit.

Quatenus itaq; inter nos & ueteres similitudo, & paritas quædã est, quod ut illi, & nos in fide uiuimus, te admonitione externi uerbi in cognitione Dei crescimus, hactenus typum & exemplum cõueniendi ad Verbi Dei doctrinam in illis exhibitum, nobis imitabile ducimus. Sic in circuncisione, quod octauo die, & maribus tantum adhibebatur, missum facimus, illud quia indignum esset libero nostro spiritu alligari certo tempori, hoc quia conue-

nit signo

nit signo initiatiuo testari in CHRISTO neq; marem nec fœminam, sed tantum nouam creaturam æstimari, quia autem experti sumus, ut utile ad pietatem, ita & Deo gratum ab incunabilis, ipsi nostros liberos offerre, hoc tanquam nucleum in obseruatione circuncisionis nobis desumimus, reliqua cum seruiliora sint, quam deceant regnum CHRISTI, maxime liberum, tanquam testam abijcimus. Verum in hoc delectu, non nostram rationem, sed Verbum Christi sequimur, qui ideo iussit infantes, τὰ βρέφη enim habet Lucas, sibi adferri, quod talium sit regnum cælorum, id est, Ecclesiæ eius. In quam magnifice admodum amplexando, manus imponendo & benedicendo, oblatos sibi pueros ipse recepit, eo ædens exemplum, ut nemo qui nolit eum sibi indignari, repellere ab eius Ecclesia pueros debeat.

His conuicti Catabaptistæ quidam cõcedunt nobis, ut in Ecclesiam pueros recipiamus, sed non per baptismum, eo quod Christus oblatos pueros, neq; baptizarit ipse, neq; iusserit baptizari ab alijs. Sed ista obiectione ostendunt, neq; tenere se, quam late patcat libertas Christi, neque quis sit baptismi usus. Cum Paulus dicat in unum corpus nos baptizari, certe quibus conceditur de corpore Christi esse, ut isti infantibus concedunt, illis negare baptismum non possunt. Quos utiq; CHRISTVS benedicit, et amplexu inter suos, agnoscit, ijs donabit quoque & peccatis mori, uiuere iustitiæ, huiusmodi sepulti

cum

cum Christo iam sunt, ideo cum signatũ baptismi habeant, signum quis sanæ mentis illis negabit?

Falsa loci huius simile parvulos &c. interpretatio confutatur.

Saniores ergo illi hunc locum Euangelicum, extorquere nobis cõtendunt, negãtes in Ecclesiã pueros recipiendos, coq; dicũt, quicquid Christus cũ oblatis pueris gesserit, nõ in hoc gessisse, quod uel eos, uel altos carne pueros tanti fecerit, aut quicquã eis per ea tribuere uoluerit, sed in illis tanquam typo uoluerit declarare quam charos habeat spiritales, id est, malitia pueros. Verũ isti non perpendunt, quam indignum sit Christo hoc commentum. Qui pueros benedicendos Christo offerebant, admitti in gregem eius illos petebant, & scilicet fefellisset hos summa ueritas, simulans in hos affectum, quem haberet tantum ad pueros spiritus? Ergo non potuit indicare, quam charos habeat pueris simplicitate similes, nisi falso præ se ferendo charitatẽ erga pueros oblatos? Iusta certe fuisset caussa succensendi discipulis, qui pueros repulerant, tanquam indignos regno eius, quod regnum est reuelationis & cognitionis, si uere pueri ad regnum eius non pertinerent. Vtiq; pueros innocentia illi à Christo nolebant repellere, cum ætate infantes repellebant.

Pro commenti huius sui confirmatione afferunt, quod Christus subiecit: Amen dico uobis, quicunq; non acceperit regnum Dei tanquam puer, hauquaquam ingredietur in illud. Quo tamen Christus, quam charos haberet infantes declarauit Qu. d. Vos arcendos putatis à me infantes? Tam non sunt à meo regno arcendi pueri, ut nemo.

Vere

Vere in regnum Dei, hoc est, gregem meum recipi possit, qui in illud non ut puer fuerit ingressus, nihil sibi ipsi arrogans, atq; à mea dignatione penitus pendens, ut isti sunt infantes. Hinc disce Christiane lector, quam nocens sit res, suo niti spiritu, uertant se isti in omnia, quid possũt tamen ex hoc dicto colligere, quam accipere aliquos regnum Dei, non sicut pueros, id est, dare quosdam nomen Christo, sine plena sui abnegatione, & hos non ingredi in regnum Dei, id est, non esse uere atq; corã Deo Christianos, quosdam autem sicut pueros, penitus sese abnegãtes illud recipere, & eos uere in illud & coram Deo ingredi. Dixit talium est regnum cælorum, ut ostenderet oblatos pueros à se non arcendos, utq; id magis testaretur, etiam amplexatus eos fuit atq; benedixit, & scilicet quia uere filij Dei non sunt, nisi qui se simplicitate & abnegatione sui, pueris fecerint adsimiles, aliò illud (talium) referemus? Vide quid ualeat inuente sui amor.

Nihilo firmius est & alterum, quo uel solo uictoriam sibi pollicentur. Quæ præcepta fuere ueteribus, figuræ fuerunt, hæ euanescunt præsente corpore, ergo nihil ad nos adoptio puerorum in Ecclesiam Dei per circuncisionem. Figurauit enim illa adoptionem puerorũ malitia, & ij apud nos, pueris carnis apud Iudæos successerunt. Colligã enim eodẽ modo, quæ de bonitate Dei et pietate prædicauit Moschch populo, figura fuit, doctrinæ spiritus in cordibus, iam est regnũ CHRISTI, missus spiritus est, facessat igitur omnis externa doctrina. Si possent isti

Triplex ætas populi Dei.

sent isti doceri, monerem eos, ut animaduerterent ex Paulo, triplicem esse ætatẽ populi Dei, pueritia formata est ut par erat multis cerimonijs, adiectis externo Verbo, plene uirilis ætas ista omnia missa faciet, tum enim cum aduenerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. At media ætas quæ Euangelij Verbo regitur, ut spiritualior est, quam pueritia, ita non est tota spiritualis, ut erit ætas plene uirilis, uita cælestis, igitur Verbo externo utitur, & huius causa externa quoq; societate, & signis potiß. duobus, altero quo societatem auspicamur, altero quo renouamus & confirmamus.

Recte consuli Moscheh ubi agitur de cerimonijs.

Quia itaq; quantum ad usum attinet externi Verbi, externæ societatis, & uel duarum cerimoniarum, quæ et ex ritibus legis desumptæ sunt, ueteribus pares sumus, haud iniuria spectamus, quid in his illos obseruare Dominus uoluerit. Quantulum enim interest, inter cænas sacrificatorias, & nostram? Admonebantur illi beneficij exhibendi, nos exhibiti, gratias illi agebant Deo, & ad officia pietatis constringebant sese, idem facimus & nos. De similitudine baptismatis nostri, cum baptismatibus ueterũ dixi supra. Indigna ergo res erit, si cõsideremus quid placuerit Deo, & quam utilitatem suis attulerit in ea cerimonia, cui nos similem habemus? Mirum autem quod fatentur circuncisionem & baptismum similes significatione, & negant similes usu. Quis enim alius est cerimoniarum usus quã qui est ex significatione? Si significãt idem

idem circuncisio & baptismus, ut significant, nempe mortificationem carnis, & uuificationem spiritus, & Dominus non minus uanitatem detestatus est apud ueteres, atque apud nos, & circuncisionem signum eorum, qui mori sibi, & uiuere debent iustitiæ, pueris nihilominus dari uoluit, cur non & nos nostrum illis daremus baptismum?

Non licet inquiunt respicere ad Moscheh in his præterito Iohanne, baptismi institutore. Atque hoc dicunt nõ nulla cum indignatione. Fratres sustinete & nos loqui, ac non pro nobis, sed instituto Dei respondere. A Iohanne accæpimus baptismum, signum, quo colligatur Christo Ecclesia, in qua ille cognoscatur, postea CHRISTVS & pueros declarauit Ecclesiæ suæ inserendos, baptizamus ergo eos. Dumq; multarum uere spiritualium rerum typos in populo ueteri nobis sint deliniati, quibus de Dei uoluntate monemur, quis dubitet in lege illorum & formas extare cerimoniarum, quibus tantum non adobruti fuerunt. Paulus uolens docere, commertium externum idololatrarum uitandum, cõmunionis quam sacrarij habeant, edentes simul uictimas, tanquam exempli meminit, cum ex dictis Christi satis de puritate communionis differere potuisset. Sic cum de mercede ageret Euangelizantiũ, nõ est ueritus super Verbum CHRISTI exemplum adducere, uiuentiũ ex sacrificio, eo quod operarentur ex sacrificijs.

Perinde est quod hic obijciunt, ac si quis diceret apud Grammaticum non esse requirenda præcepta de literis. Paulus facit Moscheh pædagogum, elementis mundi addictum, hoc est, externis institutionibus, quæ pietatis elementa & rudimenta sunt, & mundi elementa dicuntur, eo quod de mundi rebus præcipiant, & de usu ac ratione elementorum consulere Moscheh tam erit absurdum. Sed ut Aristoteles inquit, dato uno incõuenienti, plura sequuntur. Cum enim uidissent isti se urgeri institutio Dei, qui prorsus eiusdem rationis, cuius baptismus est, cerimoniam pueris uoluit exhiberi, confinxerunt cerimonias ueterum, nullum nisi portendi futura habuisse usum, & nihil præterea suo tẽpore conduxisse utentibus, ut circuncisionem puerorum, significasse, olim populum Dei per spiritum circuncidendum corde, ac præterea nihil utilitatis attulisse circuncisis carne.

Cerimoniæ ueterũ, non tamũ significatione futurorũ, fuere utiles.

Cuius si dicti spectes absurditatem, mireris id eos ausos affirmare, si autem perpendas quo prolabantur alij quidam, sibi nihil nõ arrogantes, nihil agnoscas istis accidisse insolens. Quanquam si considerassent quid scriptura consonaret, magis quam quid ad inuentum suum quadraret, uidissent sane hoc suum dictum non uulgariter gloriæ Dei derogare. Moscheh dicebat Israëlitis. Quæ gẽs adeo insignis, cui sint cærimoniæ, & leges iustæ, qualis est hæc doctrina, quam coram uobis hodie explico. Et paulo ante. Hæc sapientia & prudentia uestra coram populis

pulis censebitur, cum audierint de cerimonijs istis omnibus, dicent, sapiens sane & prudens est populus iste atq; insignis. Mira uero sapientia & prudentia ac etiam præstantia, habuisse cerimonias nullius usus, quã quod portenderint futura quædam bona, in nobis demum completa.

Sed quid uerba prodigo, confutando tam humaniter dicta? Regnũ Dauid, regni CHRISTI umbra fuit, num igitur non fuit illud per se quoque utile Iudæis, nobisq; imitabile, quibus principibus in hac uita, & externo regno opus est? Sacerdotium Aharonis, figura fuit sacerdotij Christi, nunquid simul tamen utile fuit populo, quod sacerdotes habuerunt legis interpretes, & uitæ formatores, in quo imitari illos, ut seligamus qui in religione nos erudiant, & inuicem à nobis alantur, & nobis operæpretium sit? Sabbathum illorum typus fuit spiritualis sabbathi, ergo nihil contulit eis, ut ad audiendum Verbum DEI, publicéq; gratias agendas Deo, diem unum in septimana ab operibus corporis uacabant, & peccabimus qui loco eius Dominicum diem, ad habendos sacros conuentus feriamur?

Sic quæ consequentia, adoptio puerorum in Ecclesiam Dei per circuncisionem typus fuit, adoptionis in regnum cælorum per spiritum, ergo nihil utilitatis attulit Ebræis ita liberos eorum in Ecclesiam recipi, nisi quod spiritualis adoptionis, olim reuelandæ plenius, admoneret? Fac enim esse, ut ista typi ratio constet, quam nulla

tamen expreßa scriptura docet, nihilominus tam non sequitur, propterea non iuxta fuiße conducibilem ritum Ebræis, ita à puero in Ecclesiam Dei recipi, quam non sequitur regnum Dauid, externa sua administratione nihil bonæ frugis attuliße Iudæis, eo quod umbra fuit regni CHRISTI. Opera Dei uana non sunt, sol iste, solem cælestem, uita hæc uitam æternam, cibus corporis, cibum mentis aliquo modo repræsentat, propterea non & per se suam adferrent commoditatem?

Omnia legis & suo tempore utilia fuere.

Non est quicquam tam minutum in omni lege, quod non suam & suo tempore utilitatem attulerit, quam si adferat & nobis, plane obseruatu nobis non solum licitum, sed & dignum & debitum est. Dilectio quamlibet libera sit omnium, omnibus tamen seruit ad ædificationem. Quid minutius eo, quod præceptum populo erat, onus uentris extra castra deponere & defodere, quod ut admoneat peccata tegenda ne fratres offendant, an non & hodie charitas sordes ab oculis fratrum submouebit? Si autem singulas cerimonias ad præscriptum legis hodie uellem obseruare, non posem eius obseruantiæ certum ostendere ædificationis fructum, quia obscurarem eo gloriam CHRISTI, qui nos ab elementis liberauit, & fratribus nihil adferrem commodi. Satis fuerit, si baptismo pueros meæ Ecclesiæ faciam inseri, nulla igitur caussa erit eos circuncidendi. Satis posum mortis Christi meminisse, & gratias pro ea agere ad mensam Eucharistiæ, non igitur opus erit tam uarijs sacrificijs legis, satis studuero

tis studuero mundiciei, si nihil feram sordium quod honestam uiuendi rationem perturbet, non igitur opus erit tã multiplicibus baptismatis legis.

Sed de his infra sæpius dicendi erit occasio. De typis siue figuris, ut accipiendæ sunt, dicam infra cap. 3. in illud sicut Moscheh exaltauit serpentem in deserto &c. Nam & his fratribus, quibus pædobaptismus displicet, & multis etiam alijs, in plerisque locis halucinandi occasionem dedit, quod typorum rationem certam, & à scriptura traditã nondum recte tenent.

De baptismi uero usu & ratione ideo tam copiose hic disserere uolui, eo quod Catabaptistæ, ista ignorantes, ubi sibi persuaserunt pædobaptismum Deo abominabilem esse cerimoniam, pernitiosam sectam excitarunt, & ut fit à ueritate Verbi Dei recedentes, pestilentiß. dogmata non pauca excogitarunt. Excußi & aliorum quorundam sententiam, atque argumenta qui fratres sunt, ac de religionis nostræ capitibus pie sentiunt, tum nihil minus quam hæretici, hoc est, sectarum studiosi, multo minus defectionis ab Ecclesiæ unitate authores esse studeant, attamen cum æditis scriptis, pædobaptismum rem uanam, et abusum cerimoniæ CHRISTI affirmare, quanquam omni obseruata modestia ausi fuerunt, studium CHRISTI & Ecclesiarum eius me iure compellere debuit, ut errorem eorum hic confutarem. Vtcunque enim in reliquis recte sentiant, eoq; sit

per se hic error eorum quo pædobaptismum auersantur, nõ adeo pernitiosus, solet tamen, iuxta prouerbium, error initio uiæ exiguus, ubi perrexeris tandem euadere magnus. Certe si rationibus quas adducunt obtinerent, infantium initiationem, ueteribus præceptam, nobis non esse imitabilem, quod futuri tantum figura fuerit, eoq; cessarit, eadem opera alius poterit omne externum, tam Verbi, quam gubernationis ministerium damnare, quod non nulli fecerunt. Nunquid catabaptistæ, uolentes nos, iurisurandi & magistratus usum, ex institutione Dei, in lege tradita, probare, eadem claua repellunt? Hic iam error quam facile gigneret alium, nempe cum nostra adeo alia & perfectiora sunt, quam ueterum fuisse eis & alium quam nobis D E V M. Profecto is Deus mundi, qui istiusmodi insanis dogmatis Ecclesiam olim exercuit, ad huc uiuit, & artes huiusmodi nequaquam obscure hac nostra tempestate exerit.

Quamobrem nostrum fuerit, ut amicitiam in Domino, cum omnibus confitentibus ipsum esse saluatorem nostrum, studiose colere, & infirmos fide, candide blandeq; susci-
Errores libere confutandi. pere, ita etiam dare operam, ut Christi ueritas quam luculentissime omnibus innotescat, & errores detegãtur. Peruersus is candor fuerit, ubi unius & alterius gratia, ueritas Christi & recta multorũ fides posthabetur. Amabat atq; obseruabat et Petrũ Paulus, at ubi ex incõsiderata illius simulatione periculũ imminebat recte crẽdẽtibus, palam

palam illum coram omnibus reprehendit. Atquẽ utinam hic candor apud Euangelij professores obtineret, ut quisque libere, sed modeste Ecclesijs indicaret quæ secundum, quæq; infra scripturas esse putaret, inditio delato sedentibus, illæsa interim amicitia Christi, quanto plus haberemus ueritatis, & minus contentionum.

Quantum equidem assequi possum, natura enim errorum est, ut difficile agnoscantur, isti nulla alia ratione pædobaptismum auersantur, quàm quod finxerunt sibi puriorem fore Ecclesiam, si adultos, et notas spiritus præ se ferentes, duntaxat baptizaremus. Sic enim paucissimis hodie fore locum in Ecclesijs arbitrantur. Sed hoc pacto indubie fieret, ut multæ oues Christi pro hœdis negligerentur. Neq; enim omnes parentes eam curam ad pietatem educandi suos, quam illi sibi pollicentur, adhibituri essent. Hæc tamen humana cogitatio, quæq; resipit nimiũ operum nostrarum, & elementi huius, æstimationem, ita occupauit illos, ut huc cuncta rapiant, omniaq; quæ contra obijcuntur dissoluere conentur, eoq; sese in errores profecto graues præcipitent. Humanam dixi hanc esse cogitationem, quia nulla scriptura iubet curiose adeo dispicere, ne hœdi in Ecclesiam recipiantur. Baptizarũt Apostoli sæpe, quibus uix horam de Christo fuerant locuti, quia iuxta parabolam Euangelicam, quoslibet Christi nuptijs adducere uolebant. Baptismo enim recipiebant tantum in scholam pietatis & Christianismi tyrociniũ. Eijce

rerursum tum solebant, cum euidēter satis deprehensum esset, ludi docendi operam.

Culpant nos illi, quod libertate Christi abutamur, præter uerbum & exemplum scripturæ nobis pædobaptismū permittentes, cum ipsi tamen omnino nullum habeant uerbum uel exemplum, quo sententiam suam stabiliant aut nostram reijciant. Iussit Christus prædicare gentibus eosq; baptismo in Ecclesiam suam recipere, ubi autem uetuit & pueros recipere? Leguntur baptizasse adultos Apostoli, factum est hoc, ut ostenderetur quantum Euangelion fructificarit, non negantur autem et pueros baptizasse, imò cum leguntur totas domos baptizasse, & Paulus eorum liberos sanctos, id est, ad Ecclesiam Dei attinentes, quorū alter esset Christianus, pronunciat, deniq; usus offerendi Domino pueros per initiatiuum symbolum ex lege pridem obtinuisset, non contentiosis satis est coniecturæ, eos pueros quoque tinxisse.

Hunc uero locum Pauli conantur eludere, ubi sanctos pueros fidelium fecit, dicentes, sanctos hactenus à Paulo pronunciatos, quod usum cōiugij nō impedirent cū infideli. Et tamen Paulus ex eo quod sancti haberentur eorū liberi, quorū alter esset Christianus, probare uult infidelitatē alterius coniugis non impedire usum coniugij. Ideo aliam & notam ac confessam sanctitatē pueris eiusmodi, ex impari coniugio natis tribuit, ut ex qua sanctificationē probaret infidelis coniugis, id est, fas cū eo in matrimonio uiuendi. Quæ iam illa sanctitas puerorū alia, quā qualē scriptura

ptura memorare solet, qua ad Dei cultū dicati habentur.

Atq; ita omnibus nudatam scripturis hanc eorum opinionem, si quis propius contempletur, figmentum esse humanū, luce clarius apparet. Cum ergo omnia huiusmodi, quando pro Dei oraculis obtruduntur, luculentia soleant dare ueritatis damna, qualia sané multa iam hoc dogma, abusum esse instituti diuini pædobaptismum, dedit, nemo mihi pium uitio uertet, quod studiosius illud confuto. Quibus sane hoc persuasum fuit, arbitrati fuere se nondum baptizatos, tum indignum putarunt se non baptizari, sic inuectus est anabaptismus, uel potius catabaptismus. Huic addicti, mox ab Ecclesia agnoscente pædobaptismum, secesserunt, Euangelion quod in ea prædicatur contempserunt, quem postea contemptū sæue nimis ultus Dominus est, propinando eis calicem, tam multiplicium & pestilentium errorum, ut horror sit eorum tantum meminisse. Hæc cum ita habeant uæ ei, qui principijs mali huius neglexerit obsistere, si tamē charitatem simul exhibeat in eos, quos uidet studio aliquo teneri Dei, etiā si id cū errore coniunctū sit. Quæ ergo credo, hic pfessus sum, quas sequor scripturas indicaui, iudicēt iam fratres.

Quæ mala contemptus pædobaptismi dederit.

Postero die iterum stetit Iohannes & duo ex discipulis eius. Sect. 8.

PAR. Quia in hoc missus Io. erat, ut Israēli Dominū Iesum manifestaret, nihil omisit, quod illū cōmēdabilē reddere posset, occasioni prædicādi eius nunq̄ nō imminebat. inde

inde cum eum postridie, quàm coram populo, agnum & filium Dei esse, fuisset testificatus iterum uidisset, præsentibus duobus ex discipulis suis, rursus dixit: En agnum Dei. Cumq; iam tempus adesset, ut Christus agnosceretur, incrementum huic Iohannis elogio Deus in cordibus illorum duorum discipulorum dedit, ut eo audito, ilico Iesum sectarentur, rogatiq; ab eo, quid sibi uellent, scisciterentur ubi nam diuerteret, Rabbi id est, præceptorem uocantes, scil. auidi iam doctrinæ eius, paratiq; se illi in discipulos tradere. Vnde cum eos inuitasset, ut uenirent & uiderent, ubi maneret, ilico iuerunt & uiderunt, diemq; illum, prope uesperam enim erat, nempe hora diei decima, apud eum permanserunt, indubie multifaria uitæ doctrina ab eo refecti.

Ratio historiæ.

ANNOTAT. Transit sensim Euangelista narratione, à testimonijs Iohannis, ad testimonia, quæ Domino ipsa sua dicta factaq; perhibuerunt. Cumq; officium Iohannis fuerit, Christum Iisraëli manifestare, & ei prædicationis lampada tradere, commodũ huc historiam Euangelista deducit, præteriens proculdubio multa, quæ Iohannes de Domino prædicauit, atq; egregiæ pro manifestatione eius gessit. Ista enim satis faciunt pijs, & pleraq; etiã alij Euangelistæ narrarunt.

Rabbi.

Rabbi Eb. רבי significat magister mi. Vnde coniectura aperta est, initio statim ut uitæ doctorem Christum habitum. Talem sanè eum, & Samaritis illa de qua infra quarto, expectabat. Dicebat nanque: Cum Christus uenerit nunciabit nobis omnia.

Obseruat.

OBSERVAT. Perpendendũ primo ut nullã Iohannes occasionem præterierit Christi prædicandi, sic sanè faciunt, quibus Christus recte cognitus est, quiq; illius ueri existunt præcones, idem studij atq; ardoris & in Paulo uiguisse uidemus. 1.

Obseruandum deinde, ut suo omnia tempore Deus perficiat. Multis & ante cum populo, tum discipulis suis Iohannes fuerat de Iesu testificatus, in hunc tamen temporis articulũ seruatũ fuit, ut Christus uitæ magister agnosceretur, testimonioq; Iohannis sui discipuli fidem haberent. Dum ergo uerbum Euangelij, non uel fœde à porcis contemnitur, uel insane à canibus repellitur, constanter & spe bona annunciandum est, patriq; optimo committendum, ut illud efficax reddat, quando & in quibus ipsi fuerit uisum. 2.

Deniq; neq; id prætereundum, quod Christus præceptoris nomine statim, à recte de eo persuasis salutari cœpit. Sic sanè eum habent, quicunq; ipsum agnoscunt, atq; ad præscriptũ uerbi eius, instinctũq; spiritus eius omnia sua instituunt. Neq; enim extra modo, sermonibus in literas relatis, uerum intus multo magis per spiritum, de omnibus suos docet, & instruit. 3. Christus unus uitæ magister.

Memorabilis quoq; Domini erga hos duos discipulos facilitas, probe consideranda est. Prior rogat quid uelint, et ultro inuitat eos ad diuersorium suum, quãquam tempore minus oportuno, indubie ut apud eum pernoctarent, plurimaq; ab ipso audirent. Simus ita & nos exposiui

omnibus,

ommibus, cum dubitare haud poßimus ſitientibus doctri-
nam uitæ nobis, ſeruatorem eſſe expoſitißimum.

Sect. 9. Erat Andreas frater Simonis Petri.

PAR. Vt pergã uero narrare, quomodo ſenſim D. be-
nignitatis ſeſe lumen explicuerit, et Euangelij fermentũ,
conſperſionem inuaſerit, memorandum eſt, quemadmo-
dum Chriſtus paulatim inotuerit, & aluus alium ad cogni
tionem eius perduxerit. Alter ex duobus illis, qui Iohan-
nis præceptoris ſui uoce excitt, Chriſtum fuerant ſecuti,
Andreas erat frater Simonis, qui à Domino poſtea Pe-
trus eſt cognominatus. Hic primus hũc ſuũ germanũ fra-
trẽ inuenit, dixitq; illi ſe inueniſſe Meßiam, id eſt, unctũ, et
duxit eũ ad Ieſum. Is cõſpecto illo, ut indicaret ei, ad quan
tam dignitatem uocaretur, dixit illi: Tu es Simon filius
Iona, iam uocaberis Cephas, hoc eſt, Petrus, diuina ſcili-
cet firmitudine præditus.

2. AN. Quod Andreas fratrem ſuũ Simonem in Iudæa,
uel reperit uel inuenit, argumentũ eſt, & eum religionis
cauſſa Iohannis baptiſma adiiſſe, etiam ſi forte, non fue-
rit perpetuus illius diſcipulus. Certe coniuncte inter ſe ui-
xiſſe illos, inditio eſt quod ſimul piſcabantur, cum ſecundo
ad perpetuum ſcilicet Domini comitatũ uocarentur, quã
uocationem Matthæus & Marcus memorant. Illud uero
inuenimus Meßiam, uidetur cum Emphaſi dictum, atque
notare, Chriſti deſiderio mire Simonem flagraſſe, ut ita
hæc Andreæ fratris renunciatio nõ ſine geſtiente animo

facta

facta uideatur, ac ſi dixiſſet: Gaude frater, quẽ uterq; tam
anxie expectamus Seruatorem inuenimus. 2.

De nomine Chriſti in Matthæum dixi fuſius. Eb. eum
Meßchiach uocant, Euangeliſta autem uſum uulgi ſecutus
Meßian ſcripſit. Nam Cald. משיחא dicunt, ex quo no
mine ſi ח Ebræis notam aſpirationis, ſed durioris, uel de
mas, uel leuius ut quidam proferas, ש uero per duplex
ß. quod item multi faciunt, exprimas, reſultabit Meßiha,
cui Græci pro natura ſuæ linguæ, extrita aſpirationis no
ta & adijcientes S. reddiderunt Meßias.

Cur autem orbis ſaluatorem abſolute unctum, popu- 3.
lus Iudæorum uocarit, cum præterquam apud unum Da-
nielẽ, uix in omni ſcriptura eo nomine uocatus ſit, cauſſã Quare Ie
quã plurib. tamẽ tractaui in Mat. fuiſſe puto, quod unctũ ſus unctus
noua et diuina unctione, idq; ad regnum cælorum, ſaluan dictus.
dumq; omnes in ſe credentes, illum expectarent. De qua
unctione Pſalm. 45. Dilexiſti iuſtitiam & odiſti impieta
tem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ
conſortibus tuis. Quid enim oleum lætitiæ quàm ſpiritus
ſanctus, qui ut duumitatis, ita et ſempiterni gaudij compo
tes facit? Item Ieſcah. 61. Spiritus Dominatoris Domini
ſuper me, quia unxit me, ad Euangelizandum afflictis mi
ſit me &c. Vngebantur olim regẽs, ſacerdotes & pro-
phetæ, ac ita ad officia ſua initiabãtur, iam rex regũ Chri
ſtus eſt, ſummus ſacerdos, & prophetarum caput, qui nõ
imperio externo modo regit, non brutis pecudibus ſacri-
ficat, non externa uoce tantũ docet & monet, ſed ſpiritu

ſancto

ſancto, quo mẽtes, ſed ſponteneas ad ſalutẽ regit ſempiter-
nã quo ſeipſum pro nobis ſacrificiũ perfectæ expiationis
obtulit, effecitq; ut et nos gratæ Deo hoſtiæ euadamus, de
niq; eodẽ etiam docet et monet, ut quos ſuo regno donaue
rit, ita reddat tandem per omnia iuſtos, ſanctos et beatos.
Cum igitur ad tam eximiam functionem Ieſus eſſet deſti-
natus, diuina hac unctione ſpiritus ſancti, iure debuit præ
omnibus filij Dei inungi, atq; eo in regnum ſuum, ſacerdo
tium, prophetæq; munus, inaugurari. Et hac cauſſa meri
to unctus ſine adiectione aliqua, per antonomaſiam uoca-
4. tus eſt, idemq; id pollet, ac ſi rex diceretur.

In eo uero quod Ieſus Simoni, ut primum adductum
Vocaberis Cephas. ſibi per Andream uidit, dixit: Tu es Simon filius Iona, ui-
detur uim prophetiæ prodidiſſe, uti & Nathanaelt paulò
poſt per Philippum aduocato feciſſe Euangeliſta memo-
rat, niſi quis malit ſcientem iam nomen eius, uoluiſſe tan-
tum per antitheſin, appellationi appellationem conferre,
ac ſi dixiſſet: audio te uocari Simonem Iona, uerum alius
per me eris, ideo & aliud tibi indam nomen, uocaberis
poſthac non Simon Iona, ſed Petrus, diuina enim uirtute
ita duraberis, ut planè ſaxeus futurus ſis. Cæterum Ce-
phas Chaldaicum ab eruditis ſacræ linguæ cenſetur, qua
lingua uulgo tempore Chriſti uſos Iudæos creditur. Et
alia enim Ebræa, libris noui teſtamenti leguntur inter-
ſperſa, quæ huius linguæ magis quã Bibliacæ, quæ purior
& ſincerior eſt Ebræorum lingua, habentur. A qua, quã
Chaldaicam uocant, id differt, quod Italica à pure latina.

Ergo

ita Bibliaca Ebræorum lingua כֵּיפָא Ceph petra dicitur,
illa autem, que Chaldaica dici cœpit כֵּיפָא Cepha, cui à
Græcis adiectum eorum more S. conſtituut Cephas.

Minutulum hoc eſt, quod infra cap. ultimo, Simonem
Ioannâ, hic et Matt. 16. Ionâ uocatum à Domino legimus.
Veriſimile uero eſt, patrem Simonis יוֹחָנָן, id eſt, Iocha-
nana, uel Chald. Iochannâ nomen habuiſſe, unde exiit à
adſpiratione ח. & in fine adiecto S. factum ſit Græcis Io
annes, quod idem poſtea contrahentes Ionas dixerint. Si-
gnificat autẽ Iochanan uel Iochanna, quod nos Iohannes
dicimus, gratioſum, quia à uerbo חָנַן deriuatum eſt. Ne
quaquam autem abſurdã uidetur eorum obſeruatio, qui
iſtud: Tu es Simon filius Iona, emphaticos dictum à Dom.
no putant, in hunc ſcilicet ſenſum. Noui te qui ſis, quo & Simon filius Iona.
gratior mihi aduenisti. Simon Iona, id eſt, Ioanna, non tam
uocaris, quam es, audiens ſcilicet, id quod Ebræis hæc uox
ſonat, et filius Ioanna, id eſt, gratioſi, cui Deus fauet. Vere
enim tibi aſpirauit fauor Dei, & audiuit tuas preces, un-
de & audire te fecit uocem fratris tui, ad me uocantis. Gra
tulare tibi, quod ad me ueneris, faciã te rupem quandã pie
tatis & ſalutis, ideo poſthac petræ cognomentũ habebis.

OBSERVAT. Obſeruãdum primum eſt, ut ſe ha- 1.
beat uera Chriſti cognitio, continuo ſerpit, quoq; eam na-
cti ſunt, illico tanquam uitæ theſaurum quibuſq; chariſ-
impertire illam ſummopere ſtudent. Qui credit loquitur.
Proinde tenuem ij Chriſti cognitionẽ conſecuti ſunt, qui
bus tam nullum, aut certe tepidum ſtudium eſt illam pro-
mouendi.

Domini uocatio æquanimiter expectanda, ijs qui Euangel. prædicant.

Notanda deinde est uocationis Dei efficacia, simulatq; enī Simon à fratre ad Iesum uocatus fuit, secutus est. Sic recipiūt Euāgelion quot quot electi diuinitus uocātur, et à patre ad filium trahūtur. Nos ergo cum nesciamus, quando Deo uisum sit, in corde suos uocare & attrahere, usq; ministrare Deo per uerbum Euāgelij debemus erga eos, qui nondum porcos se aut canes esse declararunt. Amplissima est Dei misericordia, & latissime patent tempora uocationis eius, ne conemur nos uel illam astringere, uel hæc contrahere.

Mirandum uero, quod Dominus cum discipulum, petræ uel saxi, ob fidei rarum robur, & immotam uirtutem, cognomine præ alijs, cum omnes hac ratione petræ & saxa fuerint, ornauerit, quem sciebat præ alijs, fidei infirmitate flectendum, imò tantū non cōmouendū. Quid enim saxeæ fidei reliquum, ubi ad uocem mulierculæ Christū ille negaret, à quo ne morte quidē auellendū se paulò ante perfanctè iurauerat? Discamus ergo et hinc, temere neminem prorsus condemnare, agnoscentes longe aliter iudicare Deum atque nos. Indubie ut peculiariter hoc nomine insignitus hic Simon fuit, ita & peculiari fidei robore fuit præ alijs donatus, sicut & Iohannem Euangelistam experti sumus præ alijs, uoce Euāgelij tonuisse, quē admodum Ben regesch, id est filium tonitrui præ alijs illū Iesus uocauerat. Sed ut demū uideremus, eā fidei in Simone uirtutem, Dei fuisse, item DEVM donorum suorum, etiamsi ingrati sint, quibus ea donauit, non pœnitere, sed

re, sed perennē esse eius in electos suos fauorē, tantopere emolliri paßus fuit hoc saxū, nulli alioqui ferro, nulli igni, aut ui cuicunque cessurum.

Postridie uoluit Iesus exire in Galilęā. Sect. 10.

PARAPH. Quum in eo sim, ut exponam quemadmodum Iesus cœperit innotescere, & discipulos colligere, adijciam & uocationem Philippi, atq; Nathanaelis. Vocando enim hunc, ut diuinitatem suam Iesus paulò clarius exeruit, ita etiam perfectius fuit agnitus, atq; insigniori confeßione celebratus. E Iudæa reuertebatur in Galilæam, ibi repertum Philippum municipem Andreæ & Petri, iußit se sequi, quod cū is cōtinuo feciſſet, reperit idē mox Nathanaelem, nunciaut́q; ei, non absque gestiente gaudio inuenisse se, de quo Moschen & prophetæ scripserunt, IESVM filium Ioseph à Nazareth. Illē admiratus, quod dixisset à Nazareth, quando ex uaticinio Micah constaret, nasciturum Christum Bethlehem, discendi, nō calumniandi animo, dicebat: Potest aliquid eximum ex Nazareth esse? Philippus autem non habens quid ad hoc responderet, animo tamen persuasus Iesum, CHRISTVM esse, hortabatur illum ut ueniret ac ipse uideret, quid de Domino esset sentiendū. Paruit ille, incitatus tam læto nuncio, tametsi cū scripturis prima facie pugnare uideretur. Iesus itaq; eo conspecto, dicebat ad præsentes, demōstrato Nathanaele. Ecce uere Isrælita, in quo nihil est fraudis, nihil insinceri-

Cumq; ille stupefactus ex hac sui laude, rogasset unde sē nosset, clarius Dominus diuinitatatem suam prodidit, dixitq; illi: Cum sub ficu esses, priusquam te Philippus uocaret, uidi te. Istud ita animū eius percelluit, quod absenti sibi præsens, id quod Dei est, adfuisset, ut oblitus iam scrupi de loco natali Christi, continuo diceret: tu es ille filius Dei, ille rex Israël, indubitatus Messias, quem hactenus expectauimus. Dominus uero uolens confirmare huius, & aliorum discipulorum fidem, adijciebat ad Nathanaelem: Te adeo permouit, quod dixi tibi, te mihi absenti corpore sub ficu uisum, maiora his uidebis. Prædico uobis omnibus meis discipulis, uisuri estis apertum cælum, et angelos ascendentes atq; descendentes, ut mihi, licet filio hominis ministrent, Domino & instauratori suo.

ANNOTAT. Ex eo quod Philippus Nathanaeli dixit. De quo scripsit Moses, in lege & prophetis, inuenimus &c. coniectura est, Nathanaelem scripturarum studiosum fuisse, atq; in eis de aduentu & regno Christi diligenter uestigasse, unde Philippi renunciatio, hunc sensum uidetur habere. Legem & prophetas, optime Nathanael diligenter excutis, ut de Christi regno, quod uniuersi expectamus certior fias, en inuenimus illum, quem scriptura promittit, & tu tam anxie queris. Quo autem pacto Lex Moscheh et prophetæ, de CHRISTO præ dixerint, quia uerbosiorem paulò disputationem postulat, & Enarratio huius capitis, alias uerbis uel propter ea quæ

ea quæ de baptismo disserui, satis onerata est, in quinto capite, in Sect. ultima exponere decreui.

Quod Dominus uere Israëlitam, & sine dolo Nathanaelem, laudauit, ad spiritus sinceritatem, respexit, carne enim uniuersi mortales mendacium sunt, quia cum Paulo nemo quicquam boni in carne, id est natura sua deprehendit. De hac sinceritate & integritate spiritus, Psalm. 32. Felix homo, cui Dominus non imputabit iniquitatem, & in spiritu eius non est dolus. Ab eodem nanq; est, ut iniquitatem Dominus non imputet, et ut spiritus dolo uacet, fide nimirum, qua recte & pie de Deo animus sentit, persuasus à spiritu Dei. Hinc quemadmodū sperat, sibi omnia peccata condonanda esse, ita nulla ei Dominus imputat, utq; sinceriter Deum amat, ita procul omni dolo & hypocrisi, gloriæ eius studet, atq; in ueritate & spiritu, Deum ueracem colit. Huiusmodi אמיתים illi sunt, id est, fideles, quos raros factos in terra, Psalm. 12. queritur, & eosdem חסידים id est, beneficos uocat. Eiusdem enim spiritus DEI est, ut homines ueri euadant boniq;. sine quo nihil quàm mendacium sunt, & uanitas. Hunc spiritum cum citra mensuram CHRISTVS habeat, totusq; purus labis humanæ natus sit, hæc laus, esse absq; dolo, ei propria est, uti & illi à uate Ieschaiah quinquagesimo tertio peculiariter tribuitur. Cæterum quod dixit uere Israëlita, idem pollet, ac si quis dicat. Iste uere Christianus est, Israëli enim, id est, populo Dei, accensebantur ex hominibus plurimi, qui nihil minus, quā Israëlitæ, Vere Israëlita.

id est, de populo Dei erant, fide scilicet principes Dei, & germani Iacob posteri.

Tu es ille filius Dei, tu es ille rex Israël. Hæc flagrantis iam fidei, & exultãtis inde cordis confessio fuit. Quan-
Filius Dei. quam enim omnes sancti filij Dei sint, ad cuius scilicet imaginem per spiritum eius formantur, unde & Israëlem filiũ suũ Deus uocat Hosch. 11. Dominus Iesus tamẽ peculiariter et unigenitus filius dei in scripturis prædicatur, eò qd' in eo solo expressa sit patris imago, hoc est, plena sapientia, iustitia, atq; potestas. Hoc de eo, sub typo Schlomòh, promissum fuit 2. Schmuel. 7. et 1. Chro. 17. ubi Psal. 89. Ego ero ei in patrẽ, et ipse erit mihi in filiũ. Et, ipse inuocabit me, pater meus es tu, & petra mihi salutis. Ego uero primogenitũ constituam eum, supremũ regibus terræ. Item Psal. 2. Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Horũ ergo et similium uaticiniorũ Nathanael doctus, augustiore appellatione D. Iesum salutauit, filium Dei & regẽ Israël illũ uocans, cũ uulgo Messiach Dauidis filium uocare solerent, quare qui IESVM esse unctũ Domini agnoscebant, filium Dauidis eum salutabãt. De his infra 10. pluribus. Cæterũ filius Dei Ebræis idem pollet quod Deus, sicut filius hominis, idem quod homo. Sic & 1. Mosch. 6. filij Dei, pro dijs positũ est. Vnde constat quod maiorem homine Nathanael Dominũ agnouerit, confessus eũ filiũ Dei. Deniq; uidetur p antithesin ad nunciũ Philippi, Iesum filiũ Dei uocasse, quasi di. Nequaq̃ tu filius Ioseph es, ut te nominauit Philippus sed dei.

Post hac

Post hac uidebitis cælum apertum. Quid cælorum nomine significetur, & quomodo aperiantur, nonnihil dixi in illud Mat. 3. Aperti sunt cæli. Quoniã enim cæli omnibus creaturis præstant, Deo sedes assignati sunt, scriptura sese ad intelligentiæ nostræ, qui omnia cogitatione locis affigimus, tenuitatem demittente. Ne autem putaremus loco, aut ulla sua creatura Deum comprehendi, immensam & incomprehensibilem eum esse, iuxta satis docet. Hinc autem quod cæli uelut peculiaris Dei locus, eo quod licet omnia in omnibus compleat, in his maiore urtute diuinitatis q; suæ explicatione sese ostentet, dici cœperunt, consequenter cæli aperiri dicuntur, cum manifestius se lux diuinitatis aperit, & in cælum recipi, qui ad præsentiorẽ eius perfruitionem admittuntur, & de cælo uenire, aut mitti, quæcunq; diuiniora habentur.

Cæterum quod discipuli uiderint angelos ascendentes & descendentes super Christum, declaratio fuit diuinitatis Iesu, & significatio, cũ licet filius hominis esset, super omnem principatum & potestatem tamen regnaturum, omniaq; pedibus eius subijcienda, & cum patre uniuersa habere cõmunia. Quanq̃ autem nusquã nominatim sacræ historiæ, huiusmodi aliquid memorent, uti super baptizatum, apertos cælos, spiritũ in specie columbæ descendisse, uocem patris delapsam, item cũ transfiguraretur Mosen Ministran
et Heliã illi collocutos, legimus, indubie tamẽ quod hic ui tes angeli.
suros Christus promisit, discipuli uiderunt, tametsi ut multa alia, nominatim illud nusquã describserunt. Electis

H 4 enim

enim satis superq; habent ad cognoscendũ Christum, quæ illi in literas retulerunt, reprobis nihil satis esse potest, etiam si cuncta ordine conscripta haberemus.

OBSERVAT. Primum considerandum hic, quod ex Iudæa, Galilæam Dominus repetierit, ex celebri regione obscuram, ex ea in qua magnifice à Iohanne fuerat prædicatus, in eam ubi ut filius Ioseph contẽnebatur, sic erat uoluntas patris, ea erat eius uocatio, illi inseruijt, idem studeamus & nos, non dubitantes ibi nos optime esse, & cumulatissime fructum facturos, ubi nos constituerit pater.

Quod tertium Christus ex Bethsaida discipulum uocat, iterum monet, quàm delectetur humilibus.

Quod uero ille continuo uocat Nathanaelem, exemplum est, serpentis in salutem aliorum fidei.

Animaduertenda deinde & utilitas scripturæ est, in qua Israëlita sine dolo uersatus, expectatione Christi, ad omnem pietatem fuit apparatus.

Non temere reijciendum, quod doctrinæ Dei nomine offertur.

Circa illud uero, quod inter se Philippus et Nathanael collocuti sunt, diligenter obseruandũ, ut se habeant, ad incognitã adhuc ueritatem, ueritatis sinceriter studiosi. Scripturam habebat Nathanael, CHRISTVM filium Dei proditurum ex Bethlehem, Philippus autem nunciauerat eum filium Ioseph, ex Nazareth. Quod ergo Euangelio Philippi aduersari uidebatur, Nathanael simpliciter obiecit, cumq; ille nodũ dissoluere nõ posset, et inuitaret ad uidendum, tãtum ualuit, apud Nathanaelem ueritatis

ueritatis studiũ, ut ilico cũ ad IESVM sequeretur, quamlibet cum scriptura pugnare uideretur quod Philip. nunciauerat. Hinc datum illi fuit, ut mox ita Dominum agnosceret, ut omnis semel dubitatio euanesceret. Sic & nos faciamus, si quid nunciatur salutare, si quid doctrinæ Dei nomine offertur, etiamsi id cum scriptura prima facie pugnare uidetur, non ilico resiliamus. Pugnat sæpe in speciem, quod in re non pugnat, proponitur etiam sæpe ueritas, alieno uelata ornatu, uti hic Philippus IESVM filium Ioseph prædicabat, qui erat Dei, & natũ Nazareth, qui æditus erat Bethlehem. Si etiam unus & alter obiectionibus nostris nequeant satisfacere, ne sic tamen damnemus quod oblatum est. Veniamus & nos et uideamus, hoc est, oblatam ueritatem interius consideremus, inuocato spiritu Christi. Quid indignius enim homine Christiano, quam reijcere doctrinam Christi? At citius quam quisquam putet hoc feceris, si non omnia diligentiß. excußeris. Diligentes & meditantes in lege sua die noctuq; requirit Deus. Veni ergo & uide, & uide attente, ne pro filio Ioseph reijcias, qui est filius Dei & saluator tuus. Et perpende quantam obiectionem contra Philippũ hic Nathanael habuerit, & quã mutus ille ad eam fuerit, ad huc tamen nequaquam tam lætum hic nunciũ contempsit.

Præterea mirari quis posßit, cur Dominus tam exi- Ex fide, nõ
mie laudatum à se Nathanaelem, & tam egregie confi- officijs me
tentem, non fecerit unum ex duodecim. In hoc discẽdum, tiẽda Chri
ut non sit uel pietas, uel felicitas metienda ab officijs. Vita stianorum
iusti dignitas.

iusti fides est, quam qui cõsummatiorem habet, is beatior est, etiã si ad nihil eximũ illo Deus in Ecclesia utatur. Manus operosior est in externis, quam cor sit, nihilominus præstat tamen manu cor. Sic inuenias qui in enarrandis scripturis, in exhortandis fratribus, minimum ualeant, fide tamen & dilectione, hoc est, ipsa pietate omnes antecellant. Quid eiuscemodi obest, quod non sunt Prophetæ, aut Apostoli, cum beati sint filij Dei? Satis igitur sit cuiq; in corpore Christi esse, spiritu eius uiuere, quemcunq; demum locum obtineat, quencunq; actum habeat.

Postremo notandum ministerium Angelorum omnibus qui in Domino confidunt, cum CHRISTO esse cõmune, iuxta psal. 91. Angelis suis mãdauit de te etc.

CAPVT II.

Sect. 1.

Tertia die nuptiæ factæ sunt &c.

Apertior historia est, quam ut paraphrasin requirat.

ANNOTAT. Tertia die, intellige postquam in Galilæam Christus uenerat. Mater IESV erat illic. Id coniecturam facit, non fuisse cum Domino matrem in Iudæa, deinde & familiarem fuisse ijs, quorum erant nuptiæ. Iohannem tamen affirmare fuisse hunc sponsum, frivolum est. Quod

Quod mater filium monuit, deest uinum, dilectioni et humanitati eius tribuere longe malo, quam ut quidam inanis studio gloriæ, quasi cupuerit intempestiue, ex filij miraculis claresceere.

Quod aũt Christus hic & alibi matrem suam, nõ matrem, sed mulierem appellauit, & hic nihil uoluit sibi & illi commune agnoscere, di. Quid mihi & tibi mulier, ab omnibus pridem receptum est, ideo feciſſe eum, ut declararet, se alium & maiorem esse, quam credebatur filius Mariæ. In hoc enim uenerat, in hoc omnia dicebat & gerebat, ut quem nemo filium Mariæ & hominem dubitabat, electi etiam filium Dei agnoscerent, à quo salutem sperarent. Talem igitur se gesſit, & ideo matrem carnis hactenus non agnouit, cæterum tamen nihil quod filij esset, erga illam omisit.

Quod dixerit uobis facite. Fidei hoc erat, quæ non dubitabat inopiæ indicatæ, Dominum succursurum. Sic sanè sentire solet fides, quando exorauit. Motus siquidem est spiritus Dei, unde mentẽ Dei præsentiscere facile potest.

Erant uero illic Hydriæ lapideæ sex &c. Mar. 7. legimus Iudæis morem fuisse, ut nisi ante manibus fonte ablutis non capere cibum, & reuersos à foro, solitos antea tingi, crebro & uasa abluere, in hunc ergo usum aderant sex istæ hydriæ capientes duas aut tres metretas. Metreta & cadus eadem mensura est, capiens congios decem, & sextarios 80. quæ mensura superat ferè congios eam, quæ Argentorati cyn om uulgo dicitur, quarum 24. conficiunt

conficiunt, plaustrum quod uocant, id est, quantum plaustro commode uehitur. Quanquam modo soleant ferè supra 30. omen plaustro uehi. De mætreta si libet lege Budæum lib. 5. de Asse. Volui hoc annotare ut uideremus, quam largum fuerit Domini beneficium. Ostenduntur enim uarijs in delubris, portabiles hydriæ, quasi ex his sex fuerint, quæ uix congium capiunt, taceo mætretam unam. Vbi enim è medio cesserat ueritas Euangelij, nihil fuit tam absurdum, quod non sit uulgo persuasum. Cum aqua, quantum sex istæ hydriæ, ad summum plene capere potuerũt, in uinũ Domini uirtute mutata fuerit, cõstat paulo minus quam plaustrum uini his nuptijs DOMINVM donasse.

Quod uero hydrias implere aqua Dominus ministros iussit, inde haurire et ferre præfecto nuptiarũ, quod uolu it ignorantẽ hũc, sponsum uocare, et de uino tam bono cũ eo disputare, omnia hæc huc instituta fuere, ut uirtus sua commodum innotesceret, & sibi ut seruatori fides haberetur. In omnibus enim salutem hominum, & non suam gloriam spectauit.

OBSERVAT. Perpendendum probe, quam alia fuerit mẽs Domino, ac matri eius sanctiß. quam sit hodie Anabaptistis, & paulo ante fuerit monachis. Honestas & præclaras nuptias habuerunt, ut sunt, & cubile eorũ, qui in Domino conueniunt, agnouerunt immaculatum. Heb. 13. Modestam etiam hilaritatem, & frugale conuiuium non fugere auersati. Et quod mireris, sobrietatis author, tantum uini conuiuis inter quos indubie fuere, qui largius quam necessitas posceret, biberunt, donauit, & quidem optimum, quale ante in eo quidem conuiuio non gustauerant. Biberant iam conuiuæ, reliquam sitim facile aqua extinxissent, & si omnino uinum illis uoluisset donare, potuisset donare & minus, & ullius. Gloriam suam alia, & grauiori in re nihilominus potuisset declarare. Multis alijs ad necessitatem uinum deerat, & his suppeditauit, quod superesset. Catabaptistæ indubie, si tũ fuissẽt, graniter Dominum increpuissent. Si non etiam excommunicassent. Sed qui Deum uere times, & absq; fuco Christum amplexus es, mitte istos superciliosos beneficiorum Dei contemptores, scito omnem Dei creaturam bonam, modo cum gratiarum actione illa utaris, luxum uita, temperatam hilaritatem ne damnato, conde autem illam ubi adsueris, sermonibus ad fidei ædificationem facientibus. Lætari olim populum suum & epulari coram se uoluit 5. Mosch eb 16. idem Deus & nobis est, & sui similis est, tantum quod tum præcepit, ut leuitarum. 1. qui spiritualia disseminãt, peregrinorum, pupillorum & uiduarũm, hoc est, omnium egentiũ ratio haberetur, ne prætereas. Erit, cum Dominus & ieiunandi & lugendi occasionem dabit, tum & in ijs, ministrum Dei te exhibeas Lege 5. Mosch eb 14. & 16. Luc. 14. 2. Cor. 8. Ephes. 5.

Hilaritatẽ moderatã nõ dãnandam.

Cæterum in matre indicante uini inopiam, exemplum est, cum officiosæ dilectionis, alterà incommoda, sua ducentis, tum fidei multa spe, sed uerbis paucis crantis. Noue-

rat

uerat mater nihil minus ferre posse filium, quam suorum inopiam, etiam corporalem, quare satis habuit, tantum uerbo inopiæ conuiuarum admonuisse. Sic sese habet, omnis animus ex fide orans.

In Christo uero matri durius respondente, & nondum uenisse horam suam causante, exemplum est, in negotio Dei, carnis affectus ablegandi, & diligenter in omnibus oportunitatem à patre decretam, obseruandi.

Vini inopia, tanta copia, et quidem præstantioris commutata, monet adeo nihil posse deesse habentibus penes se Christum, ut si quid etiam ad tẽpus uideatur deesse, mox benignitate eius redundet. Quid enim boni desiderent, fontem bonorum possidentes?

Ex eo, qđ hoc miraculo quo CHRISTVS gloriam suam, id est, diuinam potentiam, salutem hominum ubiq; curãtem, manifestauit, discipuli adducti sunt ut crederent in eũ, in sententia scilicet quam de eo cõceperant, confirmati, & Christum esse eum credentes, apparet, ad quid uera miracula faciant. Vt enim raræ quædam diuinæ uirtutis declarationes sunt, ita animos electorum attrahunt ut illam agnoscant, eiq; sese dedant, reprobis uero excusationem adimunt, & fulgore suo penitus excæcant, ac etiam in furorem agunt, id quod Pharisæis usu uenisse ex miraculis Christi, Euangelistarum literæ testantur. Falsa miracula, ad suspicienda commenta Satanæ abducunt, qualia fuere, quæ de diuis & eorum reliquijs & statuis impostores, iam multis annis apud uulgum iactarunt.

Texunt

Texunt ex his alij, miras allegorias, sed nihil tam Christus, quam Euangelista allegoricos in his dixit. Historia aperta est, qua memoratur, ut Christus potentiam suam exercuerit, et credere sibi discipulos suos fecerit. Vtinam hæc & nos ita legere & capere possimus, ut agnoscentes CHRISTI gloriam, seruatorem nostrum ipsum agnoscamus, qui ut his conuiuis non est passus deesse uinum, ita & nobis nihil patietur deesse, quod saluti sit, præcipue autem bona spiritualia. Hæc certa sunt, & à spiritu Dei nobis tradita, allegorica illa commenta, incerta sunt, & conficta ab hominibus. Contra allegorias.

Solet hic tractari locus communis, cõiugium, quid sit, quibus competat, quo pacto deniq; dissoluatur. De his fusè disserui in 1. Matth. Summa est, non est bonum homini esse soli, quem ergo alio non uocauerit Dominus, illi in coniugio uiuendum est, & ita ut unum uiuat cum coniuge hominem, idq; perpetuo, nisi aliud uel immittat Dominus, uel culpa requirat coniugis.

Post hæc descendit Capernaum &c. Sect. 2.

Et hæc historia clara est, neq; paraphrasi habet opus.

ANNOTAT. Vt prophetæ, ita & Christus in celebrioribus urbibus fere docuerunt, ut commodius doctrina Dei spargeretur, & ibi potissimũ uirtus Dei declaretur ad saluandũ, ubi præcipue uiguisset uis Satanæ ad perdendum. Cæterũ de habitatione Domini Capernaũ, quod oppidum inter Galileæ oppida, præsertim eius quæ IESV

patria

patria erat, in qua in præsens uersari ex patris uoluntate uolebat, frequētius & insignius erat, Matth. 4 & Luc. 4. plura legimus.

Et prope erat Pascha. Lex in omnib. adhuc uigebat, ad locū igitur tabernaculi ex lege Dominus concessit, alibi enim nō licebat celebrari pascha 5. Moscheh 16.

Reperit in templo uendētes boues et oues etc. Hunc mercatum ex auaritia quidem Iudæi instituerant, prætexiū tamen aliquem ex lege habebant. Nam 5. Moscheh 14 legimus mandatum, ut qui longius à templo habitarent, sua dona domi uenderent, alia ea pecunia empturi in loco Domini. His ergo inseruire, quo commodius inuenirent quod offerrent, uideri uolebant isti, quos Dominus templo eiecit, uenditores & numularij.

Cum fecisset flagellū ex funiculis: Mat. 21. Mar 11. & Luc 19. simile legitur Dominus designasse, postridie quā insidēs asino Hierosolyma fuisset cū ingēti populi applausu ingressus. In Matthæum quædam in hoc annotaui, & locum ex Iesa. 56. adductum exposui. Hic causam cur expelleret eos, hanc reddidit. (Simile enim & non idem factum à Iohanne hic narrari existimo) quod dedeceret patris domum, facere domum mercatus. Patri enim dicata erat, ut in ea populus conueniret, percepturus legem eius, & gratias ei pro beneficijs actурus, demq; necessaria ab eo oraturus. Illi autem quos eiiciebat, ad lucrum & quæstum abuti ea cœperant, licet prætexerent sacrificiorum commoditatem, quam mercatu suo uideri uolebant peregrinis adferre.

Recor-

Recordati uero sunt discipuli eius &c. Post resurrectionē scilicet, cū accepto spiritu scripturas intelligerent, ut ipse Euangelista in sequentib. exponit. Locus uero hic psal. 69. legitur. Quæritur illic uates, se propter Dominum tulisse opprobriū, & obductā ignominia faciem suā, alienum factū se fratribus suis, & extraneū filijs matris suæ, his causā unde ista sibi acciderint hanc subijcit. Quoniā zelus domus tuæ cōmedit me, & opprobria eorū qui tibi opprobrati sunt cecidērūt sup me, et fleui &c. Significare enim prophetā uult, ex studio Dei, & domus eius, id est, cultus eius, qui in domo Domini institutus erat, euenisse ut omniū, etiam domesticorū suorū, odio flagraret, & perferret quæcunq; hostes Dei, acti à Satana, contra uerbum et institutū eius ausi fuissent. Iam cōstat, ubi furere perditi istiusmodi contra Dominū cœperint, nihil esse opprobrij, nihil cōtumeliæ, nihil uiolentiæ, quod zelantibus Dominū nō inferant. Id non solū hostes Christi phariſæi & sacerdotes, sed & qui hodie Euangelio aduersantur, satis probant. Cū itaq; sicut nemo ardentius pro gloria patris zelatus unquā fuit, quam Christus, ita nemo peius quoq; acceptus est ab hostibus eius, iure recordati discipuli huius dicti fuere, qd' et nemo alius de se rectius dicere potuit, imò in quem unquam quadrauit, id spiritu Christi factū est. Huius enim quanto plus quisq; accœpit, tanto feruentius gloriæ Dei studet, malorumq; inuidia se se onerat, & dicti huius tui sibi uēdicat. Christus caput sanctorū est, & agit omnia in omnibus, quare quicquid san-

Zelus domus tuæ.

I ctis com-

ctis competit, ipsi in primis competit, quæcunq; denique laudes sanctis in scripturis tribuuntur, in Christo recte dicuntur completæ. De his infra in cap. 5. plura.

Responderunt ergo Iudæi. Nota Euangelistas responsionem uocare, quemlibet ad alios factum sermonem, etiã si nullus ab illis præcesserit, ad quem referatur. Sic Luc. 14. Cum Dominus uiso hydropico legis peritos & pharisæos rogaret, num liceret sabbatho curare. Euangelista præmisit. Et respondens IESVS dixit &c. Sic & in præsenti scribit Iohannes Iudæos respondisse, cum nihil adhuc uerborum ad eos fecisset Dominus, & ipsi dialogismum inciperent. Vnde uidentur Euangelistæ respondendi uerbo, pro Ebræo אמר, id est, dixit, abusi.

Quomodo respondere accipiatur apud Euang.

Quod signum ostendis nobis. Signis legationem suam Moscheh Israëlitis approbauit 2. Moscheh 4. poscebant ergo & hi signũ, quo agnoscerent, id quod Dominus sibi arrogabat authoritatis, à Deo esse ei demandatũ, nec uidebant miseri id ipsum, quod tam humilis in oculis corũ tantam exerceret potestatẽ, signũ & miraculũ esse plane stupendum. Nemo enim quamlibet contempto ei fabro & fabri filio, ut illis habebatur audebat obsistere Mat. 21. Cũ secundo hoc facinus designasset, quod describũt Mat. Mar. & Luc. interrogauerunt eum principes sacerdotum & scribæ, & seniores, qua authoritate id faceret, quam quæstionem, alia repulit de baptismo Iohannis. Hic aũt, quod alibi signum Ionæ uocat, eis obiecit, signum resurrectionis suæ. Signum sane quo electi agnoscũt omnem potestatem

Quod signum.

testatem Domino à patre traditam, sed & reprobi idem tandem agnoscent, cum uidebunt eum sedentem à dextris uirtutis, & uenientem in nubibus cæli. A mortuis enim in uitam sua uirtute redire, & uitam beatã, Deum esse utiq; conuincit, & cum cui parere debeant omnia. Hæc autem non plane & apertis uerbis sed ænigmaticos, obscuriore scilicet allegoria Iudæis respondit, di soluite templum hoc &c. corpus suum intelligens. Non enim rogauerant illi ut discerent, sed ut calumniarentur. Quare cum obijcerent templum quadraginta & sex annis ædificatum, nihil eis respondit. Poscebat enim gloria Dei, ut facto & uerbo uiderent se à Domino cõtemni. Cui cum nihil possent contra mali inferre, quod maxime cupiebant, signi satis habuerũt, ad agnoscendam Dei in eo uirtutem, sed alio acti à Satana, quod sentiebant, sentire nolebant, quodq; uidebant, nõ potuerunt agnoscere. Præterea dictum Domini & si in præsens, neq; à discipulis quidem intelligeretur, fructum tamen suum, sed suo tempore attulit, cum scilicet dato spiritu intellectum fuit. Et ex eo enim quod resurrectionem suam hic Christus prædixit, & ex eo quod eam tam glorioſe præstitit, fides in eum ut unicum omnium Dominum & saluatorem non solũ discipulis, qui hæc audierunt roborata fuit, sed etiam omnibus qui postea eadem legerunt & audierunt.

Cæterum quod Iudæi dixerũt 46. annis templũ fuisse ædificatum cõuenit cũ uaticinio Danielis 9. qui prædixit septem hebdomadibus annorũ, id est 49. plateã et fossam

Ierusalem ædificandam. Neq; obstat quod Ezra et Nehemiah breuius tempus uidentur describere, de cõsummata enim hoc ædificatione Iudæi respondẽrũt, quæ tẽpli & urbis 49. anno, ab edicto Artaxersis longimani de rcædificanda Ierusalem & templo, cuius meminit Nehemiah, facta est, tẽpli uero 46. His utiq; nõ pugnãt historiæ Ezra & Nehemiah etiamsi dedicationem templi antea factam memorent, dedicarunt enim templum, quo cultus Dei instituretur, quam primum sacrificia in eo fieri potuerũt. In Matth. 24. plura de his.

Illa uero dixit de templo corporis sui. Nota hic quã incerta doceãt, qui singulis rebus populi ueteris, certa in regno Christi respõdere, tanquã ueritatẽ typis contendũt, & inde ex ijs, quæ typi illis portenderũt. Templũ Solomonicũ, figura illis est Ecclesiæ, inde ex eo qd' tẽplo illi acciderũt, prædicunt quæ debeant accidere Ecclesiæ. Hic aũt uidemus Dominũ etiã suum corpus, in quo nimirũ diuinitas corporaliter habitat, templũ uocasse. Simlitudinẽ enim aliquã, cum tẽplo illo habet, & simlitudo spectanda est in omni translatione. Libẽter tamẽ fateor, quæ in cultu Dei præcepta sunt ueteribus fuisse, ὑποδείγματα καὶ ἀντίτυπα, id est exemplaria, cælestiũ et ucrorũ, ut Epistola ad Heb. 9. affirmat, legẽq; umbrã habuisse futurorũ bonorũ, ut 10. ca. eod. Epistola adserit, hinc tamẽ nõ sequitur, ut singulis cerimonijs et ĩstitutis populi ueteris, apud nos singula respondeãt, sintq; in illis deliniata, quæcunq; acci-

ãccidere debẽt nobis, sicut etiã nõ sequitur, illa ueterib. nihil aliud cõmodasse, quã quod futura portenderint de quo supra in caput primũ in sect. 7. in ἐκθέσει de baptismo.

Sic res omnes habent, ut imperfectiora, perfectiorum sui generis umbram quandam cõtineant, & significationem. Sic domus umbrã habet ciuitatis, et ciuitas regni. Sic herba fruticis, frutex arboris. Sed & spiritualiũ rerum significationẽ habent nonnullã, corporalia. Notiora enim nos manuducũt in cognitionẽ eorũ, quæ nõ ita nota sunt, & cũ notis tamen affinitatẽ aliquam habent. Sic ergo imperfectus & corporalis cultus Dei, ueteribus præceptus, umbram & significationẽ habuit perfectioris & spiritualis qualẽ nos habemus. Sicut & noster nondũ plene perfectus & spiritualis, umbrã obtinet plene perfecti & spiritualis, nẽpe cælestis, quẽ expectamus. Interim tamen non oportet in singulis obseruationibus, tã ueterũ, quam nostris, singulas significatiões requirere. Habet quilibet status etiã sua propria, & ueterib. multa præcepta fuere, ut quãdoquidẽ caro cerimonijs carere nõ potest, ut occuparẽtur ijs quæ deus præcepisset, ne uel sibijpsis fingerẽt, p prias, uel à gentib. mutuarẽtur inuẽtas à dæmonib. Sic enĩ adsuefiebãt uoci parere Domini, et in timore eius uersari.

Cum ergo resurrexisset è mortuis. Nota ut certis temporibus omnia dispenset Deus. Regnum et gloria Christi est, spiritu suo electos illuminare, & cælesti sapientia donare. Quia ergo pati Christum ante oportuit, quam regnum & gloriã suam ingredi. Luc. 24. spiritus etiam tam Ordo operum Dei.

opulente dari non potuit eo nondum glorificato, infra 7. rudiores igitur manserunt discipuli, donec mortuo, & in de glorificato Christo, paracletus ipsis aduenirет. Nihilo minus uitam æternam iam fide possidebant, ita citra iactu ram salutis est, si interdum quædam ad tempus ignoremus, si modo obsignati sumus spiritu filiorum Dei, & ob tinet apud nos timor & fiducia Dei.

Et crediderunt scripturæ &c. scilicet iam intellectæ. Et antea enim ueram scripturam non dubitabant, sed in Domino uere demum completam, non ita agnoscebant.

OBSERVAT. Primum circa id, quod Dominus Capernaum cũ suis habitauit obseruandũ, ut Dominus in ter suos, & in patria donec alio à patre excruderetur, humilis & obscurus degit. Sic & nobis nostræ uocationes non sordeant, neq; nostros deseramus, donec ab eis nos abstrahat pater.

Quod ad festum ascendit, monet ut nihil præceptorũ Dei quamlibet minutum id sit, aut etiam nullum morem publicũ, qui alijs cõducat, etiam si nos eo nõ indigeamus, præcreamus. Contra faciũt catabaptistæ, qui quod putãt sibi nõ esse opus publicis concionibus, nullas inusitant & contemptas reddere conantur, quæ tamen si non ipsis, Ecclesiæ certe reliquæ, etiam necessariæ sunt.

In expulsione uendentiũ exemplũ est zeli pro gloria Dei, quẽ tamen moderari oportet à spiritu Dei. Sic enim succedit quicquid tentaueris, quanquã insolens sit, quale erat præsens Domini facinus. Sine spiritu nihil recte feceris, si etiam nihil insolens sit. Agi oportet spiritu Dei, qui

filij Dei sunt, nõ sua duci ratione. Is si in nobis obtinuerit & uret nos, quod gloriã Dei obscurat, & cõmodum contraid, quicquid sit incitabimur, ac ita armabimur, ut omnia nobis cedere oporteat.

Animaduertendum etiã in hoc facto, quam inuisa res Deo sit, sub prætextu cultus eius, nostra quærere.

In eo qd' Iudæi sentientes uim diuinã, & signũ plusquã admirandũ, signũ adhuc postulant, stupor & cæcitas reproborum obseruari debet, quibus nihil satis ueritatẽ probare potest, etiam si tangant eam manibus. Nati enim ex Diabolo, nõ possunt rebus Dei non aduersari.

Quod responso suo Dominus magis stupẽtes illos reddidit, animaduertendũ est iustum iudiciũ Domini, sic poscere, ut uidentes nõ uideant, de quo infra 9. plura. Vnde si in sermone sanctorũ tales offendãtur, animaduertendũ ita semper solere spiritũ Domini. Excæcat & indurat reprobos, quicquid agat, aut dicat, ut in capite sanctorum, Christo, ita & in omnibus membris eius. Vnde mittẽdi nobis sunt, neq; cruciari nos debet, si quando ueritate rite dispensata eos offenderimus, plantatio sunt, quã pater cælestis nõ plãtauit, quare eradicari nos oportet, utcunq; tractentur. Nobis tamẽ dãda semp opera est, ne nostra culpa illi ansam arripiãt, ueritatẽ blasphemãdi, id cauebimus, si in timore et tremore semp uocationi nostræ attendamus, sedulis precibus ducatũ spiritus perpetuo orantes.

Postremo circa id quod & Verba Domini discipuli à resurrectione eius, primum recte cognouerunt, obser-

uandum, quam non sit nostrum ueritatem agnoscere, sed tantum spiritus Dei, qui nobis licet discipulis Domini tum datur, cum patri uisum est. Nihil igitur sibi caro arroget, sed spiritum illum oremus, qui docet suggeritq; omnia, & in omnem inducit ueritatem.

Sect. 3.

Cum autem esset Hierosolymis.

Neq; hæc paraphrasim requirunt.

Duplex fides.

ANNOTAT. Notandum hic, duplicem esse fidem. Veram enim habentibus, ac per eã, filijs Dei constitutis, utiq; Christus semetipsum credidisset. Sed erant, quos signa eius, in eam admirationẽ eius adduxerant, ut esse eum aliquid persuasi essent, ac ita in nomẽ eius crederent, hoc est, eũ prophetã & filiũ Dei, qui nominabatur agnoscerent, sed id citra animi innouationẽ, citraq; certã salutis ab eo expectationẽ. Vt enim eiusmodi Deũ ignorant, neq; nosse possunt, ita neq; uere in nomen Christi possunt credere, alioqui haberent uitam æternã. Ratio igitur istorũ ĩ præsẽs miraculis cõuicta erat, Iesum aliquid magni esse, quæ ratio quã in præsens illũ admirabatur, credens in nomen eius, tam postea fuit auersata & detestata, dum sensit illũ suis cupiditatibus aduersarium. Sic credunt & illi, qui semini in petrosam terram iacto assimilantur, ad tempus scilicet, & in tẽpore tẽtationis recedũt. Luc. 8. Nã sicut dũ ratio in Domino agnoscit, quod sibi conducturum arbitratur, ipsum amplectitur, quemadmodũ faciebãt turbæ à Domino pastæ, et aliãs quoq; adiutæ, ita dũ rursus ĩ eo offendit, quod auersatur, et ipsum reijcit atq; damnat.

Sic hodie uidemus multos qui paulo ante mire Euangelio Christi uidebantur addicti, quia in eo deprehenderant, quod faciebat ad cupiditates suas, alius carnis sperabat libertatem, alius opes sibi promiserat sacrificorũ, ubi autẽ neutrum illis, sed crucem potius cœpit adferre, tam modo detestantur illud, quàm ante probabant. Isti sunt qui credunt in nomen Christi, & ipse tamen se eis non credit, nouit enim quid sit in homine, nouit eos nihil minus habere, quàm ueram solidamq; in se fidem. Hanc enim qui habent, spiritum Dei habent, noui homines sunt, Dominum ut uere cognoscunt, ita ab eo diuelli nunquam possunt, sese credunt Domino, & Dominus se illis, unum nanq; sunt, Dominus in illis, & illi in Domino. Hac fide iusti uiuunt, & habent uitam æternam. Ad hæc facunt & quæ supra in primum caput, in Secti. 2. de cognitione Dei disserui.

Notandum etiam ex eo quod Iohannes narrat multos uidentes signa, quæ Dominus faciebat, in nomen eius credidisse, quod multa ille signa fecerit, quæ tamen Euangelista, memorare non duxit operæ precium, qui enim Christũ non agnouerit ex his paucis, quæ conscripta sunt, neq; agnosceret eum, si ad unum omnia in literas essent relata.

OBSERVAT. Hierosolymis, dum suæ uocationi Dominus inseruit, inclaresci, ita tum demum apparebit qui simus, & quid à Domino acceperimus, dum locus & tempus fuerit diuinitus destinatum, & nos uocationem Domini diligenter fuerimus secuti. Interim libenter latea mus, quia non nobis, sed Domino uiuimus & morimur.

Quod multi fucati Domino credunt, moneat ut non multitudine, sed sincera fide auditorum oblectemur. Deniq; quod nouit Dominus, quid in homine sit, deterreat nos ab hypocrisi, & confidere faciat, si à Domino pendemus, spiritum eius nos seruaturum, ne quis & nobis periculose imponat. Si enim illi uiuimus, eius in nobis spiritus, quem nihil latet, in tempore omnia præsentiscet.

CAPVT III.

Erat autem homo ex Pharisæis Nicodemus &c.

PARAPHRA. Institutum meum est, quædam Domini Iesu dicta factaq; narrare, ut ex ijs, seruator orbis agnosci queat. Cum igitur capite superiore duo insignia & mira facta eius, ex quibus diuinitas eius clare dinosci potest, memorauit, commodum usum est, nunc sermonem eius, quem cum Nicodemo homine pharisæo, & inter Iudæos principe habuit, adiungere, in quo dilucide, & quid à nobis requirat, ut regni eius ciues simus, & quid ipse præstare uenerit, suis uerbis explicat. Venerat enim ille ad eum, ut de doctrina uitæ certior fieret, uti ex omnibus gentibus, & ordinibus hominum, Deus aliquos sibi seligit, & filio suo donauit. Tenebatur ergo aliquo studio Dei hic Nicodemus, licet inter pharisæos, hoc grauiores Christi

Christi hostes, quo sibi plus æquo placebant, ageret, ad hæc princeps esset inter Iudæos. Hæc sanè mundi celsitudo, multos alios Christo reddebat infensos, dum suam, diuinæ gloriæ, cedere nequirent. Sed semẽ Dei, quod in hoc Nicodemo erat, uincebat omnes has tricas & remoras, effeceratq; ut ex signis quæ Dominus faciebat, persuasus iam esset, quod Deo uenisset doctor & magister omnibus audiendus. Vnde dicebat: Rabbi, scimus, quod à Deo uenieris magister, nemo enim ista signa facere potest, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo, ut autem simul uidcas, magni apud mũdum esse, obstaculo ferè esse ad regnum Dei, nocte uenit hic Iudæorum princeps, indubie quod sibi à pharisæis metueret, & nondum posset quæ carnis sunt, cælesti doctrinæ posthabere, quã indubitato tamen agnoscebat. Iesus autem qui præcipue propter ægros medicus uenit, imbecillitatem uiri minime auersatus, continuo summam doctrinæ suæ illi proponit. Amen amen inquit, nisi quis de integro natus fuerit, nõ potest regni dei particeps fieri. Natus ex homine, cælestia ex se nosse et amare, ac ita immortalitatis particeps fieri nequit, quare penitus innouari oportet eos, et alios fieri, qui in regnũ Dei admittentur. Id Nicodemus non intelligẽs, dicebat quomodo potest homo nasci, iam senex? &c. Iesus igitur explicatius eadem illi respondebat. Amen inquit amen dico nisi quis nascatur ex aqua & spiritu, hoc est, consecretur mihi sacro baptismate, et simul spiritu, externũ enim lauacrũ per se nullius momenti est, in regnum Dei, ut Deum rite cognoscat,

& eo

& eo patre fruatur, ingredi haud poterit. Quod enim ex carne natum est, caro est, nihil nisi homo, qui quæ Dei sunt percipere non potest, carnalia tantum sapit & spirat. At quod ex spiritu natum est, spiritus est, cælestia sapit & spirat, unde consors est diuinæ naturæ, & particeps regni Dei. Ne mireris igitur quod dixi oportere uos nasci de integro, planéq; nouos fieri, cum caro & sanguis regnum Dei hæreditare nequeant. Porrò ut cognoscas cuiusmodi sit ex spiritu renatus homo, nouáq; ex cælesti semine facta creatura, considera uentum, is fertur quo libet, nulla re obstante, strepitum eius audis, uerum unde ueniat, aut quo feratur, scire non potes, sic habet se spiritus DEI & qui nati sunt ex spiritu. Spiritus afflat, quos uult, et uim eius, in omnib. quos afflarit, probe sentis. Quis enĩ non uidit in Moscheh in Elijah, alijsq; sanctis innumeris, uirtutem diuinam, & spiritum cælestem? Quis non sensit eos alios, quã uulgo homines sunt & nascuntur, es ipsi quoq; à parentibus suis nati erant? Sed unde istis uis illa diuinior adesset, quóue eos ageret, qui eodem spiritu non erant præditi, haudquaquam potuerunt cognoscere, eóq; stupori his erant uiri illi Dei. Ad hunc modũ sunt, quicũq; ex spiritu Dei nati sunt. Quos enim in hoc ab æterno delectos, uirtus ista Dei renouatrix afflauerit, ita innouat, ita transformat, sic contemptores rerum carnalium, & admiratores reddit cælestium, ita exuit amore sui, & accendit amore proximi, ut stupori sint, hominibus sæculi. Vident alios & nouos, sentiunt totos renatos, at unde hæc illis im-

illis immutatio contigerit, aut quo tandem sit eos actura, prorsus ignorant, uti & Deum ignorant, cuius spiritus est hæc uis, & energia immutatrix. Proinde cum iam manifestum sit regenitorum ex spiritu, ab alijs discrimen, non debebat tibi Nicodeme esse adeo insolens hic sermo meus, de innouatione eorum, qui in hoc electi sunt, ut regni Dei ciues euadant.

ANNOTAT. Nicodemus princeps Iudæorum dicitur, quod esset inter Iudæos primarius & eximius. Ex principum enim numero & consilio, fuisse cum, & infra 7. legimus, Sect. ultima.

Quod uerti de integro, considerans hoc, quod totos innouari nos oportet, alij quidam legunt è supernis, utroque enim modo ἄνωθεν uerti potest, & Nonnus posteriorem sensum uidetur amplexus, cum in Paraphrasi sua loco ἄνωθεν, posuerit ἀιθέρος ἀυλῆς, id est, ex ætherea aula. Vulgo legitur denuo, uel iterum. Certum autem est, Dominum uoluisse significare requiri, ut iterum nascamur, ac toti innouemur, id cum spiritu Dei fiat, è supernis nos renasci non inepte dicitur. Infra sanè Section. tertia ἄνωθεν pro è supernis, ponitur, ubi Iohannes ait qui è supernis uenit, super omnes est. Denuo, de integro.

Videre regnum Dei, ebraismus est, & idem pollet, quod participem esse regni Dei, unde Nonnus pro eo reddidit, habere æternum principatum, & Dominus ipse paulò post, ingredi in regnum Dei. Regnum Dei, est iustitia, gaudium & pax in spiritu sancto, Roman. 14. certa Videre regnũ Dei.

perceptio

perceptio salutis, quæ sita est in iusta Dei cognitione, & obsignatione spiritus sancti, quib. hæc cõtigerint, is Deo dicere potest, rex meus & Deus meus, is regni eius ueris bonis, sapientia, iustitia, & felicitate, hic partim fruitur, & in futuro plene perfruetur. Cum igitur hæc omnia ab eo pendent, quod suo nos DEVS spiritu afflet, illustret, accendat, et ad se rapiat, recte dixit DOMINVS neminem, nisi renatum, totúmque innouatum, posse regnum DEI uidere, hoc est, ingredi, & uerorum bonorum participem fieri. Hoc ipsum aliâs, alijs uerbis dixit, neminem posse suum discipulum esse, nisi qui abnegauerit semetipsum et renunciauerit omnibus. Hinc Paulus nouum hominem, & nouam in Christo requirit creaturam, quæ in nobis cœpit, simul atque datum nobis est credere in nomen Christi, atq; ita esse filij Dei supra 1. perficitur autem cottidie à spiritu Dei, qui ad imaginem Christi cottidie nos magis ac magis reformat, de quibus legis 2. Corinth. 3. 4. & 5. capitibus & in omnibus sub finem, Gala. tertio & sexto, Ephes. secundo & quarto, Coloss. tertio. Sed quid opus citare certa Pauli loca, cũ hoc ipsum ut caput doctrinæ Christi, nusquam non tractet?

Ex aqua & spiritu. Per aquam hic libenter baptismum cum Chrysostomo intelligo, non quod externa lotio per se necessaria sit ad salutem, sed cum symbola uanæ res sint, quando sine spiritu DEI adhibentur, Apostoli non solent de eis loqui, nisi ut uere, & cum spiritu

Ex aqua et spiritu.

spiritu DEI adhibitis. Hinc Paulus Roman. 6. An ignoratis, quod quicunque baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius baptizati sumus? &c. Et ad Gala. 3. Quicunq; enim baptizati estis, Christum induistis. Cui iam dubium multos baptizari, qui nihil minus quàm mortem Domini amplectantur, & ipsum nunquam induunt? Sic Ephesi. 5. scribit Christum sanctificare Ecclesiam, cũ mundauerit lauacro aquæ in uerbo. Et ad Tit. tertio scribit quod nos Dominus saluauerit per lauacrum regenerationis, & renouationis spiritus sancti. Quis autem nescit, externo lauacro, neque Ecclesiam mundari, neq; nos saluari? Apostolus autem de baptismo rite exhibito loquitur, sic enim consecratio est hominis in gregem Christi, cooptatio in eorum numerum, qui spiritu Dei donati, peccatis cum Domino uere moriuntur, & iustitiæ uiuunt, eoq; uere mundantur, saluantur, regenerantur, & renouantur, non id quidem per externam ablutionem aquæ, & depositionem sordium in carne, ut Petrus inquit, sed per spiritum Dei, quo testificante nostro spiritui, de Dei erga nos beneuolentia, bona erga ipsum sumus conscientia 1. Pet. 3. et ad imaginem Dei transformamur à gloria, in gloriam tanquam ab eodem spiritu Domini 2. Corin. 3.

Symbolis tribuũtur, quæ per ea significantur.

Mos scripturæ est, ut symbolis tribuat, quæ symbolis repræsentantur. Hinc Ananias dicebat Paulo: Surge baptizare, & ablue peccata tua Acto. 22. cum iam antea peccatis esset fide purgatus. Baptismo autem, quo Ecclesiæ publicus inserebatur, & Christo consecrabatur,

initiatio

initiatio eius in Christum, quæ ueram peccatorum adfert ablutionẽ, repræsentabatur, igitur tum dicebatur illa fieri, & ipse peccatis ablui, quibus tum ablutus fuit, cum dicebat: Domine quid faciam? Nihil aliud est & solutio & remissio peccatorum Ecclesiæ promissa. Neminem utique illa soluit peccatis, nulli cõmissa cõdonat, nisi Christo credenti. Iam huius peccata fide purgata sunt, priusquam Ecclesia ipsum absolutum pronunciet. Fieri ergo & in eo dicitur, quod factum Ecclesia testatur, & pronunciatione iuxta uerbum DEI, omnibus palàm facit. Hunc si loquendi morem scripturæ obseruassent, & ueteres & recentes, purius & minori cum contentione, de sacramentis et spiritu Dei uulgo cum sentiretur, tum disputaretur.

Quid nãsci ex aqua.

Proinde quod Christus hic dixit: nisi quis natus fuerit, ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei, sic intelligo, nisi quis in meum gregem recipiatur, quod ordinaui baptismo fieri, & spiritu Dei afflatus fuerit, qui mentem innouat, non poterit Deum uere cognoscere, & iustitiæ eius, gaudij & pacis in spiritu sancto, in quibus regnum Dei situm est, fieri particeps, id enim est ingredi regnum Dei.

Ne ue uero ex hac expositione sequitur, aquæ baptismum ad salutem per se necessarium esse, contra id quod Dominus dixit Marc. ultimo, qui non crediderit condemnabitur, omittens baptismum, cum antea dixisset, qui crediderit et baptizatus fuerit saluus erit. Dominus enim spectauit hic, quod habet publicum institutum suum, quod nemo

nemo piorum uolens præteribit, aquæ uero his non plus salutem affixit, quam Paulus & Petrus dum per lauacrũ aquæ nos saluos factos affirmant. A spiritu est tota regeneratio, eum qui habuerit, etiamsi aquæ baptismum non percœperit, noua nihilominus in Domino creatura est, et ciuis regni Dei, unde et hic Dominus in sequẽtib. tantũ de spiritu, omissa aqua, uerba facit. Aquæ tamen baptismũ, externamq; in Ecclesiam DEI receptionem, nemo temere negliget pius.

Quod natum est ex carne: hoc Prosapodosis est, caussæ redditio, eius quod præmisit. Nam ideo in regnum Dei nemo nisi renatus ingredi potest, quod omnis natus ex carne, prima illa & naturali natiuitate, nihil sit nisi caro, caro autem nequeat regnum Dei consequi. Cognitione siquidem Dei, regni eius participes reddimur, hæc enim uita æterna est, iam animalis homo, qui caro est, ea quæ Dei sunt cognoscere prorsus nequit, priore Corint. secundo, igitur necesse est, alios & spiritales fieri, quicunque in regnum Dei ingredientur.

Ne mireris: hoc iam ex superiori infertur, quasi dic. Dominus, habes Nicodeme caussam, & necessariam quidem, cur dixerim non posse in regnum Dei quenquam nisi denuo uel de integro natum ingredi, noli ergo id mirari.

Spiritus ubi uult spirat, hæc superiorũ explanatio est, sunt autem qui non de uento, sed spiritu Dei, hæc intelligant. Spirat utiq; ille ubi uult, nullo creaturæ arbitrio moderari potest, nihil illũ prohibere, nihil asscisere. Electos

Spiritus ubi uult ſpirat.

ſuos afflat, nouosq; reddit. Huius uocem homines audiunt, nam in ſanctis loquitur, uerum unde aduenerit illis, quóue iterum abeat, ignorant. Prophetas utiq; audiebat populus diuina diſſerere, in quo uocem ſpiritus clare percipiebat, at unde ille ſpiritus eis aduenerit, aut quo abiret, ignorabant. Schaul regem antea ſpiritu uacuum, ſpiritus prophetiæ inuaſerat, prophetabat ergo & uox ſpiritus ex eo audiebatur, uerum unde ueniret illi ſpiritus, & quo abiret, uulgo neſciebatur. Cumq; conſidero ſpiritus nomine ſine additione, non adeo crebro uentum, ſed ferè uirtutẽ Dei in ſcripturis ſignificari, & quod docto legis Nicodemo, non minus idonea manuductio eſſe potuerit, ad cognoſcendum, quid ſit homo renatus ex ſpiritu, exemplum de ſpiritu D E I, afflante quos uult, & forte familiarior, quàm de uento, hanc ſanè expoſitionem, priori nequaquam poſtpoſuero, imò ut uerum fatear, hæc uidetur mihi germanior. Vtramuis autem ſequaris, hoc diſci ex adducto exemplo D O M I N V S uoluit, natum ex ſpiritu, eum eſſe, quem afflauerit, et transformauerit, uirtus D E I, quæ afflat & immutat cæleſteſque reddit, quos deſtinauerit D E V S. Vnde ſubiecit. Sic eſt omnis qui natus eſt ex ſpiritu, id eſt, arcana D E I uirtute afflatur, & ad cæleſtia rapitur, ut ſit omni carni admirationi, quæ alium & diuinum uidet, ſentitque, neque tamen agnoſcere poteſt, unde id ſibi contigerit, & quem demum finem cum eo facturum ſit.

Obſer-

OBSERVATION. Obſerua primum Deum ex omnibus hominum ordinibus habere ſuos. Deinde electos non poſſe, non tandem ad Dominum uenire. Præterea mundi dignitates ferè pietati impedimento eſſe. Obſerua uero in Domino, imbecillem adeo Nicodemum non aſpernante, ſed blande & familiariter docẽte, quomodo et tu infirmos fide debeas tractare, neminem certe, qui de ueritate inquirat abiicere, ſed cum omni manſuetudine, & longanimitate ciuſmodi erudire. Denique animaduertendum in his, quàm ſtupeant ad diuina, etiam in ſcripturis doctiſſimi, ubi non docet ſpiritus D E I. Protritam enim in omni ſcriptura de innouatione noſtri doctrinam, magiſter in Iſraël Nicodemus capere non potuit, quamlibet familiariter à Domino traditam.

Reſpondit Nicodemus & dixit ei: Quomodo.

Sect. 2.

PARAPH. Nondum hora erat, ut ſpiritu plenè Nicodemus omnia edoceretur, ſtupebat ergo etiamnum, dicebatq; Domino. Quomodo poſſunt hæc fieri? Cui Dominus: Tu magiſter es Iſraëlis, & doctor aliorũ, et iſta, tam cantata in ſcripturis ignoras? Quid enim aliud eſt cordis circũciſio, uobis diligẽter adeo à Moſche ipſo cõmendata, qd toties inculcata populi ſanctificatio, quã iſta de qua loquor animorum innouatio, et ſpiritualis natiuitas? Satis utiq; omnis ſcriptura teſtatur, omnẽ carnẽ tantũ ad malũ

ppensam esse qui igitur nisi renata, et sanctificata, regnū dei, qd' iustitiæ regn estū, posideret? Quid apertius, quā quod de regignente, & innouante spiritu Iirmeiah 31. Itē Iechezkel 11. & 50. et Ieschaeiah passim uaticinati sunt? Id ipsum et Psalmi, plusquam dilucide canunt, mirandum igitur, quod tibi sermo meus tam insolens uidetur. Sed hæc tibi nequaquam ideo opprobro, quod desperare de cælesti sapientia debeas. Cœpisti mihi credere, in eo persta, quæ modo capere non potes, capies postea, cum paracletus tibi, me per mortem glorificato, aduenerit. Interim tamen, quæ tibi dixi uera ne dubites, affirmo enim tibi, uerissima esse. Nā qui uobis Euāgelion regni adnunciamus, et ad innouationē uestri uos hortamur, Iohannes & ego, nequaquam incerta uobis, sed quæ scimus loquimur, & quæ uidimus, hoc est, certo cognouimus, testamur, uos autē testimonium nostrū, non recipitis, uos inquam Iudæi, quibus peculiariter illud missum est. Agnoscite hinc quā stupidi ad doctrinam Dei sitis. Terrena sunt, si conferas sublimibus illis mysterijs, filijs Dei adhuc reuelandis, quæ Iohannes & ego, de resipiscentia, & uitæ innouatione, necessariaq; spiritus regeneratione hactenus docuimus. Quis enim non sentiat, omnes sensus & cogitationes suas à puero ad mala propendere? Quis nesciat autem, non nisi iustis et sanctis, posse cæli municipatum contingere? Denique quis non uideat, nisi spiritu Dei, non posse nouos & sanctos renasci? Quid igitur tam abstrusum, quid adeo cæleste adhuc uobis dixi? Si autem cum di-

cum dixi tantum terrena quædam, quæq; sint rudimenta filiorum Dei, & non creditis, neque potestis illa uera agnoscere, quomodo creduturi sitis, si dixero uobis planè cælestia, sublimiora illa regni Dei arcana? Vel hinc itaq; agnoscite, quàm uerum dixerim, oportere uos renasci, & alios fieri. Sic sanè res habet, quod ex carne natum est, caro est, carnalia tantum sapit, & in terram semper pronum incumbit. In cælum, in diuina nemo unquam ascendit, nisi qui è cælo descendit, filius hominis ille, qui in cælo semper est, & diuinitate nunquam non fruitur. Verbum enim patris est, Deus uerus & homo item uerus, in posterioribus his temporibus factus. Hic solus patrem nouit, & notum facere, id est, in cælum secum subuehere potest. Ipsum enim pater electis omnibus unicum saluatorem proposuit, ut quicunque illi fidem habuerint, saluatorém que suum agnouerint, ita ab omni malo liberentur, & æternam uitam consequantur, quemadmodum olim à morte seruabantur, icti à serpentibus, quum serpentem æneum, à Moscheh in deserto suspensum, adspicerent. Nam ut exaltatus omni populo cospicuus, ille pendebat, ita oportebit & filium hominis, postquam morte infra infimos quosq; deiectus fuerit, factusq; חרל אישים id est, minimus uirorum, exaltari per Euangelion, uisendumq; toti orbi proponi, non quidem oculis corporis, sed fide mentis. Tanta siquidem dilectio Dei erga mundum, hoc est, erga omne genus hominum fuit, ut filium suum unigenitum dederit, atque in hoc omnibus mortalibus pro

posuerit, ut omnis qui credit in eum, & eum seruatorem suum agnoscit, non pereat, quanquam in se nihil nisi peccatum, unde iure perire debebat, deprehendat, sed habeat uitam æternam, & bonorum omnium sacietatem, hic spe certa, in futuro uero possessione plena & reuelata. Nam licet plurimis sit positus in ruinam, reprobis scilicet, et natis ex Diabolo, qui offensi eo, impietatem suam consummabunt, & impingentes in eum, confringentur, & tandem cadente ipso super eos, comminuentur, attamen non hac caussa hunc filium suum Deus in mundum misit, hominem factum, sed multo magis, & præcipue ut mundus omne scilicet genus hominum per eum saluetur, liberatum omni iniquitate, et donatũ plena iustitia. Id consequentur, quicunq; in ipsum crediderint. Etenim qui illo fidit, quiq; certa fiducia ab eo pendet, is quamlibet peccator non condemnabitur, sed olim peccatis omnibus plenè per spiritũ illius liberabitur, ueraq; iustitia donabitur. Qui autem in eum non crediderit, iam condemnatus est, uel eo solo, quod non credit in nomen unigeniti filij Dei, hoc est, non recipit eum, qui solus potest peccatis liberare, & iustitia atque uita donare. Porrò condemnatio hoc ipsum est, & in eo præcipue declaratur, quod lumen uenit in mundum, ueritas & salus per Euangelion adnunciatur, & omnibus palàm ostenditur, ubi salus & iustitia petenda sit, & homines tamẽ, ij qui non sunt nati ex DEO magis tenebras, ignorantiã scilicet omnis boni dilexerũt, quã lucem. Mala enim erant opera eorum, omnia nanque studia,

studia, omnesq; conatus eorum qui ex spiritu non sunt renatti, praua sunt, idq; quanto plus ueritatis uulgo cognoscitur, tãto magis fit manifestiũ. Ideo eiusmodi mali homines, mallẽt cunctos mortales stipites esse, et ignorãtia tenebris omnia tecta, quã ueritatis scientia multos pollere, imò sibi ipsis inuident recti scientiam, graueq; est, ubi illa ultro sese illis insinuat, quod eos si illam admittant, tanto plus torqueat mali conscientia. Quæ autem iam possit maior impietas excogitari, quã execrari pietatis doctrinam, neque solũ nolle quod rectũ est, facere, sed ne nosse quidem uelle, exitialiq; odio persequi eum, qui quod rectum est, uelit indicare? Quis dubitet actum de eo ægroto, qui uel meminisse medelæ exhorreat, ita quis non agnoscat tam iudicatos & condemnatos eos, apud quos Satan tantum ualet, ut audire non sustineant, & ad necem usque persequãtur eũ, qui nõ modo uitã & felicitatem indicat, sed et largitur, unigenitum DEI? Proinde quod cœpisti Nicodeme, mihi crede, mihi adhereto, lux mundi sum, & saluator omnium in me fidentium, peccata quidem hominum detego, sed ut illis eos liberem, quanquã nunc quædã capere nõ possis si mihi non remiseris nuncium olim cognosces, et possidebis quod bonũ est, uitãq; æternã plene percipies.

ANNOTAT. Quod scimus & cætera. Nisi hoc uelis enallagen numeri esse, ut idem sit, ac si dixisset, quod scio, non uidetur Domino rectius quisquam, quàm Iohannes coniungendus, quum Iohannes eadem omnino de innouatione hominum docuerit, Chrysostomus putat, hoc intelligi

telligi posse, quod de se Dominus & patre dixerit · nos est.

Testimonium nostrum non recipitis, id est, pauci uestrum recipiunt, aliquot enim illud receperunt · Simile supra habuimus. In propria uenit, & sui eum nō receperūt.

Quomodo terrena.

Si terrena dixi uobis: Cælestis magister omnia cælestia dixit, ut certe renasci ex spiritu, nihil minus quàm terrena res est, attamen terrenum & crassum dici potuit, si id conferas cum eo, quod nos per omnia conformes fieri oportet imagini unigeniti, & prorsus esse deos · Quis enī nō sentiat cū Paulo in carne sua nihil esse boni, eoq; immutatione sibi opus esse, eaq;, quàm nemo nisi spiritus DEI posit prestare?

Nemo in cælum.

Nemo ascendit in cælum · Hæc & rationem in se continent, quare homines ita stupeant ad diuina · Si enim nemo in cælum ascendit, non est mirum quod capere homines cælestia nequeunt · Et consalationem, ne tamen desperent, quod per Christum queant in cælum subduci, & cælestia omnia consequi · Cæterum cælum ut supra dixi, significat, lucem inaccessam, quam Deus inhabitat, reuelatum diuinæ maiestatis splendorem, huc tam nemo potuit ascendere, præter unigenitū Dei, quàm nemo præter cū, patrem cognoscere · E cælo hic uenit, dum homo factus est, qui antea tantum Deus erat · In cælo semper est, quia semper Deus est · Vt uero filius hominis, definitum à patre tempus in terris ægit, postea & homo, in cælū, in inaccessam diuinitatis lucem subuectus, & ad dexteram patris, hoc est, in supremam potestatem collocatus est ·

Notandum

Filius hominis.

Notandum autem diligentiß · quod Christus filium hominis, id est, hominem (Ebraismus enim est) se se ubique appellat · Verbum nanq; caro, id est, uerus homo factum est · Semen Abrahæ assumpsit, uerus filius Dauid est salutatus, uere Maria eum hominem peperit · Solam peccatū, quod neq; naturæ hominum sed morbi est, ille nō habuit, cætera in similitudine hominum, hoc est, uerus & alijs similis homo factus est, de oßibus & carne nostra · Sunt hodie, quos infelix contentio, alioqui minime malos homines, eo torsit, ut ob adamatum nimium dogma præsentiæ corporalis Christi in pane Eucharistiæ, affirment Christum nequaquā hominem esse, ut nos sumus, neq; eius rationis, cuius nos corpus habere, sed quod simulatq; à uerbo assumpta humanitas fuit, facta sit diuinitas, cœperitq; eße ubiq; · Eoq; uisibiliter quidē uno in loco Christū ante resurrectionē egiße & passum eße, at inuisibiliter fuisse ubiq; & impaßibilem ·

Contra nouos negatores carnis Christi.

Quod uero mireris, hoc pernitiosum commentum suum probaturi, id adducūt quo ipsum maxime destruitur · Verbum inquiunt caro factū est · Christi caro Verbi caro est, & à spiritu sancto concepta, non igitur potest loco circunscribi & alia cum nostra carnè habere communia · Si quis ò fratres uobis φιλαυτίαν καὶ φιλονικίαν eximere posset, atq; persuadere & uos homines eße, atq; labi posse, quam facile ad hæc uobis responderetur · Si creduis Verbum carnem factum, cur alium, quam nos sumus hominem, peccato solo, quod non est naturæ, sed morbi ex

Verbum uere caro factum.

cepto Christum fingitis? An nescitis carnem pro homine, & quidem mortali in scripturis poni? Euangelista certe Verbum ideo carnem, quam hominem factũ, dicere maluit, ut nobis commẽdaret, summam illam Domini, nostri causa susceptam humilitatem. Caro, hominem nequaquã immortalem, inuisibilem & impassibilem, sed mortalem, uisibilem & passibilem in scripturis significat, hoc ut nos immortales & beatos redderet Verbum factum est.

Quod ex spiritu sancto conceptus Dominus est, ex eo inferte, quod Angelus, qui id primus renunciauit, nimirum, ideo sanctum Dominum, & filium Dei esse, non immortalem impassibilem, nõ omnibus præsentem, & Deo æqualem. Homo & Mariæ atq; Dauidis filius, ab eodẽ Angelo nominatur, id esse non poterit, nisi natus sit uerus homo, qualis Dauid secundum naturam, qualisq; Maria fuit. Deus & homo Christus est, non mixtum ex utroq;.

Quæ ergo hominis sunt, nequaquam Christo adimenda sunt, sicut neq; ea quæ Dei sunt, sed suum utriq; naturæ tribuendum. Alioqui omnis spes nobis resurrectionis, & tota Christo gratia incarnationis tollitur. Qui enim nostri causa, nostram carnem assumpsisse illum agnoscamus, qui carnem assumpsit, quæ semper fuerit ubiq;, ac uere impassibilis, & tantum uisibiliter, quod quid aliud est, quam in speciem, passibilis? Quomodo stabit argumentum Pauli, si Christus resurrexit, et nos resurgemus, si ille non habuit carnem nostræ parem? Quid enim mirum à morte resurgere carnem, quæ nunquam mori potuit in

Subuertitur hac opinione spes resurrectionis.

1. Cor. 15.

tuit inuisibiliter, & mortua est tantũ uisibiliter? Si uero & nos spiritualia corpora nanciscemur, quæ æque ubiq; erũt, frustra carnis resurrectionem speramus. Non enim caro sed spiritus, imò Deus resurget. Nõ sic Paulus Christum cælestem Adam, & spiritualem esse prædicauit, sed qui spiritu Dei perfunderet in se credentes, sicut primus Adam genuit ex se, qui uitam haberent corporalem. Certe dum nos tales futuros pronunciat, qualis est cælestis Adam, & imaginẽ eius gestaturos, sicut gestauimus terreni, omnino eandem Christo, peccato duntaxat excepto, quam nos habemus, carnem tribuit. Ea autem cum in præsenti conditione immortalitatis capax non sit, oportebit corruptibile hoc, induere incorruptionem, & immortale hoc, immortalitatem. Idq; nõ aliunde speramus, quã quod Christus corruptibilem & mortalem carnem, nempe nostram assumpsit, estq; in ea uere, quo ad uisibilia, & in uisibilia naturæ mortuus, uere emisit è corpore spiritum uitæ corporalis, & tamen in triduo, in uitam rediit, quare & nos redibimus, sed nostro tempore. Christus enim primitiæ resurgentium fuit, qui ceu signum huius spei in se nobis sustulit. Lege diligenter, quæ Paulus 1. Cor. 15. scripsit, & stupebis, qui possint illi fratres, tales enim eos adhuc habeo, in tam manifesta ueritatis luce, misere adeo palpitare.

Non minus uero euertit errorem illorum & quod ad Ephes. 5. Paulus scripsit: Quia membra sumus corporis eius, ex carne eius, & ossibus eius. Ephes. 5. Qui enim ex

carne

carne, & oßibus eius erimus, si ipsius caro & ossa fuerunt semper ubiq;, & impatibilia? Reduuiua ista Marcionis commenta, qui gloriæ CHRISTI studetis fugite, sacram anchoram spei nostræ, ne subuertite, & incomparabilem Dei erga nos dilectionẽ, qui nostri cauſsa, nostram carnem, Verbum suum, & ne angelos quidem, aßumere uoluit, nolite imminuere. Frater noster factus est filius Dei, & eorum quos redemere uenit, carnem uere habuit, in ea uere mortuus est & resurrexit, immortalemq; gloriam introiuit. Cuius & nos credentes ei, quam libet miseri & mortales, participes erimus. A fermento igitur hoc pestilenti nimium, summo studio cauete, quotquot Christum sinceriter colitis. Qui plura pro ueritate carnis Christi legere uolet. Legat lib. Tertull. de carne Christi, & quæ scripsit contra Marcionem.

Omnia ali quo modo Verbum per quod condita sunt, referunt.

Quemadmodum Moses exaltauit serpentem. Hinc discendũ, quomodo figuræ & typi in lege deliniati, in Christum adaptãdi sint. Verbum est, per quod sunt omnia condita, & restaurabuntur, idco quicquid omnino in orbe est, & geritur, suo modo Verbum refert, & habet in se, unde pia mens excita spiritu, in cognitionem Verbi, queat aßurgere. Multo certiorem itaq; Verbi imaginem continent, quæ cũ populo Dei, eruditendi eius in salutem cauſsa per ipsum gesta sunt. Præterea natura hominum ita comparatum est, ut in omni rerum genere, quæ uulgatiora sunt, per similitudinem & analogiam in cognitionem perducant, eorum quæ sunt abstrusiora. Sic ex corporalibus, spiritualia

spiritualia intelligũtur, et ex paruis Dei operibus, atq; uisibilibus, maiora atq; inuisibilia cognoscuntur. Sic sol iste uisibilis, Verbi pios admonet, quod sol est inuisibilis, illuminans atq; uiuificans mentes. Atq; inde dies ille corporalis, à sole uisibili factus, sanctos significat, qui lux & dies, facti sunt à sole inuisibili Verbo. Ex hac certe analogia, scriptura accœpit, ut Christum solem, & mundi lucem, sanctos filios lucis & diei, luminaria, & id genus alia uocat. Ad eundem modum formatis metaphoris, scriptura plena est.

Iam sicut præsentius seſe Verbum populo sanctorum semper exhibuit, ita necesse est, certius eius admoneant, quæ per Verbum facta illis scriptura commemorat. Hinc cum scriptura Adam commemoret, humani generis authorem, & ita Christus author sanctorum est, et uita spiritus donatorum, quemadmodum primus Adam uitam uiuentium corporis Paulus Christum Adam, sed alterum, atq;, cælestem uocauit, uitæq; spiritualis & cælestis ipsi originem tribuit, sicut scriptura uitæ corporalis originẽ Adã primo. Hæc iam translatio ex proportione & similitudine sumpta, non solum uenustior est, sed & significandi, monendiq; uim habet maiorem, quam si simpliciter de Domino prædicasset, quod caput et author esset, uitæ cælestis. Adam typus Christi.

Sic per Noach seruatum est genus humanum à diluuio, sed in paucis, hoc est, octo animabus, quatenus tamen aliquid salutis per ipsum factum est, admonet eius, qui plene saluat mortales omnes, Christi. Quiq; seruati per illum fuere, Noah typus Christi.

fuere, umbram habuerunt, omnium electorum, qui salua-
uantur per Christum, utq; illi nequaquam seruati fuissent,
si se non commisissent fidei, & arcæ Noach, ita nemo po-
test salutis ueræ cõpos fieri, nisi qui sese commiserit Chri-
sto, Ecclesiæq; eius nomen dederit. Hac subductione usus
est Petrus in priore Epistola sua cap. 3.

Ita Malcitzedek rex Salem fuit sacerdos altiß. & be-
nedixit Abrahæ, longe uerius autem, rex iustitiæ & pa-
cis est Christus, uerior sacerdos, qui solus sacrificio suo
placare Deum potuit, ueriusq; Abrahamum cũ omni po-
steritate sua, id est, electos benedicit, dum solus is est qui
spiritum donat iustitiæ. Hæc ad Heb. 7.

Iitzchak electi Iischmael reprobi.

Abraham duos filios habuit, alter fuit reiectus, alter
electus, in eo ostensum est, omnia à libera Dei electione
pendere, nihilq; referre à quo quis secundum carnem na-
scatur. Hinc electi subinde per translationem Iitzchak,
reprobi Iischmael, in scriptura uocantur. Similitudo enim
est illis cum Iitzchak, his cum Iischmaele. Sic eum huius
mater Hagar fuerit, domo Abrahæ tandem cum filio pul-
sa, umbram retulit legis Dei, secundum literam, citra spi-
ritum intellectæ. Vt enim quem illa genuit, non potuit hæ-
res esse Abrahæ, & molestus erat fratri nato ex libera,
ita quos lex sine spiritu intellecta gignit, id est, discipulos
instituit, quia sine filiali fiducia amoreq; erga Deũ sunt,
in domo Dei non consistent, serui enim sunt, non germani
filij, quare & ueros filios persequuntur. Hinc D. Paulus
ad Gal. 4. adducens scripturam, memorãtem quod Ab-
raham

raham duos filios habuerit, alterum ex ancilla, & alte-
rum ex libera &c. addit, ea esse ἀλληγορούμενα, id est,
quæ per translationem exponantur. Quam translatio-
nem faciens ilico ait: Sunt enim ipsa duo testamenta. Nam
considerauit similitudinem quæ est inter seruos literæ
legis, & filium Hagar ancillæ, tum inter legem sine
spiritu intellectam, & ipsam Hagar seruam, & ma-
trem eius, cui filij ius negabatur. Deinde inter spiritu li-
bertatis præditos, eoq; germanos filios & hæredes
D E I, & Iitzchak filium Sarah liberæ, qui ex pro-
missione natus, solus Abrahæ hæres factus est. Tum inter
Ierusalem supernam, ueram Ecclesiam sanctorum, aut
certe testamentum & fœdus nouum, quod spiritu Dei in
cordibus electorum percutitur, & Sarah liberam, ueri
hæredis matrem. Præterea notauit & hoc, quod mons Si-
na, in quo lex data est, Hagar cœperit uocari, sed et quod
ad Hierosolyma mons ille pertingeret. Et eo enim signifi-
care uoluit, legem sine spiritu Christi intellectam non nisi
seruos, & cum filio Hagar domo Dei pellendos gignere,
tales autem esse & Iudæos, sacra sua Ierosolymis haben-
tes, quamlibet carne Sarah matrem iactarent. Vt enim ui-
cini essent Hagar, id est, monti Sina, Hagar cognomina-
to, in quo lex lata fuit, ita & seruilitatem Hagar referrẽt,
neq; plus essent de lege consecuti, quam corticem literæ,
unde animis esbent nequaquam renouatis, eoq; libertatis
ueræ expertes, atq; inde fieret quoq;, ut uera spiritus li-
bertate donatos, persequerentur.

Sarah Ec-
clesia li-
bertorum
spiritus, et
superna Ie-
rusalem.

Vel

Vel hinc ergo clare uidemus, quomodo quæ populo ueteri diuinitus contigerunt, Christi & corporis eius typi, figuræq; & umbræ sint, quaq; ratione debeant explicari. Omnia utiq; quæ suis Deus fecit, opera fuere beneuolentiæ eius, ut ergo iam in Christo summam erga suos beneuolentiã declarauit, eiusq; postquã illũ glorificauit, sanctis plenius quam ueteres participes redduntur, eorũ profecto quæ in Christo nobis donata sunt, in beneficijs, quæ priscis sanctis exhibita sunt, similitudinem aliquam atq; umbram licet uidere, & ita per translationem, quæ scripta de illis sunt, nostris cum proportione adaptare, hoc est, ἀλληγορεῖν καὶ τροπολογεῖν, ut alia quam prima facie illa significant, in eis considerandadoceamus. In his autem obseruandum, ut similitudo & proportio pateat, ut certa sit, ut sensum fidei feriat. Nam in hoc istiusmodi ἀλληγορούμενα adhibentur, ut quæ docentur, clarius et significantius animis hominum commendentur. Peccatur in his igitur, dum aut obscurior similitudo, aut nulla est, aut incerta, quam fidei, quæ indubitatis tantum capitur, sensus non agnoscit.

Ratio explicandi typos.

Sic dum Hieronymus ad Ruffinum in Epistola, quæ incipit. Multum in utranq; partem crebro fama mentitur, per duas meretrices, quibus Schlomoh iudicauit 1. Reg. 2. Synagogam & Ecclesiam intelligendas docet, quid simile, unde fides pasci, aut oblectari queat? Satis habebit itaq; pius in eo facto, Domini agnouisse erga Schlomoh adhuc puerum miram adeo dignationem, & tum à minori

Intempestiua allegoria Hieronymi.

nori, transibit ad id quod maius est, agnoscetq; cum tantum dederit Schlomoh spiritum Deus, ueriori Schlomoh, & filio Dauid, restauratori omnium, datum longe præstantiorem, qui iudex constitutus orbis est, quiq; ut uates habet, non iudicabit iuxta id quod oculis uiderit, & auribus audierit, sed adeo ualebit timore, id est, pietate erga Dominum, ut odoraturus sit, quod res sit, & per iustitiam iudicaturus pauperibus, & per æquitatem arguiturus pro afflictis terræ &c. Iesch. 11. Sic in meretrice pueri sui tam amante, ut alienæ uiuum concedere mallet, quã uidere ut discinderetur, animaduerte. Si hæc mala mulier suum infantem tantopere dilexit, Deum solum bonum, nos iuxta suam promissionem Iesch. 49. infinito ardentius diligere. Hæc & his similia certa sunt, quia patentem spiritui similitudinem atq; proportionem habent, eoq; fidem possunt alere, quæ autem finxit Hieronymus, ut ingenij acumen referunt, & tanquam ingeniosc dicta carnem oblectant, ita fidei nihil prosunt, quia nihil in eis certi, nihil firmi. Talibus autem typicis, quas uocarunt et allegoricis interpretationibus, ueteres pleriq; adeo indulserunt, ut & planiss. Euangelica dicta, ad allegorias eiusmodi traxerint, sed nihilo firmiores, quam quilibet ingeniosior ex Homero & Vergilio quoq; confingere posset. At in Ecclesia ut sermones Dei, quibus nihil indubitatius, omnia nos loqui & scribere addecet. Et dolendum, esse et hodie, qui istam allegorizandi sibi licentiam nimis temere permittunt.

Iesch. 11.

Apostolos igitur libeat, quam ueterum quosdam Origenem, Hieronymum, ac alios in typorũ explicationibus, & eorum quæ ueteribus contigerunt, ad nos translationibus, imitari. Manifestam enim & certam habent illorum translationes & anagogæ similitudinem, patrum uero plærecq; aut nullam aut ualde obscuram. Ne igitur idẽ & nobis contingat, discernenda diligenter sunt, quæ scriptura habet, inde uestigandum quid primum & præcipue spiritus quaq; in re uoluerit, qui in omnibus id quidem studet, ut Dei bonitas à nobis agnoscatur, nosq; in illam transformemur, sed uarijs id docet & commendat rationibus. Habet siquidem scriptura primum manifestas historias operum Dei, præcipue autem eorum, quæ pro suis operatus est. Habet inde uaticinia eorum, quæ pro suis se operaturũ promisit. Habet denicq; præcepta quibus docuit, quæ à suis requirat. Ea autem duplicia sunt, quædam enim præcipiunt, quæ Deus ab omnibus & semper requirit, ut quæ cum dilectione ipsius & proximi, necessario connexa sunt, ut ne adoremus idola, ne furemur & huius generis alia. Quædam rationes & formas tantum habent, quibus ad tempus populum suum ad dilectionem ipsius & proximi utcunq; uoluit promoueri, qualia sunt quæ de formis iuditiorũ atq; cerimonijs præceptum.

Scriptura habet historias, uaticinia, præcepta.

In historijs itaq; operum Dei, quæ omnia ualde bona sunt, præsertim diligentibus Deũ, quibus in bonũ uniuersa cooperantur, obseruandũ est, uti paulo ante dixi, ut ex similibus, ad similia transcamus, & à minorib. beneficijs, qualia

qualia sunt illa externa, ad maiora, qualia sunt interna, obseruata analogia ascendamus. Sic terra Canaan admonebat regni cælorum. Man quo in deserto populus Dei pascebatur, Christi, qui solus ita mentem pascit, ne amplius esuriat. Omnes uero ministri bonitatis Dei, Christũ primum mediatorẽ, per quem cuncta Dei beneficia promerentur nobis, & dispensantur, adumbrant. Hinc in Moscheh, in Aharone, Ichoschua, Dauide, Schlomoh et omnibus per quos unquã egregiũ aliquod Dei beneficiũ hominibus administratũ est, typi Christi deluciati sunt, quia aũt in his celebrioribus, typi Christi maxime eminẽt, sunt etiam ab Apostolis peculiariter notati. Ne ergo in his in dissimilitudinẽ aut obscurã & extortam, quã fidei sensus respuit, similitudinẽ incidamus, probe perpendendũ, quatenus beneficia minutiora & corporalia, cũ maiorib. & spiritualibus, item ministri illi alij d. bonitatis cũ Christo similitudinẽ, aut analogiã habeant. Semper enim cogitandum, quod eusmodi translationes ἀναγώγαι, id est, subductiones sunt, quibus à minoribus, ad maiora animi subducũtur, quapropter necesse est in absurda, nedũ incerta illos sese inducere, qui uolũt oĩa in typis, Christo & Ecclesiæ adaptare. Iitzchak typus Christi fuit, ut enim ille filius promissionis, ita & Christus, imò perfectius Christus. Vt p illũ benedictio multis nationib. allata fuit, dũ p se & suos posteros, Dei cognitionẽ illos docuit, ita multo uerius benedictio Dei, orbi allata est p Christũ, p quẽ nõ solũ doctrina, sed et spiritu pietatis donati homines sunt. Secun

dum hæc igitur, si ab Iitzchak, anagogen ad Christũ fece
ris, certa erit, & idonea ædificationi, sin uoles & reliqua
omnia, quæ de Iitzchak legis, nẽpe quod cæcutiẽti abuxo
re & filio impostũ fuit, quod contra oraculũ Dei, maiorẽ
minori uoluerit Dominum constituere, & alia id genus
in Christum transferre, dices non infirma solum, sed &
iucepta multa. Vtq; ingenium in eo ostentare poteris, fi-
dem ædificare non poteris.

Sic populus Israël, quod à Deo in peculium electus,
mirabiliterq; ductus fuit, Ecclesiæ umbram quandam re-
tulit, at si singulis quæ illis acciderunt, in Ecclesia uoles
quærere quod respondeat, nugæ erunt multa quæ te fin-
gere oportebit. Idem tibi usu uenet, si ideo, quod quæ-
dam in Moschch, in Aharone, in Dauide, in Schlomoh
ac alijs, in Christum per analogiam quadrãt, uelis omnia
illorum, Christo adaptare. Proinde diligenter obseruan-
dum, ne quid ad Christum aut Ecclesiam corpus eius, ex
gestis ueterum transferamus, quod non certo ac manife-
sto quadret. Ad quid enim facta priscorum, in Christum
& Ecclesiam contorquebimus, cum ille ex suis ipsius fa-
ctis, quæ uel Euangelistæ memorarunt, prædicauerunt
Apostoli, clare adeo sanctis innotuerit, & illaquoq; ex
ampliſsimis quæ à sponso suo accœpit donis, sic agnosca
tur, ut qui uelit his ex gestis, figurisq; ueterũ lucẽ adferre,
id faciat, quod qui lucernam adhibeat soli? Vehementer
uaria sapientia Dei, nota fit principatibus cælestibus, per
Ecclesiam, & scilicet ex factis Abraham, Iitzchak, alio-

Cauendũ ne quid torqueatur.

rúmue

rúmue patrum & regum opus erit, erucre cognitionem
Christi, Ecclesiæq; diuitias? Nihilo prudentius hoc fue
rit, quam si quis ex factis puerilibus, de ingenio uelit
diſserere uiri. Iam pueri instar fuit populus legis, quæ
quæ etiam magnifica illi acciderunt, collata ijs, quæ dona
ta sunt Ecclesiæ, puerilia sunt, & admonere poſsunt ho-
rum, illustrare ea non poſsunt, imò ex his illa lucem acci-
piunt. Tantum est gratum ac etiam utile uidere, ut Dei bo
nitas in illis præluserit sibi ad gratiam CHRISTI.
Deinde habet & ipsa adhibitio paradigmatum, atq; si-
militudo, suam gratiam, docendiq; momentum, non con-
temnendum.

Porrò de uaticinijs sic habet. Quædam aperte, & si-
ne medio typo, de Christo & Ecclesia prædicunt, in ijs
nullus est translationis, uel anagogiæ locus, ita ut sese offe
runt considerandæ sunt. Sed sunt minime pauca quæ de
CHRISTO quidem & Ecclesia prædicunt, sed
mediantibus ijs qui typum aliquem Christi & Eccle siæ
gesserunt. Sic sane illud quod de filio Dauidis uaticinium
2. Schmuel 7. Chronico. 17. & psal. 87. legimus, ubi De-
us promittit se illi patrem fore, & regnum eius in perpe-
tuum firmaturum, in CHRISTVM quidem
competit, at non sine medio typo, quem Schlomoh gesſit.
Vnde & quædam in eo uaticinio proprie Schlomoh com
petunt, quædã uero augustiora sunt, ut propria sint Chri
sto. De quo non nihil diſserui, in Epistolam ad Ephes. cap.
5. Simile est uaticinium Ieschą. de uoce clamante, de quo

De typicis interpretationibus uaticiniorum.

supra cap. 1. Sect. 6. Innumera uero sunt huius generis uaticinia, quæ primum typis Christi, inde Christo ipsi conueniunt. In his id obseruandũ erit, quod & in historia gestorum. Perpendendum enim quatenus, quæ dicta de ijs sunt, qui umbram aliquam Christi uel Ecclesiæ retulerunt, CHRISTO & Ecclesiæ competant, ne quid illis præter apertam & certam similitudinem adaptetur. Simul obseruandum, quæ in uaticinijs illis typis propria, quæue typos excedunt & Ecclesiæ, uel Christo propria sunt, ut in uaticinio 2. Schmuel 7. quod de perpetuitate regni prædictum est, in solo Christo, & nequaquam in Salomone aliisue Dauidis posteris completum est. Hæc merito pluribus explicarem, sed angustia temporis, negat id in hoc libro facere. In alio uolẽte Domino, & forte psalmorum, uel aliquo prophetarum fusius illa, atq; confirmatius tradam.

Quomodo tractanda sunt præcepta, quanque uaria ca sint.

Præceptorum uero quibus ea præcipiuntur, quibus per se pietas constat, eadem quæ & uaticiniorum, quæ Christo proprie competunt, ratio est, nullam enim anagogen admittunt. At uero quæ accessoria pietati sunt, quæq; pro tempore illam apud populum ueterem utrunq; iuuerunt, non unius generis sunt, quædam formas iudiciorum ciuilium præscribunt, in quibus potiss. discenda æquitas est, & quanquam ea sola exigatur à nobis, neq; uelit ad rationes illas iudicandi Deus nos adstrictos esse secundũ literam, paucos tamen casus esse arbitror, in quibus non præstaret illas Dei leges, quã diuersas sequi. Potuit enim

& Deus

& Deus salubribus legibus R. Pub. instituere, idq; non paulo prudẽtius Draconibus, Solonibus, Platonibus, Aristotelibus, Ciceronibus, & id genus sapientib. huius sæculi. Sunt deinde uaria de ritibus purificationum præcepta, quæ & ipsa primum nos docent, quam decentiss. & sine sordibus uersari cũ proximis nostris, hic nucleus earum legum est, cætera testa sunt. Deinde est à corporali purificatione in his, ad purgationem transeundum animorum, sed cum ultro offerente se similitudine & proportione, ut nihil contorqueas, nihil adferas quod sensum fidei non feriat. Postremo extant & præcepta sane plurima de ritibus colendi Deum, & sacrificandi. In quibus omnibus nobis primum discenda in Deum pietas est, ut illi nos ipsos, & nostra omnia offeramus. Et inde, quia unus Christus est, qui suo sacrificio patrem demum uere placauit, nosq; expiauit, à sacrificijs tam multiplicibus, anagoge facienda est ad unicũ Christi, à multis sacerdotibus, ad uniũ summum sacerdotem Christum, à tabernaculo manufacto ad cælestia, quorum illud figuram, umbram, typum, & exemplum prætulit.

Exemplũ Epistolæ ad Hebr.

Hæc Epistola ad Ebræos cap. 8. 9. & 10. egregie tractat, & uel sola docere poterat, quomodo lex umbram futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum cõtineat, et quomodo rebus in Christo cõpletis, umbræ legis essent aptandæ. Meminit siquidem illa cap. 9. totius ferè apparatus, & supellectilis tabernaculi, et satis tamen habet ex eo quod in sanctum sanctorũ pontifex semel duntaxat in

anno, non sine sanguine ingrederetur, monuisse per id Spiritu sancto significatum, uiam sanctorum nondum reuelatam, quia nondum esset ea hostia immolata, & is sanguis aspersus, qui uere peccatis mundaret. Memorato quidem ornatu interioris sacri, negat nunc sibi de illis rebus sigillatim dicendum, quo & si significarit singula illa, ut aurcum thuribulum, arca testamenti &c. habere quoque quorum admoneant, attamen cum multiplici religione, & uarijs obseruationibus oporteret, summum sacerdotem sacrificium illud in sacrosanctorum semel in anno perficere, ex omnibus nihil aliud, quã unũ Christi sacrificium considerandũ monet. Sic quã miris & multis cerimonijs alia quoq; facere sacrificia oportebat, præcipue ruffæ uaccæ, attamen satis habet monuisse illis omnibus, unum Christi sanguinem significatum.

Cum enim tam gesta ueterum, quã cerimoniæ umbras duntaxat rerum, quæ in Christo & Ecclesia completæ sunt, contineant, & nequaquam ipsas imagines, multa habent, quæ nequaquam Christo adaptari poßunt. Sancti homines peccatores fuere, inde dißimilia multa, imò pugnantia Christo in se habuerunt, qui igitur non absurda fingeret is, qui uelit illorum omnia, & Christo tribuere? Sic in ritibus tam purificationum quam sacrificiorum, plurima præcepta sunt, nequaquam ut singula, aliquid in CHRISTO & corpore eius adumbrarent, sed ut rudior ille populus, pro ruditate sua, ut natura omnes solemus ad cerimonias, & certos ritus in sacris propendere,

Quare nõ omnia typorum, rebus ipsis aptanda.

propendere, in obedientia Dei seruaretur, et ita diuinitus præceptis obseruationibus occuparetur, ut non uel sibi fingeret proprias, uel à gentibus mutuaretur. Videmus enim ita ingenium hominum cerimonijs, & superstitionis quibusdam ritibus deditum, ut nulla unquam gens fuerit, aut hodie sit, quæ non innumeras, nisi Euangelio ab illis ad Christum reuocetur, sibi excogitarit & statuerit. Legatur liber cerimoniarum Pontificis, legantur libri cerimoniarum Collegiorum & cœnobiorum, & stupebis planè ocium, & incredibilem curiositatem eorum, qui tot, tamq; uarias, tantoq; ordine, potuerint cominisci. Vt ergo saltẽ asuesceret populus ille, in tam multiplicibus cerimonijs uoci parere Domini, tantã cerimoniarũ farragi nem illis præscripsit, ut onus esset importabile, & Petro teste Actor. 15. Spiritu pueri etiamnum erant, eo plus erat illis cerimoniarum indulgendum, quare cum nos spiritu ditiores sumus, accœpimus paucißimas, aliquas tamen, qui nondum toti spirituales.

Quare tot cerimoniæ præscriptæ ueteribus.

Hinc factum ut neq; prophetæ, neq; Apostoli, singulorum rituum significationes mysticas unquam tradiderint, neq; tradentur in posterum, expectamus enim ut nequaquam in ænigmatis tam perplexis, & speculo adeo obscuro, sed facie ad faciem & sicuti est, Dominum uideamus. Quare sicut uidimus, Apostolos de ipso Christo, ex reuelatione spiritus potißimum prædicasse, & nequaquam ex typis, uel gestorum uel cerimoniarum ueterum, nisi quando rem habuerunt cum ijs, qui illis plus æquo ad

dicti erant, ita & nos quæ de Christo ex Euangelio tenemus, in primis doceamus. Iis probe cognitis, poterunt cum fructu & typi proponi, modo religiose, ita ut Apostoli, illos tractemus. Certe Paulus typos perparce adhibuit, nisi quando pugnandum sibi fuit, cum pseudoapostolis, qui necessitatem cerimoniarum legis conabantur inducere, & de carne Abraham, in præiudicium gratiæ Christi gloriabantur. Aliâs satis ipse et alij Apostoli habuerunt, exempla ex scripturis, & aperta cum præcepta, tum uaticinia adduxisse.

Quæ potiß. in scripturis spectanda.

Proinde qui Apostolos uolet imitari, & salubria ex scripturis in Ecclesia docere, expendat quàm mirifice in omnibus quæ Deus cum suis egit bonitatem suam declarauerit, eam & sibijpsi, & alijs probe commendet, hinc roborabitur fides, accendetur Dei amor, is tum impellet ad honesta omnia, & ab inhonestis reuocabit potentiß. Simul expendat Deum unum hoc, in omnibus, quæ suis unquam præceperit, siue de moribus ciuilibus, siue de cerimonijs præceperit, requisiuisse, ut ipsum timeremus & amaremus, totiq; ab ipso penderemus, tum cum proximis uiueremus, summa cum honestate, & officiosa dilectione. Hæc aperte satis omnia scripturæ docent, cumq; omnia non nisi per Christum nobis possunt cõtingere, illum quoque omnia scripturæ prædicant. Si typicos præterea intellectus uoles adhibere, uide, quod sæpius iam monui, & diligenter adeo agnoscis obseruatum ab Apostolis, ut probe cõstet, & pateat similitudo, atq; proportio inter typos illos,

illos, & Christum, uel Ecclesiam, Ad quod opus est te antè, ex Euangelicis literis, adeoq; et spiritu Christi tenere, quid Christo, quid Ecclesiæ, tribuas. Nam si ex typo uoles colligere, quod CHRISTO, & corpori eius tribuas, idq; Apostolicæ literæ non docent, neque ipse spiritus certo sanctis reuelauit, nihil sanè docebis & audies illud uulgatum, figura nihil probat.

Hæc sanè omnia copiosius, & pluribus exemplis fuissent explicanda, adeo pauci adhuc id uolunt obseruare, ut certa doceant, licentiaq; allegoriarum, quas uocant, minime paucos & hodie nugatores reddit, ex solidis Ecclesiæ doctoribus, sed breuiusculum adeo tempus, quod hinc ad Mercatum est Francofordien. non amplius mense, cum modum his Enarrationibus præscripsit, ut plura hic adijcere non liceat. Reuertor igitur ad anagogen, quam Christus hic à serpente æneo, ad se ipsum fecit, in qua uides ut similitudo & analogia pateat, ut certa sensum fidei feriat, ut adducta sit, nõ attracta. Victus nanq; impatientia uitæ per desertum populus Israël, contra Dominum atq; Moscheh fuerat locutus, immisit ergo in eos serpentes, à quib. plurimi icti peribãt. Verũ cũ ueniã orarẽt, iußit Mosen æneũ serpentẽ in signũ erigere, promisitq; ut quicũq; à serpente morsus illũ aspexisset, seruaretur 4. Mosch. 21. Iam considera ut appositißime hæc omnia in Christum, & illi credentes quadrent. Omnes enim mortales, quod Domino & uerbo eius aduersati sunt, à serpente ueteri homicida ita icti sunt, ut nequeant non perire, nisi aliunde

Aeneus serpens.

à morte

à morte seruentur. Sustulit igitur signum salutis Dominus, dum Christum fecit per Euangelion prædicari eum, in quem quicunque crediderit, certo æternam salutem consequatur, qua sola fide deniq; seruantur, quicunque à morte seruantur, reliquis ad unum omnibus pereuntibus, ut omnibus uenenum peccati, à Satana immissum est. Tale uero signum Christum fore prædixit & Iescha. 11. Cum ait: Et erit in die illo, ut gentes inquirant radicẽ Iischai, quæ stabit in signum populis, eritq; gloriosa, quam dabit ad se confugientibus, à labore dimißionem atq; quietem. Vt sanè militibus, cũ ad signa sua redierint, salus & quies est, ita apud unum Christum certam salutem & quietem inueniunt electi. Malo autem exaltationem Christi, eam intelligere quæ facta per Euangelion est, quàm quæ per crucem, quod hæc in scripturis CHRISTI humiliatio, uti & est, non exaltatio dicitur. Et aspectus fidei, non est nisi in exaltatum Christum per Euangelion. Neque alio sensu infra quoq; 12. ait: Cum exaltatus fuero à terra, traham omnes, ad me ipsum.

Vaticiniũ Iescha. 11.

De sacris mysticis.

Notandum deniq; hic ad lucem maiorem, eorum quæ de ratione rite ducendi in scripturis anagogas, disserui, narrari in scripturis, & mystica quædam facta, quale ista cuius hic Christus meminit serpentis æneiconfectio, atq; in signum erectio. Talia fuerunt et quibus iussus Moscheh fuit miracula perficere, nempe percußio per urgam maris rubri, ut scinderetur, percußio petræ ut daret aquam, Trina expansio super mortuum puerum Elijah, septena lotio

lotio in Iordane Naæman principis Syri et similia. In his quantum ad typicos intellectus attinet, idem obseruandum est, quod & in typicis gestis, atque cerimonijs, nimirum ut similitudo eorum, cum ijs quibus aptantur, atq; analogia dilucida sit, & à sensu fidei agnoscatur.

Cæterum uidetur mihi Dominum hæc adhibuisse, ut uideremus, quantum ipsi, et reliquæ creaturæ, nostraq; opera inseruiant, sic sane ut per se nihil queant efficere, & sit totum opus ipsius solius, meraq; bonitatis eius dignatio, quod nostra suis operibus adhibet. Quis non agnoscat, non fuisse uirgæ, neq; percußionis Moscheh, ut mare diuideretur, quis dubit et aspersionem luti super oculos, & ablutionem in aquis Siloe, cæco nequaquam uisum restituisse, sed nec quicquam momenti ad id per se contulisse? Cur igitur uoluit Dominus & ista adhiberi? Vt equidem sentio, hac potißimum caussa, ut doceret non aliter, & alijs in rebus, se solum omnia perficere, & quod nos & alias creaturas operibus suis adhibet, tanquam cooperarios, id nequaquam facere, quo commodius opera sua perficiat, sed quo nos alias q; creaturas, quibus ita utitur, honoret, suæq; tanto plenius bonitatis faciat participes.

Omnia solus operatur Deus.

Quod ergo nos cibo pascit, uestimento tegit, calore fouet, frigore recreat, armis defendit, rebus medicis sanat, fauore hominum attollit, doctrina eorum docet, in his & omnibus alijs, quæ nobis facit, nihilo plus momenti adferunt adhibitæ creaturæ, quàm attulerit, ad reuocandum in uitam, trina Elijah super puerum expansio, & quinq; panes

panes duos q; pisces, ad hoc, ut satiarentur quinq; hominum milia. Constat autem quod hæc & similia per se nihil, ad illa opera Dei, quibus sunt adhibita contulerint, tantundem iam ex se conferunt, & alia quæcunque. Tantum quod semper ferè cibus ad pascendum, uestis ad tegendum, & alia ad suos usus adhibentur, huiusmodi rebus plusquam par sit inesse uirtutis arbitramur, nobis q; cum absunt timemus. Cum per se ne pilo plus conferre possint ad ea, ad quæ illis utimur, quàm contulerit, ad id, quod è petra flueret aqua, quod uirga illam Moscheh percuteret, aut unctio Apostolorum ad sanitatẽ quã spiritus ægrotis restituebat, aut deniq; aspectus ænei serpẽtis ad id, ut sanarẽtur icti à serpentibus. Percute siquidẽ et tu uirga petrã, inungéq; oleo ægrotos, aspice deniq; ictus à serpente, simulachrum serpentis æneum, & uide quid effeceris. Discendum ergo hinc, ut ab uno Domino in omnibus pendeamus, agnoscentes omnia eum in omnibus, & solum agere atque perficere.

Locum illum 1. Corinth. 10. Omnia in figura contingebant illis, quem allegorijs ludentes prætexunt, explicaui, supra cap. primo in digressione, de pædobaptismo. fol. 45. De tota autem ratione typorum dixi quædam, & supra cap. 2. Sect. 2. fol. 55.

Quomodo credentes habeãt uitã æternam.

Vt omnis credens in eum) Credit in eum, qui certò saluatorem illum orbis, & suum agnoscit, de quo et supra fol. 19. Is habet uitam æternam. sed fide. Sensus nanq; ille de Deo bonus, quo habet eum sibi patrem, & Christum propitiatorem

propitiatorẽ patris, æterna uita est, sed inchoata, nondũ perfecta, unde et gaudiũ, atq; pax, p fidei portione inchoata in credẽtibus sunt, nondũ perfecta. Vbi plena erit Dei et Christi cognitio, perfecta et ista erũt, consummataq; uita æterna & beata. Fœtum hominis iam animatum dicimus habere, uitam humanam, & uere habet, quanquam admodum imperfectam. Sic quibus certa Dei contigit cognitio, etiam imperfecta, modo tanta ut amorem Dei accendat, uitam utiq; æternam & beatam habent, ea enim nihil aliud est, quàm uita æterna, infra 17. quo autem imperfectior ista cognitio fuérit, eo & uita æterna, id est, gaudium & pax imperfectiora habentur. Vtq; dum hic à Domino peregrinamur, ista tantum in spiritu, interiore scilicet homine percipimus, ita expers manet illorum hoc corpusculum, quod caro est, & sanguis, quæ regnum Dei nondum renouata, hæreditare non possunt 1. Corinth. 15. Renouata autẽ illud hæreditabunt, id cum speramus, non dum possidemus, quare fide & spe saluos nos esse Paulus pronunciat, Roman. 8. Ephes. 2. Certa est autem, & infallibilis horum expectatio, quia arram accepimus spiritus, qui irrefragabile dat nostro spiritui testimoniũ, nos filios esse & hæredes Dei 2. Corinth. 1. Roman. 8.

Vt filium suum unigenitum dederit. Quia de propitiatione hic sermo est, per Iesum ut hominẽ factã, nam unus Deus inquit Paulus, & unus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, unigenitus D E I, hic etiam ut homo prædicatur, sic & datus in mortem est, & inde

Vnigenitus Dei.

adorandus

adorandus omnibus finibus terræ, quod placuerit patri per eũ summatim instaurare omnia Ephes. 1. Vnigenitus autem etiam sic dicitur, quia caput filiorum Dei est, & de cuius plenitudine accœpimus omnes, ut & nos filij dei essemus. Ad hæc, nemo præter eum homo, absq; peccato unquam fuit, & Dei imaginem plene obtinuit. De quo nõ nihil & supra cap. 1. in illud Nathanaelis: Tu es filius dei.

Non in iudicium.

Non enim misit Deus filium suum. His non pugnat, quod infra 9. dicit: Ad iudicium ueni in mundum, ut non uidentes uideant, & uidentes cæci fiant. His enim significat quid multis aduenerit, hic autem ad quid præcipue ordi. sic accipiendum est, & quod infra 12. ait: Non enim ueni ut iudicem mundum. Iudicare hic pro condemnare accipitur. Vt ergo peccare non potest ad condemnationem, qui natus ex Deo est Rom. 8. et 1. Iohan. 3. Domino per spiritum suum tandem omne peccatum expurgante, & ueniam admissorum certo pollicẽte, atq; præstante, ita ne quc iudicari huiusmodi potest, id est, condemnari. Transiuit enim ut infra 5. Dominus aut, de morte in uitam, per Christum, & in Christo, certus beneuolentiæ Dei, habet iam uitam æternam, de quo iam dictum, exolescere igitur tandem oportet quicquid peccati est & mortis. Alij qui in nomen unigeniti non credunt, non habent, neq; unquam habere possunt, qui peccatis eos liberet, moriuntur igitur miseri in illis. Proinde eo ipso, quod non est datum eis credere in Christum, iam iudicati & condemnati sunt, non minus quàm deuotus morti est, cui lætali morbo correpto, negetur

negetur medicus, & cui adiudicato pœnæ capitis, non est redemptor. Sic sanè illis, à morte æterna, in quam omnes nati sumus, redemptor in æternum negatus est, quibus negatum est, ut credant in Christum. Vnus enim à morte liberat, & sola fide id ab eo impetratur.

Hoc uero iudicium est: Incertum uideri possit, an intelligi debeat, iudicium & condemnatio, non credentium Christo, ipsa est Christi reiectio. Neq; enim alia est impiorum pernities, quàm quod oblatam uitæ lucem respuunt, & malunt consueta sectari, hoc est, in tenebris perseuerare, quem sensum in Paraphrasi reddere sum conatus, uel, hæc est caussa iudicij atq; condemnationis eorum quod respuũt lucẽ saluificam. Dilucidior tamẽ et superiori magis respondens uidetur sensus prior, licet & hic quoq; uerus sit. Nam ut, id quod homines maluerunt sua sectari, quàm amplecti Christum, ipsum iudicium & condemnatio est, qua antequam nati sint, iudicati sunt & condemnati, quot quot damnantur, sicut & apud Deum ante sæcula condita, saluati, quicunq; saluantur. Si enim hi electi sunt ante conditum mundum, Ephes. 1. reiecti alij sunt, item ante conditum mundum, hæc autem reiectio tum apparet, cum oblatum gratiæ Euãgelion reijciunt, malunt q; ignorare Christum, id est luce uitæ carere, quàm illum recipere, et ad uitam illustrari. Quo ipso Euangelij contemptu impietatem quoq; suam complent, id est, caussam præbent, ut & iudicium atque condemnatio eorum compleatur. Proinde CHRISTI reiectio simul & ipsa est condemna

Hoc est iudicium.

tio, pœnáque impiorum, & cauſſa condemnationis, pœnæq; illorum.

Quid tenebræ. Tenebræ hic uocantur, Chriſti ignoratio & quicquid præ Chriſto homines ſæculi amant. Qui nanq; non ſunt ex Deo nati, ij quemadmodum non poſſunt audire uerbum Dei, ita neceſſe eſt eos ignorantiam Chriſti, cognitionis eius præferre, atq; ita tenebras præluce, amare. Hinc eſt quod uides hodie multos adeo, nihil omnium rerum audire moleſtius, quàm de Chriſto, & Euangelio eius. An non uidentur iſti tibi iam condemnati, & æterna morte multati, qui non poſſunt non auerſari Chriſti cognitionẽ, quæ eſt uita æterna? Cumq; tantum bonum ultro oblatum reſpuunt, an non uidentur etiam cauſſam tibi dare multo iuſtiſſimam, ut etiam ea uitæ umbra, quam habere uidentur, priuentur? Non enim habenti auferetur, & id quod uidetur habere.

Erant mala opera corum. Erant enim mala eorum opera. Hæc cauſſa eſt cur impij Chriſtum lucem uitæ auerſentur. Chriſtus lux Dei eſt, qua arguitur quicquid malum eſt. Qui enim non appareret iniuſtitia id quod eſt, ſummæ adhibita iuſtitiæ, qui non uidcretur ſtultitia eſſe qd' audit, primæ collata ſapientiæ? Iam caro, in qua nihil boni eſt, nihil minus poteſt ferre, quàm id detegi, ideo Chriſtum omnia illuſtrantem & reuelantem non poteſt non odiſſe. Quare nouos eos fieri, et renaſci oportet, qui Chriſtum debẽt ſuſcipere. In iis ergo cum ſit nouus homo, et quidem ſecũdum Deum conditus, is non poteſt authorem ſuum non diligere, Verbum. Exultat igitur

tat igitur hic nouus hamo ad lucem hanc, & Euangelij reuelationẽ, ſimulatq; illuxerit, ſui enim inde ſperat inſtaurationem & conſummationem.

Cæterum illud omnis male operans &c. gnome eſt uulgata, per quã probat, ex innata malitia reproborũ fieri, ut Chriſtũ ſuſtinere nequeant, & eſt ſenſus. Vulgo dicitur eum odiſſe lucem, qui perperam agit, cũ igitur impij Chriſtũ lucẽ Dei ferre nequeãt, certũ eſt eos, malos eſſe, eoq; et opera eorũ. Probare namq; uoluit Dominus, iam condemnatos, qui ipſi nõ crederent, quod tamẽ de ijs intelligit, qui etiam nunquã crediturí ſunt, reprobi ſcil adiecit ergo eos luci præferre tenebras, uitæ mortẽ, quæ ipſa eſt eorum condemnatio, liquet igitur iam condãnatos, quos uidemus huic condẽnationi, qua nihil poteſt fingi horribilius, obnoxios. Vt tamẽ hoc magis declararet, & cauſſã ſimul daret, curreprobi ſe auerſarentur, addidit opera eorũ mala eſſe, ideſt, eos nihil poſſe operari boni. Id uero infertur ex ſuperiori, quod lucem contemnunt & tenebras amplectuntur. Qui enim non eſſent perdite mali, qui ſummam iuſtitiam & ſalutem, ultro ſeſe offerentem reijciunt, maluntq; in ſuis ſordibus & tenebris letiferis perire, quàm lucem amplecti, qua iuſti fierent & ſalui?

Ordo probationis.

Quoniam in Deo ſunt facta, id eſt, per Deũ, qui operatur in nobis uelle & operari, ſine eius enim ſpiritu, nihil boni à nobis fieri poteſt.

OBSERVAT. Obſeruanda primũ Domini mixta lenitate admonẽdi libertas. Monet indignum eſſe magiſtro

in populo Dei, ignorare mysteriũ regenerationis exspiritu, neque tamen abijcit tam ignorantem magistrum, sic & nos eos in quibus uel aliquod ueritatis studium deprehenderimus, libere quidem moncamus, quo se ipsos agnoscant, nequaquam tamen abijciamus.

Obseruandum deinde, satis esse ad salutem, si non possis ilico omnia Dei mysteria pernoscere, ut animo tamen pendeas à Christo, fidasq; eo ut saluatore. Vides enim hic, ut huc hortatus sit Dominus Nicodemum, postquam ille, quamlibet luculenter arcanum renouationis explicatum, non tamen posset agnoscere. Quàm multa enim & discipuli, familiarißime expositacapere nequibãt, Christo Domino tamen usq; adhærebant, animis persuasi, eum uerba habere uitæ æternæ, & ab eo expectãda omnia, suo itaq; tempore spiritu illustrati, didicerunt, quæcunque oportebat, & ad salutem ipsorum faciebant. Idem usu ueniet, alijs si discipuli modo Domini esse perseuerent. Eos igitur quos uidemus non posse continuo capere fidei nostræ mysteria omnia, hortemur ut saltem hoc agnoscant, Christũ esse orbis, & ipsorum saluatorem, et unicũ cælestis doctrinæ magistrum. Neq; errare posse, qui uerba eius, & si ea nequeãt plane omnia intelligere, uera crediderint, neq; posse plenã tandẽ salutẽ nõ consequi, qui illam ab eo expectauerint. Certe qui uel hactenus crediderint, Dominumq; unicum nostrum doctorem & saluatorem agnouerint, uitam habẽt æternam, si eam nondum perfectam, æternã tamen, quæ auferri eis nunquã posit. Sicut itaque hinc

hinc uere sunt filij Dei, ita nequaquam ob ruditatem, qua præpediti, pleraq; Dei cognoscere nequeunt, regno Dei illos proscribamus. Quin exemplo DOMINI, damus operam, ut quàm familiarißime doceamus eos, quæ scire refert, si capere uero illa nondum possunt, hortamur, ut nihilominus, de Domino bene sentiant, non dubitent uera, quæ docet, neque diffidant daturum illum, ut olim uera omnia cognoscant, & quæcunq; salutaria sunt percipiãt.

Circa illud: Quod scimus loquimur, animaduertendum nihil à quoquam docendum, cuius nõ sit, apud se certißime. Tanquam sermones Dei, siquidem quæ in Ecclesia loquimur, esse debent omnia. Cæterum existimo Dominum hoc dictum, ut gnomẽ uulgatam, quibus libẽter utebatur, hic usurpasse. In sequenti Sect. idem de Domino, quod locutus sit, quæ uiderat, & audiuerat, & Iohan. testatur.

In reliquis diligenter, obseruandũ est, quid de Christo sentiendũ sit, solus in cælum ascendit, solus diuinitatem & immortalitatem potest consequi, quia unus est, qui de cælo descẽdit, id est, uerus cũ Deus esset, homo factus est. Vnus igitur quoq; est, per quem uitã et salutem accipiemus. Si iam nõ nisi per illum, quæ uere bona sunt, percipere possumus, agnoscamus quàm nihil sit lib. arbitriũ, aliaq; uires hominis, quã nihil omnis nostra iustitia & uirtus. Nemo in cælum ascendit, nisi Christus, qui igitur illi non fuerit per fidem insitus, & membrum eius factus, in cælum, id est, in consortium diuinitatis, participationemq; eorum quæ uera bona sunt, nunquam perueniet.

Obseruandum præterea, circa illud: Sic dilexit Deus mundum, omnia salutis nostræ, diuinæ dignationi tribuenda. Non nisi per Christum renasci, in uitam Deo dignã & cælestem possumus, at quod Christum accepimus, meræ est dilectionis Dei. Fidere nos bonitate dilectionéque Dei ista probe pensata faciant, siquidem donabit omnia nobis Deus, postquam filium suum donauit unigenitum, quo nihil habuit charius, sed iuxta & nos ad redamandum, tantopere nostri amantem patrem id ipsum accendat, quod si fiet, diligemus sinceriter & proximos, hanc Dei erga nos dilectionem sedulo æmulaturi.

Singulari quoq; consideratione dignum, quam magnifice hic Dominus ipse fidem prædicarit, qua numirũ æternam uitã percipimus, & in iudicium nunquam uenimus. Imò ipsa uita æterna est, quia cognitio uera Dei est, quamlibet etiam rudis, si modo uera. Quis iam dubitet sola nos fide iustificari, cum hic Christus pronunciet, qui illam habuerit, eum habere uitam æternam, qui uero illam non habuerit, in æternum perire? Certe iustum esse, ueraq; uita uiuere, idem in scripturis pollet. Mira uero cæcitas est, pleriſq; tam absurdum uideri, fidei tantum tribui. Quid enim quisquam operetur si nondum uiuat, iam sola fide in CHRISTVM, dum animus De eo, ut saluatore suo persuasus est, homo uitã Dei uiuit, diuina sentit et amat. Quis igitur dubitare potest, nihil posse sine fide boni à nobis fieri, qui quod bonũ sit, nisi per fidem cognoscimus? Quis item nõ uideat, eos qui fidẽ habuerint, nõ posse non

se non operari quæ bona sunt? Vitam hominis quis uiuat, & non habeat opera humana. Ita DEI uitam, quis possit habere, ut non & Dei opera operaretur? Sed sicut uides etiam infantem, hominis uitam habere, eoq; & opera, sed non omnia, tantum imperfectiora, sic habemus & fide pueros, à quibus si grandium opera requiras, aliãs negaturus eos esse Christianos, idem feceris, quod qui neget, infantẽ hominem esse, eo quod nequeat, ut adulti et grãdes homines, ingredi, loqui, aliaq; hominũ opa facere.

Post hæc uenit Iesus & discipuli eius. Sect. 5.

PARAPHRA. Cum festum paschæ egisset Dominus Ierusalem, muneriq; suo pro ratione temporis, prædicans Euangelion regni, inseruisset, in Iudæam cum discipulis discessit, ut & illic se saluatorẽ exhiberet. Nam agẽs illic baptismo, per discipulos administrato, ciues regno Dei plurimos conscripsit. Cum uero & Iohannes adhuc, nondũ enim erat in carcerẽ coniectus, eidẽ regno, baptismate ciues colligeret, baptizabat siquidem in Aenon prope Salim propter oportunitatem aquarum, quæ multæ illic erant. Plurimis nanque in locis Iudææ, aquarum inopia est, orta de purificatione questio fuit à discipulis Iohannis, cum Iudæis, qui iam forte Christo incipiebant, præterito Iohanne adhærere, baptizati à discipulis in nomen eius. Cumq; id illos, zelantes pro magistrio suo, ureret, Iohanni retulerunt, baptizare et Iesum, uenireq; ad

eum omnes. Respondit ille: Nemo quicquam istiusmodi sibi usurpabit, nisi datum fuerit ei cælitus, ne igitur offendat uos, quod ille baptismo discipulos colligit, plurimiq; ad eũ ueniunt, utinam & uos, et cuncti mortales, illum magistrum agnoscerent. Vos ipsi mihi testes estis, quod plane dixerim me non esse Christum, sed missum ante illum, ut meo nimirum testimonio, illum electis commendarem. Qui sponsam habet, is sponsus est, amico sponsi satis est, sponsum audire, eiusq; præsentia perfrui. Hoc ipsum meũ gaudiũ impletum est. Aduenit enim tandẽ desideratus sanctis omnibus sponsus, hic Iesus uerus & indubitatus Christus huius est sponsa, Ecclesia sanctorum, aduenit iam homo factus, ut eam de carne & ossibus suis assumptam, sibi uniret, prædicabitur enim mox Euangelion eius in uniuerso orbe, adducenturq; prope, qui longe erant, quæq; non erat dilecta, dilecta erit. O beatum me cui datũ est, tantũ uocẽ eius audire, agnoscereq; præsentẽ. Iã officio meo perfunctus sum, me obscurari, illum uero oportebit illustrari. Qui nanq; è supernis uenit, super omnes est. Neq; enim iste ut putatis tantũ homo, sed etiam Deus est, è supernis uenit, qui fuit in initio, & p quẽ sunt omnia facta, ideo cælestia et diuina docebit, cur nõ ueniręt ad eum oẽs? Qui è terra est, ut mortales uniuersi, terrena tantũ loquitur, et si cui detur cælestia loqui, necesse est, ut huius cælestis in eo spiritus, et nõ ipse loquatur. Qui è cælo uenit, ò discipuli, iterũ dico, is sup omnes est, oẽs illi sese tradere in discipulos debẽt. Nihil incertũ ille, nihil qđ non habeat explora-

Qui sponsus est.

exploratiß. poterit loqui, quæ ipse uidit et audiuit, certoq; cognouit, ea testatur, sed ò infelicitatẽ mortalũ, nemo hoc est, pauciß. testimoniũ eius recipiũt. At quibus datur illud recipere, ij indubitato agnoscũt, tamq; habent exploratũ, quã quæ consignare solẽt, quod Deus uerax est, & in hoc Iesu iam iã præstat, quæ unquã sanctis suis promisit. Etenim cum ille missus à Deo sit, nihil nisi Dei Verba loquitur, in quibus nimirum Deus, summum bonum & pater noster plenißime cognoscitur, indeq; uita æterna percipitur. Neq; enim ad certam mensuram dat Deus spiritũ, quam transgredi postea non possit. Dedit mihi sane cumulate suum spiritum, quo baptizaui & docui multa profecto cũ luce et efficacia, maiore plane, quã omnes qui ante me docuerunt, adhuc tamen nihil sum collatus huic IESV. Ipse enim filius Dei est, & à patre ita diligitur, ut in manus illius posuerit omnia, eumq; illum constituerit, ut uitam æternam habeat, quisquis in eum crediderit, discipulusq; eius esse uolet, qui uero respuerit eum, uitam nunquam uisurus sit, inæternum præmente eum ira Dei. Tale nihil unquam de me prædicaui, mittite igitur istum uestrum pro me stultum zelũ, & æquo animo ferte, ut ego obscurer, filio Dei præstat, quam mihi auscultetis. Et uos itaq; ad illum concedite, & quoscunq; poteritis simul illi uobiscum adducite, quo audientes illum, uitam accipiatis æternam, quam frustra à me expectabitis.

ANNOTAT. Non perstitit duꝝ Ierusalem Dominus, non enim erat hora, ut prorsus adhuc inclarescerꝫ

Cur à Ierusalem in

Sub finem uero functionis suæ, frequentius illic egit, & plura designauit, quia appetebat tempus, quo debebat glorificari. In humilioribus igitur regionibus, qualis & Galilæa erat, antea effulgere diuinitatis suæ lucem fecit. In præsentiarum tamen in Iudæam & hac ratione secessisse, moramq; in ea egisse uidetur, ut occasio discipulis Iohannis fieret, de eo, in uicino adeo sibi loco, discipulos per baptismum colligente, quærendi, atq; inde tam præclarum, quod hic Euangelista memorat, magistri sui de Domino, testimonium audiendi.

Non potest homo accipere quicquam. Simile est, quomodo prædicabunt, si non mittantur. Rom. 10. Cum enim non simus sufficientes, ut uel cogitemus aliquid ex nobis, quod Paulus 2. Cor. 3. De prædicatione Euangelij proprie scripsit, certum est, neminem quicquam rectum & sanctum, uel docere uel facere posse, quod non accœperit cælitus, hoc est, ad quod non fuerit impulsus diuinitus. Nõ missi igitur & per se currentes, nõ sunt qui Deo homines colligunt, & eius Verbum annunciant, etiam si sua quærentes id faciant, sed qui sua uel aliorum somnia adferunt, & à Deo homines abducunt, sibiq; ipsis obnoxios facere conantur. Vnde Iirmeiah 23. Visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini. Quapropter dixit Dominus infra 10. furari illos, & perdere oues. Iam Verbum Domini cibus uitæ est, quare necesse est eiusmodi, nequaquam loqui Verba Dei, sed commenta hominum.

Nemo nisi diuinitus missus, recte docebit.

Hinc uides quantum absint à uero Catabaptistæ, qui negant audi-

gant audiendos, etiam qui docent, quæ ipsi quoq; uera fatentur, si accipiant salarium unde uiuant, si non sint ab ipsis, nam se solos Ecclesiam faciunt, electi. Nam si etiam constaret illos sua quærere, dum Verba Dei prædicant, contemnerent nihilominus Deum, qui illos contemneret, ideo Paulus gaudebat, Christum prædicari etiam ab ijs, qui id mala occasione faciebant. Philip. 1. Missio uera rite Euangelizantium, est ad prædicãdum gratiam factam per Christum impulsio. Huc iam nemo nisi unus Deus impellere potest, quia uel cogitare aliquid ex nobis non sufficimus, ut Paulus inquit, multo minus dare id possunt homines alij, cum plantans & rigans, nihil sint. Quisquis igitur uera unquam loquetur, missum ad id esse eum diuinitus oportet, quacunq; demum id occasione quaue mente loquatur, stabitq; præsens dictum Iohannis. Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum è cælo. Vnde cum Cataphas imprudens uerum de lutatione Christi dixisset, ex spiritu loquutum & prophetasse eũ Euangelista adserit. De his plura in Matth. 9. sub finem.

Cõtra Catabaptistas de uocatione ad prædicandum.

Habens sponsam: Parabola est, qua significare uoluit Ecclesiam Christi esse, & se solidum gaudium gaudere, quod audire eũ, id est, præsentem habere, sibi datũ esset.

Qui de terra est. Animalis enim homo non percipit quæ Dei sunt, quare neq; loqui de illis potest. Cum itaque Christus à patre omnia accœpit, etiam facultatem dispensandi spiritum sanctum, cum doctorẽ, qui omnia docet, & ad uitam æternam innouat, audiendus utiq; præ omnibus est. De-

est. De cælo uenit, quia Deus homo factus est, ipsum iam audire Deum, quanto optabilius, quam audire seruum Dei? Iure ergo ad eum omnes ueniebant, qui erat super omnes, & solus omnes erudire ad salutem poterat.

Qui recipit testimonium eius signauit, id est, iam certo agnouit, quam solemus ea, quæ in testimonium, quod ita se habeant obsignamus. Qui enim Christi sermonem recte percepit, ipsum, & in ipso patrem, uerũ Deum, in uero Deo agnoscit, certoq; uidet quod uerax sit Deus, quæq; unquam sanctis promisit, prolixißime in seruatore nostro IESV Christo præstat. In ipso siquidem sunt, etiam, & per ipsum sunt, amen, quotquot sunt promißiones Dei 2. Cor. 1. Etenum cum Verba Dei loquatur qui ea pernouerit, ipsam ueritatem, ipsumq; Deum, certam deniq; bonitatem eius, omnia promissa ipsius implentem agnouit, percœput, poßidet,

Quod uerax Deus.

Non ex mensura dat Deus spiritum, bifariam hoc intelligi potest, uno modo Christo non dari spiritũ ex mensura, sed præter mensuram, id est, effusißime, idq; homini. Vt enĩ Deus idẽ substantia est, qd' spiritus Dei, altero, ut idem sit ac si dixißet, nõ solet certa aliqua & definita mensura Deus spiritum largiri, sed pro arbitrio suo unicuiq; illum dispensat. Neq; ideo quod mihi plurimum spiritus sui largitus est, non potest alij plus largiri. Hic Iesus ipse Dei filius est, quem præ omnibus pater diligit, tradidit q; ei in manus omnia. Spiritum Dei ipse dispensabit, uitam æternam electis largietur, mundum deniq; iudicabit &

bit & omnia, ut per eum condita sunt, ita & restaurabuntur Videte quanto sit me maior, quantumq; præstet illum uos, quam me audire. Hic posterior germanior mihi uidetur loci huius intellectus, non enim adiecit Euangelici, aut quid simile, prior tamen quoq; uerus est.

Sed ira Dei manet, quia ĩ peccatis ille manet, omni cogitatione & conatu Deo aduersarius. Sic enim nati sumus, indeq; non nisi per Christum possumus liberari.

OBSERVAT. Circa id quod in Iudæam Christus abijt baptismo discipulos collecturus, & nõ ut alias fere solebat in Galilæam, idq; in loco ut ueri simile est uicino ei, in quo baptizabat Iohannes &c. obseruandum ut commodas operum suorum Deus occasiones inijciat, inter quas & incidere solent, in quibus nonnihil peccatur, spiritu tamen suo, tandem ad optatum sanctis suis finem omnia deducit. Peccatum utiq; erat, præposterus ille discipulorum Iohannis pro ipso magistro suo zelus, interim tamen occasio factus est, ut illis Iohannes Christum tam præclare prædicaret. Sic & peccatum illorum, bono eis fuit.

Christus mala uertit in bonum.

Animaduertẽdum præterea hic, quam in procliui sit, etiam sanctis, ut authores uel inuiti fiant sectarum. Adeo proni sumus, ut stulti homines pluris æquo faciamus, actum stultius pro eis, contra ueritatem æmulemur. Solet nanq; Satanas non minus conari ut malo sanctis omnia sint, etiam quæ per se optima sunt, quam Christus suis faciat bono esse, quæ per se mala sunt. Aemulatio discipulorum pro

Satan bona in malum.

rum pro magistro suo contra Christum mala erat, uertit tamen eam in bonum illorum Dominus, dum occasionem fecit, ut ueritatē plenius edocerentur. Sic optima res erat, quod hi discipuli Iohannem colerent, Verba enim Dei docebat, hoc autem studij Satan conatus fuit, in rem pessimā uertere, ut quem propter Deum cœperant colere, colerent contra Deum, dum eius præposteros studio, Christo inuidere inciperent, atq; contra eum incitare cuperent, & magistrum suum.

Caucamus igitur, ne plus æquo homines admiremur, neue in quoquam mortalium gloriemur, omnia nostra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas &c. alioqui citius opinione, æmulatio, contentio, & factiones cooriuntur, ut pròh dolor hodie experimur. Christo dedit ī manus pater omnia, is dare potest uitam æternam, cur non huius igitur discipuli, quam hominum esse malumus? Atq; utinam tanto studio singuli Christo adducere et consecrare suos studeant discipulos, quanto uidemus id feciße hic Iohannem. Gloriam suam nemini potest cedere Deus, & non est eius maior apud nos gloria, quam ipsum solū eum agnoscimus, qui nos uere sapiētes et iustos reddat. Apud quos igitur unquam uel iustitiæ uel sapientiæ aliquid quæ siuimus, illos ita iniustos & stultos fecit Deus, & quidem æquißimo iuditio, ut nemo non uideret nihil minus, quam iustitiam & sapientiam, apud illos quærendam. Quid enim hodie omnium scelerum notis magis fœdum, quam illi ipsi à quibus paulo ante remißionem peccatorum, spiritum

ritum sanctum, regnum cælorum, & nihil nō petiuimus? Ita quid stultius & pestilentius unquam in orbe scriptum est, quā à summis illis Theologis id qd' tot plaustra testantur librorum, quos uel in solas sententias scripserunt? At hi in omnibus quæstionibus, ad religionem pertinentibus, non aliter consulebantur, quam olim oraculum Dei, uel prophetæ spiritu Dei pleni. Et hac nostra tempestate, habemus huius luculentia sane, nec minus damnosa exempla, quæ tamen cogitationibus piorum relinquo consideranda, ne quid dare affectibus uidear. Vnum habemus in cælis magistrum, utinam unum hunc agnoscamus, nullum tamen ministrum eius contempturi.

Notandum quoq; hic est, quam fœde errent, qui Iohannem negant Euangelion, ipsamq; Christi doctrinam tradidiße. Quid enim apud ullū Apostolū legas, quo prædicetur Christus, quā hic clarius & magnificentius? Lex & prophetæ usq; Iohannē, in diebus Iohannis, hoc est, ab eo quod ipse cœpit prædicare, regnum Dei uim patitur, adeo cupide in illud multis irruentibus, & prædicari igitur illud oportuit, etiā ab ipso Iohanne, in quo doctrina legis & prophetarum, tanquam obscurior finem accœpit, cœptaq; est Euangelica, multo euidentior & clarior. Id factum cum præsens Christi præconiū, tum quæ supra habuimus, luculentißime testantur. Neq; enim potuit præclarius de Christo Euāgelion annunciari, ut & à nemine unquam annunciatum est, quam hic & alibi à Iohanne factum legimus. Iohan. Bap. clariß. Euangelion prædicauit.

Caput

CAPVT IIII.

Sect. 1.

Vt ergo cognouit Dominus quod Pharisæi audiuissent.

Apertas satis historias, & sermones habet, totum hoc caput, quare nullas paraphrases requirit.

ANNOTAT. Vt ergo cognouit Dominus. Quia nondum tempus erat, uel ut periclitaretur, uel ut miraculo ab hostibus seruaretur, declinauit furorem pharisæorum, etiam fugiendi humilitatem, nostri causa non aspernatus.

Quod IESVS plures discipulos facit & baptizat. Quod enim baptismus purificatio quædam erat, agnoscebant Iudæi, IESVM suam doctrinam, ut eximam uelle haberi, ad quam non quiuis, sed purificati tantum admittendi essent, cum & ipse baptismate discipulos suos initiaret, id ergo illos urebat, cũ oĩa sancta & præclara à se peti cuperent. Augebat uero æmulationem illis, quod plures quã Iohãnes discipulos adscisceret. Iohãnes intolerabilis eis fuerat, qui potuissent igitur ferre Iohannem illustriorem? Iam enim minuebatur hic & crescebat ille.

IESVS ipse non baptizabat, baptizabat autem ministerio discipulorũ. Christo enim proprius est baptismus spiritus.

spiritus. Cumq; externus baptismus ad hoc adhibeatur, ut societas externa auspicetur sanctorum, commodũ est, ut ipsi se inuicem in illam recipiant, de quo & supra primo cap. in digressione de baptismate.

Abijt rursus in Galilæã, patriã coluit, quãdocunq; uocatio patris non alio extrudebat. Et ut uideremus humilia primo loco haberi apd' Deũ, hanc alijs Iudæorũ regionibus obscuriorẽ, primũ illustrari oportuit. De quo Mat. 4.

Oportebat eum transire per Samariam. Ex Galilæa petentibus Iudæam, transeundam Samariæ regionem, indicant & alia Euãgeliorum loca, ut Lucæ 9. Vbi narratur, quod Samaritæ noluerunt IESVM cum suis admittere, eo quod peteret Ieroſolyma. Aegre enim ferebant suo præterito, illorum templum & festa frequentari.

Dictam Sychar. Sichimam adiacẽtem monti Garizin, qui montibus Samariæ celsior est, scribit Iosephus fuisse Samaritis tempore Alexandri Magni metropolim. Hanc ueri simile est, ab Euangelista uocatam Sychar. Certe nomen Sichimæ, à Schecem, quã aliãs Sichem uocant, ubi habitasse Iacob legimus 1. Mosche 33. deductũ crediderim. Cũ igitur hic Euãgelista prædijmeminerit, quod Iacob filio suo Ioseph dedit, de quo uidetur loqui, quod 1. Mosch 48. legimus, item & fontis Iacob, Sychar eandem quæ Sichima Iosephõ dicitur, fuisse existimo. Ad quod & hæc coniectura accedit, quod Samaritis muliercula Domino dixerit. Patres nostri adorauerunt in monte hoc, quasi demonstrans montem, id quod sane arguit montem uicinum Sychar

num Sychar fuisse. Iam scribit Iosephus Sichimam positam iuxta mõtem Garizin, eadem igitur est, quæ Sychar.

Hora erat quasi sexta. More suo diligẽter omnia Euangelista describit, quanquam in hoc caussam quoq; indicarit, cur pro cibo miserit Dominus, meridies enim erat. Simul ex eo apparet fuisse Domino occasionem, ut potum à muliercula peteret.

Quomodo tu qui Iudæus es. Chutæi erant, Samariæ regionẽ inhabitantes, translati è Persida, à flumine Chuta, ut scribit Iosephus lib. Anti. 9. sub finẽ. Eorum meminit et 17. cap. 2. Reg. Hi ut primũ deducti in Samariam erant, neq; Deũ colerent, immisit in eos leones, unde cõpulsi religionem quidem Dei partim amplexi fuere, partim aũt colebant & Deos suos. Hinc abominabiles semper Iudæis fuere, neq; inter illos et Iudæos unquã conuenit. Hoc uero dissidiũ auxerat factũ Sanabalath qui à Dario rege Persarum præfectus cõstitutus, regionẽ Samariæ administrabat. Dederat is uxorẽ filiam suam Ischam, Manassæ fratri Iaddi summi sacerdotis, ob quã ille à fratre & populo, sacerdotio fuit deiectus. Quod cum et plurimũ doleret, et cogitaret uxorẽ ethnicam repudiare. Senabalath promisit templũ se ei instar Ierosolymitani ædificaturũ in monte Garizin, qui super alios Samariæ montes eminebat, in quo posset sacerdotio fungi, adiecit q; se illi omnem ditionem & potestatem suam cessurum. Senio enim iam grauabatur. His ergo adductus Manasses uxorem filiam Senabalath retinuit, cui socer paulo post, cum ad Alexandrũ à Dario

Vnde dissidium inter Iudæos & Samaritas.

Dario defecisset, atq; condendi templi facultatem ab eo impetrasset, iuxta quod promiserat, templum in prædicto monte extruxit. Qua occasione multi quoq; alij Iudæi, qui ob ethnicas uxores, & alias legis transgressiones Hierosolymis non poterant commode agere, ad Manassen transfugiebant, quibus Senabalath pecuniam ministrabat, & terram colendam deputabat, omnia concedẽs gratiæ generi. Hinc factum est, ut mons & templum hoc Samaritanorum, qui & Sichimitæ dicebantur à metropoli Sichima, uocarẽtur mons et templum transgressorum. Ex his ergo caussis Iudæi non cõmunicabant cũ Samaritis, cumq; Domino uellent insigniter cõuitiari, Samaritanum uocarunt, transgressorem legis eo nomine criminantes. Hæc legimus lib. Anti. 11. cap. 7. & 8.

Si scires donum Dei, nempe quod tibi contigerit Christum ipsum audire & uidere, & quid ille orbi aduenerit. Quod aũt nihil ad mulieris obiectionẽ respondit, fecisse puto, quod nõ probaret institutum suũ in hoc Iudæorũ. Peccatis enim et legis transgressione, nõ cibo & potu necessario debuerant à cõmunione Samaritanorũ abhorrere. Illud lex Dei, hoc homines tantũ perceperãt. Præterea notandũ, ut à potu, anagogen fecerit Christus, ad spiritũ sanctũ, quẽ metaphoricõs, aquã uocat uiuentẽ. Vt enim uiua et fontalis aqua ad sedendam hominum sitim, semper scaturit, ita spiritus sanctus, nostro spiritui testimonium phibens quod filij Dei sumus, inæternũ arcet sitim bono rum, dum plane beatos tandẽ reddit, et hic fide certa per-

Anagoge ab aqua, ad spiritũ.

petuo recreat. Is est fons nunquã deficiens, quia nunquã quos adflarit deserit. Ad hunc ergo modum, si anagogas feceris, & metaphoras atq; allegorias formaueris, firmæ erunt, & ad docendum in Ecclesia idoneæ.

Nunquid tu maior es. Putabat Dominum sibi arrogasse facultatẽ fontis educendi, uti Moscheh è petra aquã excussit, unde illi authoritatem obiecit Iaæcob. Q. d. Nõ est tibi satis hic puteus, quo usus est Iaæcob & filij eius, quam tu aliam uiuam aquam promittis? Nunquid exemplo Moschch uirga id est petra aliqua uiuam aquam elicies? Quem te facis? Num maior uis haberi patre nostro Iaæcob. Quanquam enim alienigenæ essent, subinde tamen præsertim ubi res Iudæorum bene habebant, natos se ex Ioseph gloriabantur. Vti Iosephus testatur lib. Ant. 9. cap. ult. Hinc illa patrem suum Iaæcob dicebat.

Nunquid tu maior es.

Omnis qui bibit ex aqua ista. Allegoriam suam intendit, quo magis mulierculã ad quærendum incitet. Diligenter autem notandum, quod ait, qui biberit ex aqua quam ego dabo, non sitiet inæternum. Certum est hanc aquam, spiritum sanctum esse. Si iam ergo hoc spiritu potus, nunquam potest sitire, in aperto est, eum cui semel hic spiritus contigerit, cui semel credere fuerit datum, eum nunquam posse gratia Dei excidere. Sicut nanq; is sitire nunquam posset, qui fontem in uisceribus haberet, continuo scaturientem atq; potantem, ita saturum esse oportet bonorum omnium, & præsentem semper & in omnibus habere consolationem, cui adest spiritus Domini sanctus,

Cui semel contigit haurire spiritum Christi, nunquam sitiet.

spiritus

spiritus filiorum. Hic fons est, qui in uitam æternam salut, id est, qui uitam æternam suppeditat. Nam cognoscere Deum, eiusq; iugiter & inæternum frui bonitate donat. Videant nunc quid doceant, qui posse fieri nouissimos scribunt eos, qui fuerunt primi, idq; in ueritate & apud Deum. Aliud docet omnis scriptura, aliud gloriatur Paulus, cũ affirmat, nihil apud superos uel inferos esse, quod ipsum à dilectione Dei possit dimouere. Rom. 8.

OBSERVAT. Circa fugam Domini obseruandum, & nobis licere ut fugiamus, si id sit è gloria Domini, & non contra eam. Quod solus docebit spiritus Dei, qui & in tempore periculum faciet r escire, uti suum hic in tempore Christus resciuit. Semper igitur pro spiritus consilio, & ducatu orandum. Deinde animaduertendum pharisæos, id est, opinione hominum sanctiß. præcipuos esse hostes Christi, idem & hodie usu uenit.

Circa transitũ Samariæ obseruandum, quã pulchre omnia diuina prouidentia, gloriæ suæ promouendæ occasiones faciat. Id in hoc quoq; perpẽdere debemus, ut agnoscamus Deum in omnibus laudandum, & nihil metuendum ijs, qui ab ipso pendent.

Fatigatum Iesum Euangelista testatur. Vide ergo uerum hominem fuisse, nihilq; humani à se fecisse alienum. Non fuisset utiq; fatigatus, si corpore uere ubiq; fuisset, & tãtum uisibiliter de loco in locũ transisset. Quid enim aliorum usus eum fatigasset?

Nomina hæc Prædium Iaæcob, & fons Iaæcob, post

tot populi Dei exilia, & calamitates alias perseueraße, idq; apud tam prophanam gentem, id confirmat, quod canit psal. 112. In memoria æterna erit iustus.

Mulierculam hanc male probam, idoneam tamen habitam Domino, ex omni Sichimitarum ciuitate, cui primũ Euangelion cõmunicaretur, quæq; apostola illius, ad samaritas fieret, monet nunquam satis perpensæ & admiratæ dignationis Christi, qui cũ uenißet in hũc mundum, ut peccatores saluos faceret, id omnibus suis cũ sermonibus, tum factis præ se tulit. Quos enim saluaret, nisi peritos? Qui enim saluus est, saluari nõ potest, neq; iustus iustificari. Perpende ergo hoc arcanũ diligenter, Pharisæos fugit IESVS, Euangelion nimirũ persequentes, & ad Samaritidem, eamq; perparum castam mulierculam, illud defert. Cui nõ solũ hoc dedit, ut illi crederet, uitamq; æternam haberet, sed etiam ut alijs ipsum adnunciaret. Præluſum præterea in hoc fuit uocationi gentiũ, & excæcationi Iudæorũ, atq; ostensum, ut ex primis nouißimi fierent, & contra. Discamus igitur hinc, & nos humiliare, & alios non condemnare temere. Quos minime putaueris, uocare solet Deus.

Contemptiora uocat Deus.

Quod uero discipuli cibos emerunt, indicat Dominum nequaquam mendicaße, sed pecuniam habuiße, quibus emeret neceßaria. Non igitur peccatum est, habere pecunias, sed pecunia male uti.

Quod Iudæi cũ Samaritis non cõmunicabant, admonet præposteræ hypocritarũ religionis, imò superstitionis,

tionis. Peccatis oportebat nihil cũ gentib. cõmunicare, nõ in neceßarijs uitæ. Sed hoc ingeniũ est hypocritarũ ut in omnibus rebus testam arripiant, id est, speciem pietatis, nucleum, id est, quod uere pietatis est, negligant.

In eo quod IESVS ad binas obiectiones mulieris, alterã de eo quod Iudæi Samaritis nõ cõmunicarent, alteram an maior esset patre Iacob, nihil respondit, sed ansam tantũ quæsiuit, de Euangelio regni, docendi illam, moneat ut et nos omnia missa in colloquijs & de ueritate disputationibus faciamus, præsertim quibus nos impetimur, ut occasionem arripiamus fratres lucrandi, synceriter prædicato eis Euangelio, sicut hic uidemus feciße Dominum.

In eo denicq; quod fontem sanctiorẽ arbitrabantur, eo quod ex illo bibißet Iacob & filij eius, ex eo uitio humanum ingenij manauit, quo uirtutem præsentem odimus, remotam ex oculis requirimus, nõ aũt imitamur, tametsi uenerari nos illam rebus nihili simulare, magis quam uere honorare soleamus. Sic hodie Apostolos & priscos patres audias laudari ab ijs, qui nihil petus odiunt, neq; atroeius persequuntur, quam qui illorũ uestigijs quorũ uideri uolunt cultores, quã studioßißime inßistunt, multo adhuc crudelius sæuituri in eos ipsos, quorum cultũ iactãt, si adessent, & sui similes esse pergerent. Vnde & cultum illorum quem mentiuntur, nugis metiuntur. Tantum enim nomina eorum magnifice iactant, reliquias eorũ religiose seruant, si qua re illi usi sunt, si quid tantum contigerunt, id sanctũ habent, auro & argento ornant, et

Præpostерus cultus sanctorũ.

attrectari laicis manibus uetant. Sic Samaritæ placebant sibi, quod prædiũ & fontẽ Iacob haberẽt, dumq; inane sancti patris nomẽ iactarẽt, filios & cultores se illius arbitrabantur, nihil soliciti ut pietatem eius æmularentur. Non aũt prædium uel fontem, sed mentem Iacob habere, non oßa sanctorum seruare, sed mores illorum imitari, uerælaudi est.

Sect. 2.

Dicit illi mulier: Da mihi istam aquam.

ANNOTAT. Dicacula uidetur fuiße hæc muliercula, utcunq; ad uitam æternam esset electa, semenq; Dei haberet. Nam irridentis uerba locuta fuit. Petulantiam ergo eius uolens reprimere, iußit uocare uirum suum, inde uenans occasionem eius admonendi uitæ suæ corruptioris. Illa uero admonita eius, siue pudore, siue studio pietatis mota, ad alia sermonem deflectit, nempe ad disputationem de religione. Mihi quidem uidetur, quandoquidem sequentia satis probant filiam Abrahæ illam, & electam ad uitam fuiße, eam studio religionis Dominum de adoratione rogasse. Prophetam enim esse Dominũ confessa, de cultu Dei continuo sciscitari cœpit.

Patres nostri in monte hoc. In montibus, non solũ patres, sed & IESVS ipse orare solitus fuit, patres præterea sacrã in montibus fecerunt, Christus expectauit, donec in monte Hierosolymitano, semetipsum offerret hostium patri. Extructo templo uetitũ fuit in mõtib. rem sacram

Adoratio in montib.

sacram facere, quare excelsa in scripturis reprehenduntur. Orare autem in montibus sancti cum Christo sæpe soliti fuere, sed non alia, quàm secessus caussa. Serio enim loquentem cum Domino, quod fit in oratione, necesse est procul esse à turbis hominum. De quo plura in Matth. 14. in illud: Ac dimißis turbis ascendit in montem solus ad orandum.

Mulier crede mihi. Adorationis nomine, cultum Dei intelligit. Cæterum שחה Ebræum, & græcum προσκυνεῖν, significat incuruationem, uel prostrationem corporis, reuerentiam animi testari. Id quoniã fieri solet in publicis precationibus, & supplicijs, totus Dei cultus, adoratio dici cœpit. Vnde cum hic Dominus ait: Appropinquat hora cum neq; in monte hoc, neq; Hierosolymis adorabitis patrem, significare uoluit, omnem illum externum cultum Dei, certum locum requirentem, situmq; in externis istis sacrificijs, alijsque cerimonijs, abolendum. Cæterum de adoratione plura in Matth. in illud cap. secundo, Et prostrati adorauerunt illum.

Vos adoratis quod nescitis. Quia eo temporis tamen cultus Hierosolijmitanus uerbo Dei nitebatur, Samaritanorum autem falsa patrum imitatione, sine Dei uerbo, repreßit uanam hic Samaritarum iactantiam, testatus eos adorare, quod nescirent, hoc est, cultum obseruare Dei, de quo non essent certi, quod Deo pbaretur, imò qui apertis DEI oraculis erat reiectus. Cum enim uastarentur initio suæ transmigrationis à leonibus, depellendi tantum

mali huius causſa, ritus aliquot in lege Dei traditos ſuſcœperant, reliqua perſeuerantes, qui erant, idololatræ. Monuit igitur mulierculam indignum eſſe, quod ſe Dei religione contra Iudæos iactarent. Cum ſcirent Iudæi, quid, hoc eſt, quibus rationibus Deum adorarent. Verbo ſiquidem Dei, cultum ſuum docti. Addidit quia ſalus ex Iudæis eſt, hoc eſt, omnis uera Dei cognitio ortum à Iudæis habuit, ſicut & ipſum mundi redemptorem, quantum ad carnem attinet, à Iudæis accœpimus. E Tzijon utiq; egreſſa lex et doctrina uitæ eſt, & è Ieruſalem Verbum Ieſcha. 2. A Iudæis Euangelion in totum orbem deriuatum eſt, ſed & ante Euangelion, in nulla alia gente, publicitus doctrina Dei, purè uiguit, ueriq; ſimile eſt, quicquid ſani de Deo, ſapientes gentium unquam docuerunt, id à Iudæis fuiſſe mutuatos. Iure igitur optimo dixit: Salus ex Iudæis eſt.

Ex Iudæis ſalus.

Sed uenit hora & nunc eſt. Vel hic unus locus ſatis eſt, ut omnes pij certo uideant, nunc nullas Deum in ſui cultu cerimonias probare, ſi non, quas patres olim docti ſpiritu obſeruarunt, qui in monte Garizin, & alibi ſua ſacra habuerunt, neq; eas quas poſtea per Moſcheh tradidit, quanto minus illas, quas homines poſtea ſine oraculo ſpiritus, ſine uerbo ipſius, pro affectibus ſuis in irreparabile damnũ fidei libertatisq; à Chriſto nobis partæ, adinuenerunt? Et nunc inquit eſt hora, cum ueri adoratores, adorabunt patrem in ſpiritu & ueritate. Si iam ergo ſpiritu colendus Deus, nihil gratum exhibueris rebus corporcis. Si ueritate, id eſt, certa fide ſolidaq; uitæ innocentia

centia & integritate, nihil morabitur Deus, quæcunque & impij hypocritæ præſtare poſſunt. Quale eſt, quicquid externum eſt.

Neq; locum habet, quod quidam dicunt, cerimonias neminem probare, ubi abſit uerus Dei adorator ſpiritus, pietatisq; ſolida ueritas, utiles autem & Deo gratas nunc quoque eſſe, quibus adſit ſpiritus & ueritas. Nam & ueterum cerimonias ſine ſpiritu & ueritate ſemper abominatus eſt Deus, neq; potuiſſet de illis dicere Dominus, nos adoramus quod ſcimus, id eſt, quibus ſcimus Deo gratum eſſe. Quamlibet enim uerbo Dei cerimoniæ illæ inſtitutæ fuerunt, ſi quãdo ſine fide ſincera adhibebantur, offendebatur illis Deus, nõ colebatur. Hic ergo Dominus de cerimonijs fide exhibitis loquutus eſt, atq; illas quoq; negauit poſthac adhibendas, id quod probant hæc uerba: neq; in monte iſto, neque Hieroſolymis, item iſta, nunc hora eſt, cum ueri adoratores, adorabunt patrem in ſpiritu & ueritate. Quis non uideat & probatum olim DEI cultum Chriſtum uoluiſſe hic ſignificare abolendũ, præſertim cũ oppoſuerit ei, qui futurus erat apud ſanctos, cultũ in ſpiritu & ueritate, quẽ prorſus nullis cerimonijs, et externis rebus, quæ & impijs poſſunt eſſe communes, addictum eſſe oporteat. Id confirmat & quod ſequitur, ſpiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, ſpiritu & ueritate oportet adorare eũ. Significatur enĩ hoc dicto ſicut Deus mens eſt, mente quoq; coli ipſum oportere, hoc eſt, ſincera fide, ſtudioq; ſedulo gloriæ ipſius ubiq; & in omnibus promouendæ.

Omnes cerimoniæ reiectæ.

mouendæ. Quæ cui mens adest, ei adest etiam omnis uitæ honestas solidáq; integritas, neq; quicquam is prudens dicet aut aget, quod non ad gloriam DEI faciat, ut Paulus hortatur, is demum cultus est Deo gratus. Id & Persius agnouit cum scribit.

Quin damus superis, de magna quod dare lance,
Non possit magni Messalæ lippa propago:
Compositum ius, fasq; animi, sanctosq; recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.
Hoc cedo ut admoueam templis, & farre litabo.

Sed dices: Cur igitur, si Deus spiritus est, eoq; non nisi eos uult cultores, qui in spiritu eum & ueritate colunt, ipse ueteribus tot cerimonias tradidit? Vtiq; & tum spiritus erat. Erat spiritus, neq; etiam tum, nisi cultum spiritus agnouit. Sed quia populus rudior erat, ac puero similis, ui sumq; esset ei, etiam in rudi sic & puerili populo, suam gloriam declarare, cultumq; aliquem habere, in primis exegit sui timorem, uerbiq; sui obedientiam, & eam ex toto corde, en cultum spiritus et ueritatis. Iam ad hunc cultum ut eos perduceret, atque seruaret perductos, cerimonias multas illis dedit, quibus ad cogitãda ipsius erga se beneficia prouocarentur, atq; si nihil aliud, occupati tamen perpetuò in legibus eius, et cohibererentur, ne uel suam, uel aliorũ rationem sequerentur, & maiestatis ipsius continuo admonerentur, ne timor eius apud eos exoleſceret. Nunc autem cum longe amplior spiritus, à Christi glorificatione datus sit, uoluerit q; iam Deus ubiq; non in Iudæa solum

solum notus & magnus haberi, transieritq; ætas puerilis, admonitio deniq; omnis diuinæ bonitatis, satis superq; fieri posit per prædicationem Euangelij, & societas sanctorum externa, duobus sacramentis baptismo, & eucharistia contineri, nulla nunc est ratio, cerimonias in cultum Dei adhibendi.

Postremo cum omnis ille ueterum cerimoniarum usus, Hierosolymis ex uerbo Dei, 5. Moscheh. 12. addictus fierit, & hic Dominus dixerit uenire horam, ac tum cum ipse doceret, esse, quando neq; Hierosolymis adoraretur, uel hoc uno uerbo, omnis cerimoniarũ usus sublatus est. Nam uetus ille cultus in cerimonijs situs, negatus est fore Ierusalem, præsenti Domini responsione, iam nusquam alibi unquam fas fuit, eum exhibere, nouas autem fingere cerimonias, æque prohibitum est. Fide igitur & dilectione colendus Deus, quæ cum sinceræ fuerint, spiritus Dei, & in externis sic dabit uiuere, ut omnia gloriæ Dei inseruiant. Translatum est sacerdotium, igitur & lex, & locus, & ritus adorationis. Noua omnia facta sunt, uetera transierunt.

Scio quod Meßias uenit. Vulgo non apud Iudæos solum, sed & Samaritas obtinuerat Christi, & per eum futuræ omnium instaurationis expectatio. Ad hunc ergo mulierecula prouocabat, dum quod Domini uerbis responderet, non haberet. Quoniam autem mentes omnium in sua manu ille habet, ubi tantum dixisset, ego qui tibi loquor, sum ille Christus, credidit mulierecula, & relicta hydria

dria sua, confestim abijt nunciatum ciuibus suis, adesse Christum. Hæc enim natura est, ueræ Christi cognitionis, ut qui eam nactus fuerit, nihil habeat prius quàm pluri-mis illam communicare. De quo, uti & de nomine Meßiah supra in primo cap. Sect. 9. & 10.

Admirati sunt, quod cum muliere loquebatur. Nunquàm enim nisi grauia, & de regno Dei, loqui Dominus solebat, ad hæc uidebatur discipulis mulierecula ista, præsertim Samaritis minime idonea, id erat igitur quod mirabantur, loqui eum cum muliere, quanquam interrogare eum non auderent. Tanta erat eius apud illos reuerentia.

Num hic est ille Christus, hoc nequaquam ut dubitantem, sed ex indicato miraculo inferentem, Iesum uerum Christum esse, dixisse arbitror.

OBSERVAT. In eo quod tam petulanter respondentem hanc mulierem, Dominus tamen Euangelio uitæ dignata est, discamus, ut neminẽ temere abijciamus, etiã si initio doctrinam ueritatis non satis religiose accipiat. Vide simul quàm uanæ nonnunquam sint, etiam mentes electorum. Caro in omnibus spiritum præcedit, neq; innouari possunt, nisi qui uetustatem habent. Hinc Paulus & nomine suo et eorũ qui præcipui in Christianismo erãt uetustatẽ carnis multã, spiritus renouationẽ in se et illis præcessisse. Ephesi. 3. & Tit. 3. ingenue agnoscit & fatetur.

Circa id, quod hæc mulier licet libidini planè seruijsse uideatur, tam præclare Euangelio donata fuit, obseruãdum ita ferè solere, ut quos destinauit deus regenerare, ij crassioribus

Quibus potißi. peccatis obnoxij electi.

sioribus in peccatis ante sui illuminationem uiuant. Ea enim facilius pudorem incutiunt, & occasioni sunt, ad resipiscendum. Deo enim nihil æque inuisum est, atq; ij, qui sine ipso iustitiæ aliquid sibi arrogant, deos enim sese facere conantur, sinit igitur suos in ea potiß. labi, in quibus sibi displicent, & peccatores sese agnoscant. Sic enim & ipsum, ut saluatorem facile recipiunt. Equidem quos Euangelistæ peccatores uocant Domino subinde appropinquasse, quorum sanè causssam præclare agit Luc. 15. haud dubito quin hoc cognomenti à crassioribus illis peccatis, ut est, scortatio, consectatio delitiarum, ebrietas, & id genus alia, accœperint. Nam animi fastu, fratrum contemptu, auaritia tectiore, & hoc genus secretioribus malis, laborabant ij potiß. qui sibi, & uulgo habebantur iusti. Certe peccatricem illam apud Lucam septimo, à male custodita pudicitia, id cognominis consecutam, nemo facile dubitabit.

Id uideo quod propheta es, monet prophetam dictum tum, qui ex reuelatione spiritus, abscondita uulgo, posset renunciare, quare quemlibet simplicem enarratorem scripturæ, prophetam uocare, præter usum scripturæ est. De his plura in Matth. sub finem cap. 11.

Ex eo quod mulier hæc patrum iactat exemplũ, quod tamen Samaritæ minime sequebantur, uide ut permitiosum sit, homines respicere, utq; facile simiæ sanctorum, pro iustis sectatoribus reddamur. Ad DEVM igitur, non homines respiciamus.

A propheta

A propheta ilico rogat de rebus diuinis, non suis, id indicat in ea semen Dei latuisse. Quos igitur de Deo sciscitari audimus, de ijs bene sperandum est.

Quod à Christo, renunciaturo omnia, expectat certior fieri, argumento est eo ipso tempore Christum adfore uulgo fuisse creditum. In quo uides, ut soleat excitare hominum corda Deus, ubi uisum ei est, cognitione sui ampliore, orbem donare. Ita paulò ante hæc tempora, multorum audisses corda præsagire, fore breui ut multa Dei arcana reuelarentur. Doceat autem hæc ipsa responsio mulieris, ut & ipsi à CHRISTO omnia discere uelimus, qui unus magister noster est, solusq; docere diuina potest, quia solus spiritum donat. Simon Lyra

In eo, quod ad unicũ uerbum, Ego sum, Christum esse eũ illa credidit, notatur uis uerbi eius, cũ statuit ueritatem persuadere, quæ eadem notatur & in eo, quod ciues urbis, ad mulieris, & talis, testimonium, ilico ad Dominũ fuere egressi. Quos nanq; ipse uocare statuit, eos nihil potest detinere, quo minus relictis omnibus, ad eum sese conferant, quem saluatorem agnouerunt.

Sect. 3.

Interea rogabant eum discipuli dicentes: Rabbi comede.

ANNOTAT. Ego cibum habeo comedendum. Adeo ardebat, Euangelion, & uenturis ciuibus annunciare, ut licet defatigatus, corpori tamẽ cibũ indulgere non posset. Et id demũ uerum, & Deo probatũ ieiunium est, quod

quod efficit desiderium gloriæ Dei, ita alió rapiens animum, ut cibum sumere non libeat. Notandum etiam, ut commodum à cibo corporis, ad id quod tum esuriebat, profectum gloriæ patris, & salutis hominum, discipulorum animos ἀνάγῃ, id est, subducere studuerit. Huius siquidem successus, longe magis ipsum pascebat, atque oblectabat, quàm ullus cibus corporis, quamlibet famelicum. Id quod cum allegoriam non intelligerent, mox eis aperuit dicens: Cibus meus est, id est, hoc ante omnia desidero, ut uoluntas patris compleatur, quæ est ut ipsius, in me et per me bonitatem, quàm plurimi agnoscant. Id ipsum et opus eius erat, nempe, quod cum pater operari uoluit.

Nunquid uos dicitis? Iterum usus anagogica allegoria est. Id uero quod dicit hoc est. Vos dicitis post quatuor menses futuram messem, ego autem dico uobis iam iam messem instare Euangelicam, nunc undique canas esse segetes, maturas q; ut demetantur, omnes enim desiderio doctrinæ Dei tenentur. Magnum ita q; operæpretium fecerit, qui demetere has segetes, hoc est, paratos Euangelio animos, illo imbuere, atque ita ex agro mundi demessos, in horreum regni cælorum colligere, in quo ut cognitio dei habetur, ita uita æterna illi pfruẽtur studuerit. Id quod & satoribus, id est, omnibus, qui unquã doctrinæ aliquid salutaris populis impertierunt, coq; Euangelio regni, illos præparauerunt, gaudio erit, cum scilicet fructum illic prouenire uidebunt, ubi laborauerunt. Quod nanque uulgo dici solet, euenire nonnunquam, ut

alius seminet, alius metat, id est, alius laboret, alius fructum percipiat, id in hac Euangelica messe maxime uerum apparet. Ego siquidem misi uos ad metendum, quod uos non laborastis, alij laborauerunt, & uos in labores illorum introistis, fructum percepturi.

Quid messis.

Porro ideo conuersionem hominum per Euangelion, demessionem uocat, quod ita essent animi hominum Euangelio præparati, atq; maturi, ut minimo negotio, sæpe ad unam duntaxat annunciationem, plurimi illud reciperẽt, quod cum aliàs, tum in Samaritis istis clare apparuit. Per

Qui laborarunt.

eos uero, quos dicit laborasse, intelligo quicunq; docendis hominibus operam suam impenderunt, æque Ethnicos, atq; Iudæos. Laborem autem uocat eorum doctrinam, quod multa & laboriosa diligentia, parum tamen promouerint. Sacræ nanque & prophanæ historiæ testantur, sub aduentũ Christi, plurimum ubiq; philosophiæ defudatum, de religione, de officijs, deque finibus bonorum & malorum, plurimos libros scriptos. Quæ omnia à Iudæis, ad gentes dimanasse, lubens crediderim.

Iam quantum & prophetæ atq; scribæ apud Iudæos, & philosophi apud gentes, plurimo studio suo & uigilijs quibus ad qualemcunq; metum Dei, honestiq; amorem, homines adducere laborabant, profecerint, Paulus ad Rom. 1. & 2. manifesto testatur, minimum sanè. Visum nanq; Deo fuit, ut tam Iudæi quàm græci palàm peccato obnoxij esse apparerent, atque ita tum manifestum fieret, omnem iustitiam per fidem Iesu Christi dari, de quo ad Roman.

ad Romanos tertio. Laborarunt ergo, quicunque siue apud Iudæos, siue apud gẽtes, uera docuerunt, quia multis uigilijs, uel nihil, uel parum profecerunt, cum autem Deo usum est, per filium suum, uera iustitia mundum donare, ita Euangelio cooperari per spiritum suum cœpit, ut breuissimo tempore, ubique solida iustitia uigeret, ueraque pietate homines innumeri tam Ethnici, quàm Iudæi florerent. Cui Euangelio, quia præcedentibus doctrinis scribarum, & philosophorum conscientiæ exagitatæ, desiderioq; iustitiæ accensæ fuerant, recte dixit Dominus, Apostolos in laborem eorum, qui ante populos docuerunt, introisse.

Neminem uero offendat, quod & philosophorum laborem profuisse ad Euangẽlion puto, omnis enim ueritas à Deo est, & ueritas sane plurima in scriptis philosophorum & poetarum legitur. Iam quantulumcunq; id fuerit, quod de ueritate philosophi tradiderunt, ad Deum certe animos hominum attraxerunt, eoq; et Euangelio illos præpararunt. Dominus & gentium Deus est, quibus in corda opus legis inscripsit, Roma. 2. hinc sanè illæ doctrinæ, quarũ profecto multas apud illos legimus, manarũt. Sed qd opus uerbis, qui nõ uel in Ciceron, mirã Dei solidæq; pietatis cognitionem agnoscit, eum necesse est ignorare, quid sit & Deus & pietas. Si iam ergo constat opera etiã philosophorum cognitionem aliquam Dei, & ueræ iustitiæ, mundo inuectam, quis inficietur, eorum laborem Euangelio seruijsse. In ijs enim qui semen Dei habent, quanto

Et philosophi Euangelio homines præpararũt.

maiorem pietatis Deiq; cognitionem nacti fuerint, tanto magis sibi ipsis displicent, quos deprehendunt Deo dissimillimos, & uera pietate uacuos, cumq; postea Christus illis annunciatur Dei iustitia, ueruscq; à peccatis redemptor, dici non potest, quàm auide illum excipiant. Hinc sane Euangelicæ segetes maturuerunt olim, et matureſcunt hodie, hinc certe factum est ut ipsi Christo cupide adcoperint peccatores appropinquarent, & postea turmatim Euangelio ab Apostolis prædicato ubiq; gentium nomen dederint. Hi sunt uiolenti illi, qui regnum cælorum ui quodamodo inuadunt. Hoc demq; quod multa per uniuersum ferè orbem esset iustitiæ cognitio, & paucissimi tamen qui illã uere colerent, Christi gratiam non parum illustrauit, cum ita palã factum est, nullas leges, nullam omnino sapientiã iustificare hominem posse, & unam esse in Christum fidem, qua solida iustitia hominibus contingat.

OBSER. Obseruandũ allegorijs atq; parabolis Dominũ singulariter delectatum. Causſa fuit, quod similitudine quam in se continent, aptæ erant ad docendũ rudiores, quod uero reconditũ aliquid atq; ænigmaticum ferè habent, appositæ erant, cum ad excitandũ auditorũ animos, tum ad infigendum eis, quæ illis docentur. Hærent enim diutius, quæ quis quaſi ipse inuenerit, præsertim si commoda cum similitudine sint proposita.

Quod metentẽ ait Dominus accipere mercedẽ, atq; in uitam æternã congregare fructum, debet excitare nos, ut Euangelion, quãta possumus diligentia adnunciemus, operamq;

ramq; demus ut, quàm plurimos Christo adducamus, hoc est, in æternã uitam, fructũ colligamus. In hoc certe constituit nos Dominus, ut eamus, & fructũ adferamus, & fructus noster mancat. Infra 15. Porrò μισθὸν, id est, mercedem Dominus hic accipit, ut & Paul. 1. Cor. 9. Si enim libens hoc facio, id est Euangelizo, mercedẽ habeo, de qua & 1. Cor. 3. loquitur. Nihil enim est, quod quis benefecerit, quod non sit ipsum merces, atq; optata quædam retributio, deinde etiã largissime à Domino remuneratur, qui retribuet cuiq; secundum opera sua. Verũ quia Deus est, qui in nobis operatur, et uelle et operari, imò omnia in omnibus, et spiritus Dei est, non nos qui loquimur, in prædicatione Euãgelica, nostris uiribus, sicut nõ ipsum opus cui merces pmittitur, ita multo minus merces ipsa, quæ opus sequitur quidẽ, et inde merces uocatur, nõ uero operc adæquatur, tribui potest. Excedit nanq; remunerando omnia opera, quæ etiam ipsa in nobis operatur, bonitas Dei.

Quod simul gauisurũ ait et eũ qui seminauit, uides uiuere sanctos, q corpore obdormierũt, et nobis etiãnũ ita cõiunctos, ut nostris cõmodis congaudeãt, præcipue aũt dei in nobis gloriæ. Cũ Christo siquidem sunt, et in eo uiuunt.

Ex ciuitate autẽ illa multi crediderũt. Sect. 4.

ANNOT. Hæc subita Samaritanorũ cõuersio præludiũ fuit uocationis gentiũ, ideo uoluit magnificam esse, uti plane fuit, cũ ad unius mulierculæ, et nõ satis probæ, multi ilico, et quidẽ Samaritani Euãgelio crederẽt, Christumq; amplecterẽtur, qui primis Iudæorũ nihil minus præ se ferre uidebatur.

Et mansit ibi duos dies: Discipulis præceperat, ne ingrederentur ciuitatem Samaritanorum, Mat. 10 quod nondũ aduenisset tempus ut plenè glorificaretur. Verum ut uocationi gentium præluſit, in Magis, & postea in Centurione ac alijs, sic in præsenti ædere uoluit specimẽ, uocationis Samaritanorũ, qui medium quoddam genus inter Ethnicos & Iudæos, primi post Iudæos Euangelion recœperunt, ut legimus Act. octauo. Vnde duos tantum dies apud illos mansit, cum apud Iudæos perpetuo egerit Euangelizans. Minister siquidem erat circumcisionis, Rom. 15 et peculiariter missus ad perditas oues Israëlis Matth. 15.

OBSERVAT. In muliercula tam cupide suos ciues aduocante, & quo permoueret eos confitẽte sibi Dominũ peccata sua indicaße, exemplum est, animi iusta Christi cognitione donati. Is susq; deq; omnia habet, & sua quoque errata libenter confitetur, modo Christũ poßit multis commendare. Idem certe & Paulus 1. Cor. 15. Ephes. 2. 1. Tim. 1. Tit. 3. & alibi fecit, etenim quo Dei erga se misericordiã magnificentius prædicaret, ignorãtiam suam, ac etiam blaſphemiam atque Christianorum persecutionem, ingenue & multis uerbis confeſſus est.

Quod Samaritæ orant Dominum ut apud eos maneat, indicat quàm cupidi doctrinæ salutaris reddantur, qui uel temiter eam gustarint. In Domino autem qui passus est se exorari, manere biduum apud illos, exemplum est facilitatis et humanitatis, qui quãlibet inuisos Iudæis Samaritas non est præsentia & doctrina sua dedignatus. Monet at hoc

at hoc & nos posse eum omnia, quæ ad gloriam Dei faciunt, exorare, quamlibet indignos, doceatq; eandem facilitatem exhibere proximis.

In eo quod Samaritæ audito Christo dicebant, ipsi audiuimus & scimus, quod hic est uere saluator mundi, obser uandũ quã benigne cum abiectis alioqui et impuris Samaritis egerit. Qui enim Iudæi uspiã leguntur, tam plenè cognitionẽ Christi esse confeßi? Sed nec Dominũ legimus Iudæis aperte adeo, se Christũ esse, ut huic mulierculæ affirmasse. Sic uocat Deus ea quæ nõ sunt, et reijcit quæ prima esse uidẽtur 1. Cor. 1 Notandũ etiã quod aiebãt, Scimus q; hic est uere etc. ad hãc enim προφορίαν, id est, plenam certamq; Christi cognitionem uenire unumquemlibet oportet, ut si angeli quoq; contrarium affirmarent, nihil tamen in sententia fidei uacillaret. Sed huc certitudinis nemo nisi spiritus Christi adducet.

Post duos autem dies exijt inde. Sect. 5.

ANNOT. Tantũ biduũ apud Samaritas mansit, quia nondũ uenerat hora, ut regnũ Dei magnificentius apud illos reuelaretur. Antea Iudæis Euangelion regni erat offerendum, Christiq; morte medius paries, qui à Iudæis reliquas gentes diuidebat, diruendus.

Ipse enim Iesus testatus est. Si consideramus, qua occasione hoc testatũ alij Euangelistæ memorãt, Mat. 13. Mar. 6. Luc. 4. uidetur quod Euangelista præmisit, & abijt in Galilæam, per antitheſin intelligendũ, quaſi di. Non adijt

patriam suam, sed in reliqua concessit Galilæam, ipse enim testatus est prophetã, in patria sua nullum honorem habere. Iam ubi uerbũ Dei contemnitur, illic nõ est annunciandum. Quantopere autẽ illud cõtempserint, Domini municipes, adeo ut de monte cum uellent præcipitare, Luc. fuse narrat. Huc si nolis hoc dictũ referre, considera, an forte hoc sensu illud Euãgelista adscripserit. Magni erat Samaritis Iesus, sed quia nõdũ tẽpus erat ut prorsus glorificaretur, in Galilæã ubi tanq̃ Ioseph filius cõtemnebatur abijt. Ipse enĩ testatus erat prophetã nullũ habere in patria sua honorẽ. Atqui prior sensus mihi firmior uidetur, quia narrationi aliorũ Euãgelistarũ magis consonat, fauet ei et qd̃ sequitur. Et excœperunt eum Galilæi. Id nanq; non erat contemnentium.

OBSER. Animaduertendũ quã nocens res sit, externam dignitatẽ cõsiderare et oculis carnis iudicare. Quod fabrũ fabri filium Dominũ Nazareni putabãt, uerbũ uitæ quod afferebat, contẽpserunt. Ne ergo pſonã moremur, ad ipsum potius quod adfertur uerbum Dei animum aduertamus. Humilia enim secundum carnem Deus elegit, ut superba reijciat & confundat.

Sect. 6. **Et erat quidam regius, cuius filius.**

ANNOT. βασιλικός, id est, regius hic dicitur, fieri enĩ, ut ueri simile est, quispiam ex ministris Herodis regis. Nonnus habet ἰθύνων στρατιήν, id est, regẽs exercitum. Equidem Iudæum religione fuisse illum existimo, uel ex eo, quod Dominus ei fidei infirmitatem opprobrauit.

Nisi

Nisi signa & prodigia uideritis. Nullis sane ethnicis id opprobrij obiectũ legimus, ijs quoq;, quos susceptisse Dominum Euangelistæ memorant, tantam simul fidem adfuisse narrant, ut Iudæis in exemplum proponerentur. Certe Centurionis fidei, de quo Matth. 8. nullam adfirmabat Dominus similem haberi, in toto populo Dei.

OBSERVAT. Domini hic benignitas obseruanda est, qui quamlibet parũ credenti huic regio, quod orabat præstitit. Admonuit tamen antea imbecillæ fidei, qd̃ hic eius morbus, quam filij grauior & periculosior esset, postea & filium ei restituit, sed uerbo, neq; descendere ad illum, ut ad filium Centurionis uoluit, quanquam pater secundo id petijsset, & Centurio ultro uolentem ad se uenire per nuncios prohibuisset. Sic enim ad fidei huius confirmationem conducebat. Si ergo & nos subinde non exoramus, quæ Deũ oramus, non dubitemus è re nostra esse, ut nos non exaudiat. Cæterum discamus hinc, & nos sic in proximos benefici esse, ut animis eorum, priusquam corporibus consulere studeamus.

Circa id, quod ex hoc miraculo ad fidem in Christum hic regius cum tota domo adductus est, animaduertendum qualia sint, & quæ soleant efficere uera Domini miracula. De quo & supra. Ad fidem in Christum promouent, non ad suspiciendas creaturas.

CAPVT V.

Post hæc festum erat Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolyma.

Prima hæc sectiuncula apertam historiam habet, omittam igitur paraphrasin.

NNOTAT. Græca habent. Est uero Hierosolymis in probatica natatorium. Vt intelligas Hierosolymis fuisse locum siue regionẽ aut areã, quæ προβατικὴ, id est, ouilla fuerit dicta, forte quod illic statio, uel forum ouium esset, & in hac piscinam, et natabulum illud, quod Bethseda sit dictum sermone Ebraico, id est, quo tum uulgo Ebræi loquebantur, qui non erat ut supra cap. 1. quoq; monui pure ille, quo sacra biblia scripta sunt, quanquam plurima cum eo communia habeat. Docti huius et Ebrææ linguæ, Chaldaicum aut Syriacum esse putant. Porrò cũ Græce scriptum sit Βηθσαϊδά & incertum sit, an σ. elementũ græcũ, pro ס uel ש positũ sit, nõ ita liquet, quæ germana sit nominis huius interpretatio סרח, Chald. ratem significat, unde si nomen piscinæ fuit בית סרח, interpretatio eius erit domus, hoc est locus, uel statio ratium. Nam idiotismus Chaldaicæ linguæ est, loca fere domos uocare. Sic agrum uocant בית זרע, id est, domum seminis. Si autem σ. sit positum pro ש, quod mihi magis arridet, arridet, nam minor lacus ille fuit, quam ut rates haberet, significabit Βηθσαϊδά, Chald. בית שרא, id est, Bethscheda, domum uel locũ effusionis. Etenim memorat Hieronymus ostẽdi Hierosolymis geminos lacus, quorum unus hybernis pluuijs adimpleri soleat, unde forte nonnunquam inundat & effundutur, aut certe ita dictus est, q. pluuialis aqua è tectis, & alijs ædificioribus locis effunditur in illum. Nam durius uidetur, quod quidam arbitrantur dictum hunc lacum, בית צירא, id est, Bethtzaieda quod domũ piscationis significat. Mouit forte eos, quod uulgata latinorum exemplaria habent Bethsaida, quod nomen patriæ Petri est, & commode sane illi impositum, quia illic in lacu Genezareth piscatio erat. At nomen huius laci, Bethseda fuisse Euangelista scribit, ad hæc nulla erat in eo piscatio, ἡ κολυμβήθρα nanq;, id est, natatio erat, non uiuarium. Piscinam nanq; & latini pro natatorio accipiunt, imò & uasa lignea ampliora, Plinio piscinæ uocatæ sunt, tametsi initio piscinæ à piscibus qui uiui in illis seruabantur fuerint dictæ. Durior adhuc Hieronymi deductio est, qui בית ערר, id est, domum gregis dictũ hunc locum autumat. Atqui non probaticam, sed κολυμβήθραν quæ in probatica erat, Bethseda uocatam Euangelista scripsit, ad hæc quæ consonantia Bethæder, cum Bethseda?

Angelus enim descendebat certo tempore. Peculium erat Deo hic populus, promiserat habitare in medio eius, hinc quamlibet grauiter identidem ipsum offenderent, ut tamen

Angelus descendit.

tamen declararet, quam firma eßet ſua electio, ſemper mi
ra illi beneficia præſtitit, præ alijs populis. Tale iam fuit
& hæc, quam hic Euangeliſta memorat, ſalutaris laci
commotio.

Vis ſanus fieri? Hac interrogatione uolebat Dominus
ſanitatis deſiderium in morbido illo excitare, quo grati-
us tum eßet beneficium.

Erat autem Sabbathum die illo. Dominum eße ſe Sab-
bathi & omnium, hoc miraculo uoluit declarare, proin-
de in Sabbatho illud fecit, quoque magis inuulgaretur
iußit eũ pariter qui tam diu à grabbato ſuo portatus fue
rat, illud ſublatum in humeros uiciſſim portare, & am-
bulare.

Qui me ſanum fecit. Significare uoluit ſe iure parere
illi portando etiam Sabbatho ſuum grabbatum, qui diui-
na ſe uirtute ſanaßet. Neq; enim poſſe contra Deum ali-
quid precipere, qui tantam D E I eße in ſe uirtutem de-
claraßet. IESVS autem ſubduxit ſe, nimirum ut ante be-
neficium, quam ipſe innoteſceret, & non diuinum opus,
inuidia qua ipſe laborabat, grauaretur, ſed ut par erat re
ceptum, pijs probaret, ipſum filium Dei eſſe. Impijs enim
omnia in malum cedunt.

Ne poſt hac pecces. Ob peccata immitti morbos, non
ſolum lex & prophetæ, ſed & Apoſtolus teſtatur 1. Cor.
11. Propter hoc multi inter uos imbecilles &c.

Abijt ille homo & nunciauit Iudæis. Indubie ut I E-
S V M, tanquam diuinum hominem, & omnibus colen-
dum

dum prophetam commendaret, uerum illi ut nati ſolent
ex Diabolo, quo magis diuinitatem Domini ſentiebant, eo
magis contra eũ efferebãtur, agẽte eos hoſte Dei, Satana.
Hinc occidere eum quærebãt, tanquã Sabbathi uiolatorẽ,
qui tamen in Sabbatho, quod maxime oportebat, fecerat,
nempe gloriam patris illuſtrauerat, & hominum ſalu-
tem promouerat. De Sabbatho & ſerijs in Matth. dixi ſu
ſe cap. 12.

OBSERVAT. Obſeruandum ut Euangeliſta noſter
pauca, ſed inſignia miracula narret, eaq; mira diligentia
conſcripta, religioſiſsime enim ueritatem coluit, coq; per-
anxie operam dedit, ut ſua grauia, & non uera modo, ſed
& ueriſimilia eſſent, præſertim pijs. Hoc Euangeliſtæ ſtu
dium nos doceat, ut quanta poßumus cum grauitate nego
tium Euangelicum geramus, ne noſtra culpa fides illi de-
rogetur.

Quod per Angelum aqua laci mouebatur, ut ſalutaris
eſſet, docet angelorum opera, noſtram ſalutem curari. Pla
gæ Dei immißiones ſunt angelorum malorum, beneficia,
operationes & miniſteria bonorum, quibus utiq; timen-
tes ſe Dominus circumuallat. Pſal. 34. Ii quoq; portant in
manibus eos, qui Domino fidunt, pſal. 91. Proinde quic-
quid uſpiam ſalutare eſt, opus angelorum eſt, quanquam
dum non eſt inſolens, non ita agnoſcatur. Miram pleræq;
aquæ & res alitæ ad ſanandum corpora uirtutem habent,
ſed dum perpetua illis ea adeſt, dum percipitur à multis, et
continuo, deſijt eße admirationi. Sed pij eiuſmodi omnia

dona

dona agnoſcunt optimi patris, motuſq; eſſe ſanctorum angelorum, non minus quam erat præſentis loci commotio, non dubitant.

Quod triginta annos hic morbo obnoxius fuit, ſeruiuit ad gloriam Dei, quanquam ſero in eo reuelatã. Id moneat etiamſi non ilico adſit auxiliatrix manus Dei, omnia nihilominus tandem, ut in gloriam Dei, ita & in noſtram ſalutem ceſſura. Præterea docet hoc factum Chriſti, ut & nos ijs potiſſ. opem feramus, quos maiore uidemus neceſſitate præmi.

Furor Iudæorum, qui tanto miraculo augebatur, cum extingui debuerat, indicat, quid ſit eſſe Satanæ captiuum. Id nobis admirationem eximat, ſi quando & nos propter benefacta mundus perſequatur. Satan hoſtis Dei eſt, ubi ergo plus Dei ſentit, ibi plus furit.

Sect. 2. **Ieſus autem reſpondit eis.**

PARAPHR. Cum meas partes eſſe agnoſcam, ea de Domino noſtro IESV narrare, é quibus filius Dei, & indubitatus Chriſtus agnoſcatur, uſum fuit, præmittere hiſtoriam ſtupẽdi miraculi ſanationis eius, qui graui adeo morbo tãtus fuerat, annos octo ſupra triginta, nũc ſubijciam, quam huius occaſione ad Iudæos apologiam habuit. Vt enim ad hoc ipſe ſua miracula fecit, ut ex illis agnoſcendi eius occaſio eſſet, ita equidem libenter ea potiſſimũ narro, quæ anſam dederunt non ſolum populo de eo inquirendi, ſed ipſi etiam de ſe ipſo teſtificandi. Nemo enim melius ipſo,

ipſo diuinitatem ſuam expoſuerit. Commodum itaq; erat, cum ſupra memorauerim, quomodo Euangelion de ſe Nicodemo magiſtro in Iſraël, inde Samaritidi mulierculæ annunciauit, ut nunc narrem, quomodo illud prædicarit, & hoſtibus ſuis Iudæis, adductus eo, illorũ calumnijs, quibus inauditũ beneficiũ eius infamabant. Nam nec relinqueretur illis excuſatio, & ipſis fuit Euangelion prædicandum. Cum igitur eo quo ad adorandũ Dominum excitari debuerant, efferati illi magis eſſent, ut quærerent eũ interficere, qui antea ſubduxerat ſe, quo opus ſuum gratius innoteſceret, & ſua inuidia non grauaretur, nunc in conſpectum eorum prodijt, & in hunc modum defendere cœpit qd' fecerat, quodq; ab illis inuidiæ & odio cauſſa prætexebatur. Memorat inquit ſcriptura, die ſeptimo Deũ ceßaſſe, ab omnib. quæ fecerat operibus, eoq; diẽ ſeptimũ benedixiſſe atq; ſanctificaſſe, & poſtea præceptum dediſſe, ne quid operis eo die populus eius faceret. Hinc forte nefas ducitis, & morte dignum, quemadmodum & ille, qui die ſabbatho ligna collegerat iußu Dei lapidatus fuit, q, iußerim Sabbatho portare grabbatum, quem ſanaui. Scitote uero me Sabbathum hoc meo facto nequaquam uiolaße. Quod nanq; feci, ex ijs operibus eſt, quæ pater uſq; operatur, & à quibus ab eo quod mundum condit, nunquam feriatus eſt. A condendis quidem, cæloterra, et nouis rerum naturis pater die ſeptimo ceſſauit, non autem à moderandis illis, quæ condiderat, iugiq; ſucceßione ſeruandis. In his pater meus ad hoc uſque tempo-

Propoſitio Dominum Sabbathũ nõ uiolaße.

ris ope-

Quæ sem per pater operatur.

ris operatur, & ego operor. Nam ut per me condidit omnia, ita per me quoque moderatur, seruat & uiuificat omnia. Iam huius generis est, & quod in sanatione huius triginta et octo annorum morbido declarauit. Quo utiq; tam non potuit à me sabbathum uiolari, quam iugi uiuificatione rerum & gubernatione pater suam non interrumpit, in scripturis memoratam quietem. Hac uero responsione tam abfuit ut placarentur, ut multo magis contra Dominum furerent, quod non solum soluere sabbathum cum iudicarent, sed etiam Deum ipse suum proprium patrem faceret, eiq; sese æqualem, ut cum quo semper eadem operaretur. Magis igitur quam antea quærebant, ut ipsum occiderent. IESVS autem furore illorum nihil deterritus, more suo quæ dixerat & asseruatione magis confirmabat, & explicatione reddebat dilucidiora. Nam erat eis prædicata semel ueritate, omnis excusandi occasio amputanda. Amen amen inquit dico uobis, non potest filius à se facere quicquam, quod non ipsum & patris opus sit, id est, patrem facere uideat. Communia enim & eadem sunt patris & filij opera omnia, per filium condita sunt sæcula, & gubernantur, nihil in orbe est, quod non sit factum, & seruetur per filium. Verbum & uirtus patris est, omnia in omnibus perficiens. Alius est filius hic, quam putatis, aut uobis appareat. Sic diligit eum pater, ut omnia quæ ipse facit, demonstret ei, hoc est, per eum faciat, id quod post hac clarius agnoscetis, cum his quæ uos modo offendunt, ille maiora ei monstrabit, & per eum

Probat nihil contra gloriã Dei sibi arrogasse.

perficiet,

perficiet, quæ certe uos in summam adducent admirationem. Quemadmodum enim pater mortuos suscitat & uiuificat, ita & filius uiuificat quos uult, imò per filium uiuificantur, quicunq; uiuificantur. Neq; enim pater iudicat quenquam, sed omne iuditium, hoc est, omnem omnium rerum gubernationem, filio tradidit, Dominumq; eũ omnium constituit, ut omnes honorent filium, etiam hominem factum, sicut honorant patrem, & omne genu illi flectatur, omnisq; lingua cõfiteatur, quod ipse Dominus est. In eo uero alteri gloriam suam nequaquam cedit, unũ sunt filius & pater, unde qui filium honorat, honorat & patrem, qui filium misit, hoc est, hominem fieri uoluit, & salutatorem mundo dedit, quiq; filiũ nõ honorat, is neq; patrem honorat. Vnus siquidem honor est patris & filij, ut et ipsi unum sunt. Proinde qui meũ sermonem fide audit, ac ita credit nõ minus ei, qui me misit, quã mihi cuius quẽ loquor sermo æque est, atq; meus, uitam æternam habet, nunquam condemnabitur, euasit enim à morte in uitam. Vt nanq; ex eo sermone patrem & filium, unicum & uerum Deum agnoscit, ita & amabit, & in eum transmutabitur. Vitæq; æternæ iam uere particeps est, quæ olim re uelabitur, cum uoce filij à mortuis, in resurrectionem uitæ reuocabitur. Etenim affirmo uobis, iterum atq; iterum amen dico, quãlibet nihil tale in me uidere uos putetis, ad uenit hora, & iam est, cum & mortui audient uocẽ filij Dei, quiq; audierint eam, uiuent. Videbitis siquidem inter alios, & quadriduanum mortuum, mea uoce excitum in

Christus uiuificat.

Dominus omnium Christus.

Quo uiuificet.

Viuificat mortuos.

hanc uitam redire. Videbitis etiam cũ et ipse à morte quã uos inferetis resurrexero, multa corpora sanctorũ reuiui scere, idq; nequaquã occultũ erit, egressi è monumentis, non paucis sese uisendos exhibebunt. Quemadmodũ enĩ pater uitam habet in semetipso in sua manu, non mutuatã aliunde, nõ in aliena potestate cõstitutam, ac ita author est & fons uitæ, sic dedit & filio uitam in se, & ex semetipso habere fontemq; & authorem uitæ esse, quibuscunq; uoluerit. Nam & si homo factus sit, uerbum tamen patris simul est, idemq; substantia cum patre. Hinc & facultatem iuditij plenæ scilicet gubernationis omnium, regni totius mundi, filio pater dedisse agnoscitur, pauloq; post à dexteris suis eum collocabit, hoc est, proxima à se, imò eadem potestate in omnia donabit. Tantum uero abest, ut huic tanto honori obstet assumptæ carnis humilitas, ut hoc ipso, quod huc humilitatis sese demisit, eo honore eum pater sit dignaturus, imò iã cũ illi dederit. Placuit quoq; ei per Christum hominem summatim instaurare omnia, quæ in cælis sunt & in terra. Ne uero miremini, neue insolens ducite, quod tanta mihi arrogo, & mortuos audita uoce mea uicturos affirmo, futurum est enim, ut non tantum aliqui, mea uoce in uitam reuocentur, sed uniuersi mortales, qui unquam fuerunt, & modo corpore in terra dormiunt, quiq; sunt & erunt, ea in uitam reducentur, sed non parem. Resurgent enim mea uirtute excitiquidam, ad resurrectionem uitæ, ut æternam & beatam mecum uitam uiuant, multi etiam resurgent, ut cõdemnentur, ple-

A se uiuit.

Omnia iudicat quia filius hominis.

Voce Christi omnes resurgẽt.

tur, plenamq; in corpore & animo, operũ suorum mercedem recipiant. Vt enim quisq; uixerit, & bona aut mala fecerit, ita erit & sors eius in resurrectione. Hæc autẽ tanta, tamq; diuina, non dico me mea, quæ alia sit à potestate patris, uirtute perfecturum. Equidem nihil à me ipso facere possum, si me à patre diuidatis, pater in me est, & ego in patre, imò idem cum patre sum, Verbum & uirtus patris, cui nihil potuit decedere ex eo, quod sum factus homo. Scitote ergo me ita iudicare, ut à patre audio, id est, non nisi patris sententiam in omnes & pronunciare & exequi, ideo iuditium meum iustum est. Neque enim quæro meam uoluntatem, quæ sit alia, ut uos putatis à uoluntate patris, cum eadem sit mea & patris uoluntas. Ipse misit me, ipse me hominem fieri, homines q; docere & regere iussit, omnia igitur ex sententia ipsius sum, facio & iudico. Quare tam absurdum est de me suspicari, quasi aliquid dicam aut faciam, quod culpandum sit, aut gloriæ patris deroget, quam id suspicari de ipso patre. Nullam itaque contra me caussam ita furendi habetis, neque quod Sabbathum uiolarim, qui nihil aliud feci, quam pater per omne sanctũ Sabbathũ suum, quo à nouis rerum naturis condendis feriatur, facere solet, neque quod filium me DEI, eadem cum ipso operantem, illi æqualem me professus sum, ita enim res habet, & ipsi olim sic habere, constituti ante tribunal meum, agnoscetis. Sed ducetis: Tu tibi ipsi testimo-

Idẽ Christi & patris iudicium.

Cõclusio.

Testimonia.

nium perhibes, ideo testimonium tuum nullius est momenti, uerum haberi non debet. Ego uero dico alium, quam uos in me agnoscitis, mihi testimonium horum perhibere, & scio uerum esse testimonium eius, pater ipse mihi testimoniũ phibet, sed mitto hoc, quia huius testimonium cognoscere non potestis. Nunquid eadem & Iohannes de me testificatus est, & cum ueritate quidem cum per legatos uestros eum rogastis? Hoc uero non dico quod hominis testimonium morę, uobisq; illud libenter cesserо, cũ longe maius habeam, nimirum patris, uerum hæc commemoro, ut uos fidem habentes mihi, consequamini salutem. Alioqui quid mihi, uel illius testimonium, uel uestra existimatio contulerit? Certe erga Iohannem uos ita habuistis, ut nemo prudens, uestram æstimationem magno emerit. Erat ille profecto lucerna ardens igniсælesti, & lucens doctrina salutifica, sed quanti ob hæc uobis fuit? Ad horam in luce eius uoluistis exultare, doctrinam eius cum gaudio percipientes, sed simul atq; ille uos uobis ipsis auferre, & mihi innocuandos consecrare uoluit, quem prius ut angelum susciperе uidebamini, cœpistis ut insanum hominem, & habentem Dæmonium auersari, & criminari. Sed mittamus etiam huius testimonium, quod tamen nequaquam reijciendum pio est, cum lucerna fuerit in æternam uitam lucens, sicut et spiritu Dei ardebat. Habeo multo maius & certius testimonium, quam sit testimonium Iohannis, testimonium nimirum operum meorum, quæ sane eiusmodi sunt, ut nemo queat

Patris internum testimoniũ.

Testimonium Iohannis.

inficiari, ea patrem mihi dedisse, hoc est, in me perficere. Hominem triginta & octo annos morbo addictum uerbo sanare, & id genus alia, cui non fidem faciant, qui modo possit credere, me à patre missum, nihilq; nisi patris uoluntatem perficere? His sane pater, qui misit me, de me aperte satis testatur, cuius si testimonium in huiusmodi operibus non agnoscitis, neq; ulla alia ratione agnoscetis. Patrem nanq; nunquam audistis, neque uidistis, & quod omnium deterius est, uerbum eius & uirtus non manet apud uos, ἄθεοι estis, & sensu Dei in totum caretis. Id indubie probatur quod me, neq; ex Iohannis, neq; ex operum testimonio agnoscitis, quem ita misit pater, ut omnia in me patris sint, ipsumq; clarissime referant. Sed non est mirũ, stupescere ad hæc animales. Porrò ut nulla uobis fiat reliqua excusationis occasio, agite quando nihil uos mouet testimonium Iohannis, contemnitur testimonium operum meorum, quæ uel cæco me Deum esse natura hominis tectũ, ostendãt, agite, Scripturas scrutamini, quandoquidẽ magnifice adeo de eis sentitis, ut uitam æternam in eis habere uos putetis, id quod recte putaretis, si eas recte intelligeretis. Nunc autem nihil inde nisi uestram damnationem refertis. Testificantur enim illæ de me, uos tamen renuitis uenire ad me, meq; saluatorem uestrum agnoscere, ut uitam æternam haberetis per me. Id uero nequaquam dico, quod cupiam apud uos in precio haberi, gloriam enim ab hominibus nihil moror, sed

Testimonium Scripturæ.

hæc dico ut uobis indicem, quales uos cognoscam. Noui siquidem & exploratum habeo, quod dilectionem DEI in uobismetipsis non habetis, obuijs alioqui me ulnis exciperetis. Nunc autem me qui tamen in nomine patris ueni, uirtutem eius ad saluandum in omnibus exerens, nõ recipitis, paulopost ueniet alius in nomine suo, sua quærens, ad uestram perniciem, illum excipietis. Sed ita fieri necesse est. Qui enim possetis mihi credere, cui nemo credet, nisi se ipsum abnegauerit, & à me omnia petierit, quando gloriã á uobis inuicẽ moramini, quare et Dei gloriam posthabetis quærere? Huius uero contemptus, nolite putare quod ego uos apud patrẽ accusaturus sim, habetis Mosen, de quo uidemini confidere, is uos accusabit. Scriptis enim eius, ut recepistis uos facturos, & facere simulatis, non creditis. Nam de me ille scripsit, ubicunq; de Dei bonitate, uirtute, & gloria, ubi de uera solidaq; sapientia, iustitia, & sanctitate scripsit. Cum igitur uerbis eius nullam habetis fidem, alieni à Deo, ueraq; pietate, quam ille docuit, quamlibet iactetis uos illius discipulos, & gloriemini de lege eius, qui fieret ut mihi crederetis, quem ut filium hominis, fabrum & filium fabri contemnitis, ad hæc criminantes legum Dei transgressorem, ipsiusq; blasphematorem?

Cur non poterant credere.

Moses accusabit.

ANNOTAT. Pater meus usq; ad hoc temporis. Occupatio est eius quod Iudæi fuerant Domino obiecturi. In lege siquidem ita scriptum est. Dies septimus, requies Domino Deo tuo sit, nihil in eo operis feceris, tu, filius tuus, filia

filia tua, seruus tuus, ancilla tua, peregrinus tuus, qui intra portas tuas est. Quoniã sex diebus fecit Dominus cælos & terram, mare, & quæ in illis sunt omnia, die uero septimo quieuit, propterea benedixit Dominus diem septimum, & sanctificauit eum 2. Moscheh 20. Omnia siquidem condidit Deus, ut bonitas eius agnosceretur, cum ergo ex perfectis eius ac ualde bonis operibus, per sex dies conditis, ampliß. bonitas & sapientia eius clarißime reluceret, affatimq; omnia suppeditaret, iure ipse quidem septimo die à nouis rebus condendis cessauit, dignumq; erat, ut in consideratione huius ubiq; præsentis bonitatis Dei homines toti ac perpetuo fuissent. Cum autem necessarijs uitæ huius, rudior populus hinc distraheretur, selegit Dominus diem septimum, ut eo potißimum beneficia sua illi memorarent, eoq; & ad pietatem formarẽtur. Hæc fuit diei septimi benedictio & sanctificatio. Nam quod 1. Moscheh 2. legitur Dominus benedixisse & sanctificaße diem septimum, per anticipationem scriptum est. Tum enim eum diem benedixit & sanctificauit, cum populo præcepit, ut sanctum eum haberent, id est, bonitati suæ considerandæ & colendæ dicarent.

Hæc Iudæi ignorantes, Sabbatho nihil aliud exigi putantes, quam ut nihil fieret operis, cum multo magis Deus requireret, ut ex conditis rebus agnosceretur is, qui perpetuo nostri curam gereret, sicut in usum nostrum omnia condiderat, & ab operibus corporis uacationẽ nulla alia causa perfancte adeo præcepißet, quam ut liberi

ęssent homines ad uacandum suis beneficijs recolendis, gratiarumq; actione, ad incrementum pietatis celebrandis. Ex hac igitur ignorantia, ita contra Dominum apud se colligebant. Deus die septimo, ab omni opere, quod fecerat ceßauit, ita ceßandum & huic erat, iam & sanauit ipse hominem hunc die sabbathi, & iußit illum portare suum grabbatum. Hoc itaq; uolens dißoluere, dicebat: Pater meus usq; ad hoc temporis operatur, & ego operor, unum enim sumus. Neq; enim ut uos putatis nihil facit, & si nullas nouas rerum naturas condat, uiuificat tamen, seruat, & moderatur interim quæ condidit, idq; per me, ut & creauit. Qui ergo in hoc ipso opere sanationis, quod uos offendit eandẽ uirtutẽ, qua omnia condita sunt, & seruantur declarauit, ut nõ tam meũ, quam patris opus sit, et eiusmodi, qualia cõtinuo ille operatur, nõ potuit Sabbatũ eo uiolari. Violatur illud operibus, quibus à cõsideratione & glorificatione bonitatis Dei homines auocantur, hoc uero meum opus tale est, ut nihil æque poßit electos, ad cognoscendum & glorificandum illum incitare. Ad idem inseruijt, & quod qui tam diu cum morbo conflictatus est, lectum suum omnibus uidẽtibus portauit, à quo tot iam annis portatus fuerat uiribus corporis destitutus.

Quo sabbathum uioletur.

Forte & hoc sensu cum illatione accipi hæc non incommode poterunt. Vos quia Deus die septimo ab operibus suis quieuit, indignum ducitis quod ego die sabbathi sum operatus. Ego uero scio patrem usque ad hoc temporis semper operari, ideo & me operari oportuit. Maxime

xime cum idem quod ipse, operatus sum, salutem conferens ei qui grauiter adeo laborauerat. Ego enim & pater unum sumus, eademq; operamur.

Sed & patrẽ suum, græce habetur ἴδιον, id est, proprium. Sic enim fecerat Deum patrem suum, ut eadem, quæ pater, operari se affirmaret, ac ita se illi æqualem esse pronunciaret, id ergo Iudæos penitus in furorem contra Dominum egit.

Isa: Non potest filius à se facere quicquam. Nõ quæro uoluntatem meam, Si ego testimonium perhibeo de me ipso &c. per imitationem dicta sunt. Imitatus hactenus Dominus Iudæos fuit, qui alium eum à patre putabant, cum diuinitate idem esset substantia quod pater, & humanitate item totus ad uoluntatem Dei formatus, ut nihil cogitaret, diceret, aut faceret, quod non Dei & patris uoluntas & opus esset. Vnde ait: Quæcunque enim ille facit, hæc & filius similiter facit, atque hoc est facere quæ uidet patrem facere.

Omnia demonstrat ei, quæ ipse facit, id est, eadem facere donat. Videre enim pro habere uel accipere, & demonstrare uel ostendere, pro dare, et aliâs scriptura usurpat. Sic Dominus moscheh: ostendam tibi omne bonum, pro dabo, dixit 2. Moscheh 33. Et supra tertio Christus negauit uisurum regnum Dei, non renatum, pro non ingressurum uel possessurum.

Omnia filio demonstrat.

Et maiora ijs demonstrabit. Maiora hæc, intellexit, reuocatos à se in uitam mortuos, id quod specimen fuit, &

futuræ in die nouissimo generalis, omnium uirtute eius, resurrectionis, & internæ quoque per fidem iustificationis. His quid possit maius pater? Hinc ergo probauit, patrem sibi demonstrare, id est, faciendi ea facultatem conferre, quæcunq; ipse facit.

Neq; enim pater iudicat quenquam. Probatio est eius, quod dixerat, se uiuificare quos uelit. Si enim hoc potest, supremam necesse est in omnes potestatem habeat. Nulla enim potestate uitæ necisq; maior. Commodum est autem ut sicut per Verbum suum condidit omnia Deus, ita per idem iudicet quoq; regat ac moderetur omnia. In eo autē nunquam satis admiranda erga nos Dei dignatio appareret, quod hoc Verbum suum, hominem fieri uoluit, diuinaq; hinc omnia per hominem exercere, ut filium, iam hominem factum, sicut patrem ipsum, omnes honorarent.

Qui sermonem meum audit. Hæc illationem in se habent, quasi dic. Igitur mihi credere debebatis, qui uiuificare possum quos uolo, quiq; omne Dei iudicium exerceo, omni in omnes potestate fungor. Hinc enim est, ut qui me audierit, atq; in eo, non minus ei qui me misit, quàm mihi crediderit, iam saluus sit. Neque enim possum mihi fidentem, non saluare, quando in mea manu est, saluare quos uolo.

Quando mortui audient uocem filij. Aduenisse hanc horam, postea fidem fecit, dum filiam principis Synagogæ, filium Viduæ, deniq; & Lazarum in uitam solo uerbo reuocauit. Hi ergo audierunt uocem filij, et reuixerūt.

Sicut

Sicut enim pater habet uitam in semetipso, id est, à nullo alio pendentem, plenecq; in sua manu constitutam. Sic autem qui uitam habet, eum authorem fontemq; uitæ esse oportet, poterit igitur eam communicare cui libuerit.

Quia filius hominis, id est, quia ita humilis modo appareret, ideo in illam gloriam, ut iudicaturus sit omnia, exaltabitur, de hoc Philipp. 2. Visum etiam Deo est, in assumpto homine omnia summatim instaurare, Ephes. 1. Ad hoc semen Abrahæ, & ne angelos quidem assumpsit Eb. 1.

Nolite mirari hoc. Magnum erat & stupendum, quod sibi arrogauerat, cuius ut admirationem imminueret, fidemq; eius faceret, adfirmauit, se facturum quod longe maius, & multo plus stupendum sit, nempe uoce sua, id est, uirtute (nam uerbi et uocis qua imperatur, nomine scriptura uirtutē intelligit, ut et supra primo) olim in nouissimo die mortuos uniuersos in uitam se reuocaturum.

Qui bona fecerunt. Quisq; ut est, ita & operatur, opera de animo testantur, secundum opera igitur, tanquā testimonia, sententia iudicis fertur. Hoc autem nihil derogat, uel ei, quod fide sola iustificamur, id est, Christo, iustitiæ Dei inserimur, spirituq; eius ueræ iustitiæ doctore donamur, uel ei etiā, quod Deus est, qui et uelle, et perficere, in nobis operatur. Sua enī in nobis opera remunerat, Deus & nostra, si sua desint, iure optimo, ut mala punit. Secundum opera iudicamur.

Non possum ego ex meipso facere. Probatio est eius, quod sibi sumpsit, sua uoce olim omnes resurrecturos. Cū enim nihil à se facit, sed uirtute patris omnia, facile uidere est, quod

est, quod quæcunque pater facit, & ipse facere possit, & etiam in uitam nullo negotio mortuos reuocare, sicut & è nihilo omnia antea condidit. Ad hunc modum in Paraphrasi, hũc locum enarraui. Verum haud scio, an non hoc dictum rectius, ut ratio principalis propositionis accipiatur, hoc sensu. Expositi uobis quis patri sim, quæq; ab ipso accœperim, ut eadem cum patre omnia operer, & cum ipso mortuos redituos reddam, ex his facile uidetis me longe ab eo esse, ut contra ipsum aliquid designem, siue Sabbathi uiolatione, siue mihi arrogando, quod ipsi deroget. Vtcunq; autem ista accœperitis, affirmo uobis, quod à me ipso homine, quem uidetis, nihil facere possum, quod non operetur in me & per me pater. Vt audio, ut exploratum habeo, ita iudico in omnibus, nihil in me est, nihil dico, nihil facio, quod non sit patris, meam uoluntatem, quæ non sit & patris uoluntas ignoro, nihil uolo, nihil molior, quod non sit & patris beneplacitum. Tam multum abest, ut Sabbathum Domini prophanauerim, plus, quod ipsum blasphemauerim, quæ falso uos mihi impingitis.

Non possũ facere à me quicq̃.

Si ego testimonium de me ipso perhibeo. Mimesis est, imitatur enim aduersarios, qui ita censebant. Neque enim poterat ipsius de se ipso testimonium non esse uerissimũ, qui cum patre idem est.

Alius est qui testatur de me. Emphaticôs legendum est. Quasi die. longe alius est, quàm me uidere uos existimatis, Deus est, non hic contemptus uobis faber, qui de me testificatur, filiumq; unigenitum et dilectum agnoscit, id testi-

id testimonij noui uerum esse, & abunde satis mihi est, un de mea quidem caussa nihil moror, quid homines de me sentiant. Testificatus est de me & Iohannes, ad quem legatos uestros misistis, cuius testimonio, uestræ quidem salutis caussa uelim fidẽ haberetis, mea autẽ neq; huius, neq; cuiusq̃ hominis testimonium moror. Maius siquidem habeo, etiam erga homines, quàm sit & Iohannis testimonium, nimirum opera mea.

Ille erat lucerna ardens & lucens. Hoc est, quanquam uere spiritu Dei ille arderet, & doctrina salutis lucceret, uos tamen uix ad horam, ad minimum tempus, in luce eius uoluistis exultare, id est, doctrinã illius amplecti. Nã licet initio turmatim ad baptismum eius aduolassent, ut Matt. 3. & Luc. 3. legimus, simulatq; tum illos pro meritis corripuit, & omnem iustitiam à sequente se Christo expectare hortatus fuit, aduersari ei cœperunt adeo ut dæmonium habere eum, dum aliud nihil possent, calumniarentur, Matth. 11. De hoc & supra fol. 33.

Lucerna ardens.

Et qui misit me pater. Hic ille alius est, de quo supra. Alius est, qui testatur de me. Porrò patris de Christo testimonium triplex est. Testatur ipsi homini Christo, ut sciat se esse, quod est, id est, unice dilectum filium Dei, de hoc uidetur proprie esse quod dixit. Alius est, qui testatur de me, & scio quod uerum est testimonium eius. Alterum perhibitum uocc est, de cælo delapsa. Primum cum baptisma susceperat, postea, cum in monte discipulis suam ostenderat gloriam. Tertium perhibet spiritu suo, in cordibus

Triplex patris de filio testimonium.

dibus electorũ. Nam filium nemo nouit, nisi pater, Mat. undecimo, & nemo uenit ad eum, nisi quem pater attraxerit, ut in sequenti capite. Hoc testimonio carent omnes reprobi, quales & hi Iudæi erant, quibus dixit. Neque uocem eius audistis, neque speciem eius audistis & uerbum eius, id est, uirtus & energia, qua sola ipse & filius cognoscuntur, non manet, non habet locum in uobis, uacui estis spiritu eius, toti caro & sanguis.

Scrutamini scripturas. Tertium testimonium, & Iudæis satis apertum & expositum, scripturæ reddunt, quæ de Christo testantur, ubicunq; de Dei bonitate, sapientia, uirtute, & iustitia prædicant. Id qui pie illas scrutatur, facile animaduertit, qui absq; spiritu est, nihil minus. Præter id enim quod animalis homo, quæ Dei sunt, non percipit, sunt etiam pleraq; de Christo uaticinia admodũ tecta, præsertim cũ ferè ex parte aliqua in alios quoq; quadrent, qui tantum Christi typum gesserunt. Quicunq; enim bonitatis Dei insigniores ministri fuere, Christi figuram retulerunt, de quibus sæpe scriptura ea prædixit, quæ in ipsis quidem partim aparuere, in Christo autem solo demum completa sunt, de quo & supra cap. 3. in illud. Quemadmodum Moses exaltauit serpentem, non nihil dixi. Rccæpi primo capite, fusius hic dicturum, quomodo scripturæ de Christo testificentur, sed cum id non posit prestari, nisi plurimis scripturæ locis adductis & excussis, ad qd' in præsenti tẽpus negatũ est, cogor ipsum alij libro reseruare, tam late siquidẽ hæc res patet, & tam multa

Quibus scriptura de Christo testetur.

multa complectitur, ut uix proprio libro satis digne & perspicue tractari possit.

Quia uos uidemini uobis. Notauit præposterum studiũ literæ legis, quo sine spiritu Iudæi sibijpsis placebãt.

Gloriã ab hominibus non accipio. Occupatio est, qua præuenit Iudæorum calumniã, qua ambitiosum calumniari potuissent, eo quod sui tam manifesto in scripturis commẽdati cõtemptũ, illis opprobasset. Testatur igitur se illis sui contemptũ, non desiderio gloriæ, quam ab ipsis cuperet, sed quod certo sciret dilectione Dei eos uacare, eoque quicquid Deum respit, auersari, opprobrasse. Quicunq; enim uel aliquem Dei amorem, & sensum habent, quæcunque Deum referunt suspiciunt etiam, tam abest ut filium Dei, qui in omnibus patrem luculentissime refert, sic præsertim sese insinuantem, ut se insinuauit his Iudæis, possent non cupidiss. etiam excipere.

Si alius uenerit nomine suo. Sic uenit Aegyptius ille Magus, quem Ben Cuziba uocarunt, qui triginta hominum milia sibi congregarat, se CHRISTVM esse mentiens, de quo Ioseph. secundo libro de bello Iudaico. Item alter Ben Cuziba sub Hadriano, qui innumerabilem turbam seduxit, ut Iudæi ipsi scribunt, in libro Seder olam. Hos & multos alios CHRISTI nomine Iudæi recepcrunt, quo pœnam dederunt contemptus Christi. Sic & nos pròhdolor, nimis graues diu deserti ueri Christi pœnas dedimus, dum apud ligna & lapides perditoq; hominũ

Alius uenit et nomine suo.

hominum salutem frustra, sed magno quæsiuimus, quam ultro offerebat & gratis Christus saluator uerus.

Quomodo uos potestis credere. Qui credunt, Deo omnem gloriam tribuunt, omnia enim ab ipso petunt. Id non possunt, qui gloriam accipiunt, id est, alicuius faciunt, ab hominibus. Sibi etiam ipsis aliquid uidentur & tribuunt.

Si enim credidißetis Mose. Solo spiritu uerbo DEI creditur. Si igitur Mose credidissent, spiritum scrutatorem profundorum Dei habuissent, Deumq; in Christo multo, quàm in Mose luculentius sese cognoscendum exhibentem, non potuissent non agnoscere.

De me enim ille scripsit. Apertiß. sanè 49. Quis ne mo alius unquam ex tribu Iudæ extitit, cui populi ita auscultassent, ut indubitato nostro שילה, uere felici principi & Christo. Deinde pijs aperte satis, in ijs omnibus, quæ de יהוה, id est, Domino, p quẽ omnia acceperũt ut sint, et seruẽtur, per omnes quinq; libros suos prædicauit. Huius certe facies populo præiuit, huius posteriora Moscheh uidet 2. Moscheh 33. Hic populum duxit, pauit, defendit, ac etiã puniuit, de quo et supra primo fol. 14. De niq; cum hic unus sit sanctorum magister, etiam ibi à Moscheh indicatus est, cum prædixit è populo Deum excitaturum prophetam, in cuius os sua uerba poneret, quem omnes audire deberẽt 5. Mosc. 18. Hoc enim ut in Iehosua, & in alios ueros prophetas quadrauit, ita præcipue conuenit Christo, omnium prophetarum capiti. Hinc satis liquet,

Moscheh scripsit de Christo.

liquet, si Iudæi Moscheh uere credidissent, nunquam eos fuisse Christum reiecturos, præsertim cum se ita exhiberet, ut non posset, à timentibus DEVM, non filius Dei agnosci.

Quod enim hodie forte Iudæi sint, qui nequeant, in Moscheh Christum agnoscere, & tamen filij Dei sint, uereq; Moscheh credant, in caussa est, quod de Domino Iesu lõge aliter persuasi sint, quã sese his Iudæis ipse exhibuerit. Vt nanq; Cæsaris faciem is non agnoscet, quamlibet graphice pictam, qui Cæsarem nunquam uidit, ita isti quia Domini Iesu faciem ignorant, non possunt credere eius esse, illam quam Moscheh depinxit. Magnifica de Christo legunt & credunt, sed ea nostro Domino Iesu competere, quia cum qui sit, quæue operatus sit ignorant, & præterea pessima quæq; de ipso persuasi sunt, credere non possunt. Quanquam huius eorum ignorantiæ sit & alia caussa, nempe quod uisum sit Domino, in præsenti, Iudæam gentem, cæcitatem perferre, donec gentium plenitudo introierit, de quo Roman. undecimo. Qui tum electi ex illis fuerint, tandem agnoscent Dominum, remoto uelo, quo nunc mentes eorum contectæ sunt.

Cur Iudæi ex Moscheh Christum nõ discũt.

OBSERVAT. In hac Domini Apologia obseruandum primum, ut dilucide ut clare suam duinitatem, tantis suis hostibus prædicarit. Sic adimi illis omnem excusationem oportuit. Deinde probe perpendendum, quid de se DOMINVS illis testatus est, nempe omnia se cum patre habere communia, omnia simul operari,

unum esse omnium iudicem & uiuificatorem, nosque patrem honorare, cum ipsum honoramus, DEVM *& seruatorem esse omnium, cui cum credimus, uitam nacti sumus æternam, & læti ante tribunal eius, in resurrectione stabimus. Hæc itaque diligenter & religiose pensata, nos in fide* DOMINI *nostri, atque ita æterna uita mire confirmabunt, atque promouebunt, auocabuntque à rebus istis caducis, quibus nostra cum pernitie alias addicimur. Demum obseruanda sunt, & quæ tribuit Iudæis quod ad horam tantum doctrina Iohannis delectati sint, quod uerbum* DEI *in se non habeant, quod in scripturis sine spiritu uitam æternam sibi polliceantur, quod gloriam humanã quærant, q; dilectionẽ Dei in se non habeãt. q; Moschch credant quantũuis hoc simulent. Sic nanq; habet natura impiorũ, ut uerbum Dei in se, et dilectionem nequaq̃ habeãt, uacui spiritu eius, ideo quamlibet luculentis testimonijs conuicti, nunquam tamen possunt ueritati accedere & Christum agnoscere, licet nonnunquam ad tempus se fauere illi simulent, & in precio habere se uerbum Dei fingant. Et cum in scripturis uersantur, mortẽ ex eis referunt, cum uitam putent se inde relaturos.*

CAPVT VI.

Sect. 1.

Post hæc abiit Iesus trans mare Galilææ.

Apertior historia est, quàm ut paraphrasim requirat. Annota-

ANNOT. Hæc historia, & à Matt. 14. à Mar. 6. & Luc. 9. conscripta est. Mare Galilææ, lacus is est, qui in scriptura ים כינרית, id est, mare Cinnereth, quod dulce mare quidã interpretantur, uocatur, à græcis Genesar uel Genesareth dictus est. Tiberiadis mare, hic illum Iohannes uocat, quod Tiberias urbs, ab Herode tetrarcha in honorẽ Tiberij Cæsaris ita uocata, huic lacui ad partẽ occidentalẽ adiaceret. Caussa uero præsentis traiectionis domini fuit, partim ut Herodẽ declinaret, partim ut quiesceret, nimiũ enim præmebatur à turbis, ut Mar. memorat, quanquam non diu illæ quietem ei permiserũt. Mox enim secutæ fuerunt, idq; non tam uerbi Dei, quàm signorum caussa, ut hic Iohannes testatur. Mari Tiberiadis.

Ducentorum denariorum panes. Tantum pecuniæ uidentur habuisse, fuit autem supputatore Budæo, quantum sunt XX. coronati francici. Marcus narrat eos dixisse. Euntes emamus ducentis denarijs panes. Huc dilecti onis peruenerant, ut quæcunq; haberent, in usum populi parati essent exponere.

Dicit eis unus ex discipulis. Disputatio hæc de pascendis turbis mota uidetur à Domino, tantum ut ad futurum miraculum suorum mentes excitaret.

Erat multum gramen. More suo Euangelista tempus, locum, & circumstantias alias diligenter conscribit. Studebat enim ueritatem grauiter & uerisimiliter narrare.

Discipuli apposuerunt turbis. Sentire et tangere illos

uolebat uirtutem suam Dominus ideo in ipsorum mentibus miraculum uoluit perficere.

Abijt rursus in montem solus, noluit enim ne suspicionem quidem admittere affectati regni.

OBSER. Obseruandum Christum ubique sui similem, id est, benefactorem sese exhibere, idq; etiam indignis, uti erant hæ turbæ, quæ ferè tantum carnalia ab ipso petebant. Hanc beneficentiæ propensionem & studium imitemur. Animaduertendum deinde, nihil posse etiam in deserto uastissimo deesse sequentibus CHRISTVM. Id corroboret nos, dum ueritatis hostes omnia nobis loca deserta, plenáque periculis faciunt. Qui ex tam paucis panibus & pisciculis, tam ingentẽ turbam saturare potuit, ut tantum etiam superesset, adhuc uiuit, & nobiscum est, usq; ad finem sæculi.

Id quod gratias, sumptis panibus egit, ut semper solebat, moneat ut & nos, quoties Dei beneficia attingimus, id quod semper fit, gratias ipsi ex animo agamus, deq; bonitate ipsius, quàm rebus alijs, in conuiuijs nostris, sermones misceamus. Reliqua in Matth. require.

Sect. 2.

At ubi iam uespera esset, descenderant discipuli.

Neque his paraphrasi opus.

ANNOT. Vbi iam uespera esset, id est, propior nox esset. Nam uespera iam fuerat, cum turbas uellet pascere. Diuisit autem à se discipulos, imò abire compulit, ut Matth.

Mat. habet, id enim cõducibile erat, ad dimittẽdas turbas.

Venerunt traiecto mari. Veniebant ultra mare, legere malum, neq; enim adhuc eò uenerant. Marcus memorat Dominũ iussisse, Bethsaidã traijcere discipulos, quod ideo fecisse puto, quòd forte facilior illo esset traiectio, nihilominus & ipsius uoluntatem fuisse, ut Capernaum peterent, ubi solita erat Domini habitatio, uti Iohannes scribit, non dubito. Ibãt igitur, id est, petebãt Capernaũ, quanq; prius Bethsaidã, ut propiorem & cõmodiorẽ locũ appellerent. Lectio clarior.

Mare autem uento magno. Non satis potentiam Domini ex miraculo panum discipuli agnouerant, exercendi igitur erant & hoc periculo maris.

Voluerunt ergo recipere eum. Alij Euangelistæ memorant eum etiam ab illis fuisse receptum, id noster quidem non negat, sed memorat simul uel ilico nauim appulisse terræ, ad quam ibant, ut alijs, & hoc miraculum adijceret. Miraculum siquidem fuit, quod super mare ambulauerat, sic & quod mare reddiderat tranquillum, iam tertium fuit, quod ilico nauis uirtute Domini terræ appulerat, Matth. quartum de Petro, adiecit.

Vt uidit quod nauicula alia non esset. Viderat turba pridie unam tantum nauiculam adfuisse, eaq; discipulos traiecisse sine Domino. Mirabantur igitur quorsum abijsset Dominus, quẽ sciebãt, neq; cum discipulis abijsse, neq; alia naui dilabi potuisse, cum nulla præter illam, quæ auecti fuerant discipuli, in eo littore adfuisset. Suspicantes igitur quod erat, nouo miraculo ad discipulos suos illum

se recœpisse, cum naues à Tiberiade ad locum illum, ubi pa
sti erant à Domino, uenissent illis traiecerunt & ipsi Ca
pernaum, quæsituri Dominum, quem & inuenerunt.

OBSERVAT. Præter potentiam Domini, in hoc ab Euangelista, tot miraculis prædicatam, ut fidere nos Domino doceret, obseruandum simul est, quod uti & discipulis usu uenit, nos beneficia Dei, sine tentationibus nõ satis erudire, & Dominũ nobis cõmendare poßunt. Qua propter nequaquam despondendus animus est, cum aduersa & periculosa inciderint, Domini sumus, in bonum nostrum, illa ut nostri amantiß. immittit. Stupet alioqui ad diuina caro, neq; prosperis ita, ut aduersis excitatur, demũ recte Dei quoq; beneficia agnoscimus, ubi tentationib. desiderium eorum in nobis exacuatum est. Reliqua in Enarrationibus in Matth. require. Quæ de turbis Iohannes narrat ostendunt, quomodo hoc miraculum, inotuerit.

Sect. 3.

Cum inuenissent eum trans mare dixerunt ei: Rabbi.

PARAPHRA. Visis tot miraculis, cupiebant turbæ semper Domino adesse, hinc sedulo adeo ipsum quærebant & sequebantur. Cumq; id quod res erat, putarent non sine nouo miraculo trans lacum eum uenisse, cupientes de hoc certiores fieri, cum eum inuenissent, rogabant, quo nam pacto lacum traiecisset. Verum Dominus qui sciebat uana illos curiositate ista inquirere, nihil ad hoc eis respondit,

respondit, sed sumpta à panibus quibus prædie ab ipso, inaudito miraculo saturati fuerant, occasione, ad fidem in se qua in æternum bonorum omnium saturi esse possent, cœpit eos exhortari, suo more anagoge usus et translatione. Dicebat ergo illis: Amen amẽ dico uobis, quod me nõ ideo quæritis, quod signa uidistis, ijsque persuasi me homine maiorem creditis, à cuius uerbis & doctrina uobis pendendum sit, sed quod pasti à me estis, spem fecit ut & deinceps me cibum uobis suppeditaturum speretis, atq; ita uenrtis duntaxat caußa me sectamini. Hortor igitur uos, ut nõ operemini & satagatis pro cibo corporis, qui perit, sed qui manet in uitam æternam, perpetuò satians. Hunc dare uobis filius hominis mauult, quã illum corporis. Signauit enim Deus hunc ex omnibus mortalibus selectum, atq; spiritu ita unxit, atq; in hoc ipsum constituit, ut hoc cibo homines pasceret. Quia ergo Dominus hortatus fuerat illos homines, ut cibum operarentur, id est, quærerent, qui in uitam æternam manet, facile intellexerunt eum de cibo spirituali locutum. Eum autem putabant operibus suis comparandum, rogabant igitur quid nam facerent, ut operarentur opera Dei, quæ Deo scilicet probarẽtur, et cibũ illũ emererentur. Communis enim omniũ sæculorum error est, quod homines suis operibus sibi parandã salutẽ putant. Respondit ergo illis Christus. Hoc est opus Dei, quo solo Deo probari, & cibũ uitæ nanciſci poteritis, ut credatis in eũ quẽ ille misit, eum magistrum & saluatorem uestrum agnoscatis, cui in omnibus auscultetis, sicut Moscheh olim populus

Operamini cibum.

Hũc signauit Deus.

Hoc opus Dei.

pulus credebat & auſcultabat, non dubitans, Dei illum uerba & præcepta proponere. Illi intelligentes quod poſceret ſibi credi, & ut magiſtrum in omnibus audiri, & rati hoc indignum ipſo eſſe, ut qui nondum ea ſigna feciſſet, ut talis haberetur, dicebant ei: Quod ſignum facis tu, quid ita præclarum operaris, ut uidentes tibi adeſſe Deũ, omnibus uerbis tuis fidem habeamus? Semel pauiſti noſtrũ quinque millia, è quinq; panibus & duobus piſcibus A Moſcheh autem patrum noſtrorum circiter ſexies centena millia, pane de cælo depluto, quem ideo ſcriptura cæli & angelorum panem uocat, aliti ſunt totis quadraginta annis. Tale nihil adhuc tu deſignaſti, preſtat igitur nos Moſcheh, quàm tuos diſcipulos eſſe, & à uerbis illius, quàm tuis pendere. Reſpondit IESVS, & cum ſolita adſeueratione, ut in re graui, atque probe animaduertenda: Amen amen inquit dico uobis, Moſcheh non dedit uobis panem è cælo, hoc eſt, ſpiritualem & uiuificum, qui cæleſtis dici poßit, ſed pater meus is dat panem è cælo uobis, & uerum panem, uereque cælestem, quo nimirum paſti, cæleſtem et beatam uitam uiuunt in æternum. Nam panis DEI eſt & dici meretur, qui deſcendit de cælo, qui è diuinitate prodit, qui uere Deus eſt, eoque dat uitam mundo, hoc eſt, omnibus hominibus, quod utique ſolius DEI eſt. Man certe hoc non potuit, ſicut nec ulla alia creatura. Illi cum magnifica hæc de uere cæleſti pane audiſſent, neque crederent DOMINVM

Quod ſignũ facis.

Qui uere cæleſtis panis.

talem

talem poße dare, ut muliercula illa Samaritis uiuam aquam, ita iſti panem hunc uere cæleſtem, inſultando Domino, petebant, dicentes: Domine ſemper da nobis panem hunc, qui nos æternum alat & uiuificet. Dominus autem qui ſciebat in hac turba quoq; electos eße, qui cum fructu ſe audirent, tum & alijs, quo inexcuſabiles redderentur, Euangelion aperte prædicandum, indignitate illorum, & non minus ſtulta, quam ingrata temeritate atq; petulantia minime abſterritus, cœpit eis aperte dicere, et quis hic panis uere cæleſtis eßet, & quo pacto eius poßẽt fieri compotes. Ego inquit ſum ille panis, uitam ueram ſuppeditans, & me edit ut nũquam eſuriat, qui ad me uenerit, qui mihi ſeſe fide certa dediderit, & nunquã ſitiet, nihil unquam bonorum deſiderabit, qui in me crediderit, ſaluatorem ſuum agnoſcens. Sed & alias dixi uobis, uidiſtis me, & ut filium Dei, nihil quod culpare poſſetis, imò nihil quod non diuinum ſit, in me animaduertiſtis, adhuc tamen non creditis mihi. Huius ſi uultis ſcire cauſſam, dicam uobis: Pater non dedit uos mihi, nõ deſtinauit in hoc, ut per me ſalutẽ perciperetis, hoc eſt, uere cæleſti pane frueremini ad æternam uitam, ideo mihi non creditis, & quanquam uiſis tot inauditis miraculis, uenire tamen ad me, id eſt, ſeruatorem ueſtrum me agnoſcere, dedignamini. Etenim omne, quod mihi dat pater, quod ad hoc à ſe electum, ſpiritu ſuo mihi adducit, ueniet certo ad me, et ego neminem qui ad me uenerit, redemptoremq; ſuum agnouerit, eijcio foras, non poßum huiuſmodi negligere. Nam

Ego ſum panis.

in hoc è cælo descendi, hoc est, hominem assumpsi, ut non meam hominis, quæ alia sit quam patris, sed tantum patris, qui me misit, quæ & mea est, uoluntatem perficiam. Ea uero est, ut quicunq; filiũ uiderit & recte considerarit atq; cognouerit, indeq; et crediderit, æternam uitam habeat, & ego illum mea uirtute ita seruem, in hac & post hanc uitam, ut in nouissimo die illum restituam, omni bono perfectum, ac plane beatum.

ANNOTAT. Quæritis me non quod uideritis signa. Indubie in hac hominum turba, ut semper fieri solet, fuerunt boni & mali, fuerunt quos desiderium Iesu, ut prophetæ, & diuinæ uoluntatis preconis, post eum traheret, fuerunt qui ob signa sequebantur, ut supra Euangelista Sect. 1. testatus est, quæ super ægrotos faciebat, magis attracti cum curiositate, tum carnis utilitate, quam quod digne uenerarentur & colerent Dominum. Fuerunt denique quos solus uenter impellebat ad sequendum Christũ, qui semel satiati ab eo, sine comeatu, idem & postea fore sperabant. Vnde exemplum Moscheh postea Domino obiecerunt, qui perpetuos quadraginta annos, populum ingentem in deserto, absq; omni eorum labore pauerat. Horum uerisimile est, plurimos in hac hominum turba fuisse, ideo potiss. ad illos sermonem uertit, aq; cibo, quem ipsi quærebant, anagogen fecit, ad cibum cælestem, seipsum scilicet fide receptum, & ut seruatorem agnitum.

Varij Dominum secuti sunt & uarijs de causis.

Operamini cibum, id est, quærite, date operam, ut alio cibo pascamini.

Quem

Quem filius hominis. Vt filius hominis, id est, ut homo, Christus mediator noster est 1. Timoth. 1. qui omnia nobis cum meruit, tum præstat, cui pater omne iuditium, id est, omnium gubernationem & regnum dedit, supra 5. Signauit eum pater, hoc est, spiritu sancto, præ omnibus participibus donauit & unxit, ut esset omnium saluator & Dominus, etiam Angelorum. Hic est qui solus patrem nouit, & noße donat, misso paracleto, doctore omnis ueri in corda suorũ. Hæc omnia & pater facit, diuinæ enim hæc uirtutis sunt, quia autem patri iusum est, per filium hæc facere, per quem omnia quoq; condidit, & filium quidem hominem factum, per quem instaurare uult omnia. Ephes. 1. recte dixit hic, quem cibum dabit uobis filius hominis. Reliqua supra primo 3. & 5. capitibus.

Vt operemur opera Dei. Sic solet caro semper quærere, quo se ipsam saluet, id est, sibi ipsi Deus sit.

Hoc est opus Dei. Mimesis est, quia enim illi de operibus rogarunt, & nihil operum id posset præstare, quod quærebant, imitatus eos, opus uocauit fidem, quæ tamen non est opus, quod nos quidem operamur, sed est certa de bonitate Dei persuasio, confidens q; salutis ab ipso expectatio, quam efficit in animis electorum, afflatus spiritus sancti, qui paulo infra tractus patris uocatur, item doctrina Dei, alibi illuminatio. Istam ergo animi persuasionem & expectationem, hunc sensum & fiduciam bonitatis diuinæ, opus Dei uocat, id est, diuinũ, uere sanctum, quodq; Deo probatur, quo demum salui & filij Dei euadimus.

Quid fides & cur opus Dei.

Hæc

Hac enim noua mente Dei, filij Dei uere sumus, ut cognoscentes Deum, ita & amantes, atq; in omnibus ad eius uoluntatem, propẽdentes. Hinc ea æternum pasci nos & uiuere dicimur, imò ut supra 5. diximus, ipsa æterna uita est, licet inchoata, nondum perfecta.

Quod igitur tu signum facis. Satis aperet hos non fuisse ex illis, qui pauloante uiso miraculo panum, dixerant. Hic est uere propheta ille, qui uenturus est in mundum, uolebantq; hinc eum regem constituere. Nam prophetam illum Messiam, sciebant promissum populo, ut rex eius esset. Neq; intelligebant enim in spiritu eum regnaturum.

Vt uideamus & credamus tibi, intellexerunt credere pro eo, quod est sese penitus dedere, & ab eo pendere, cui credis. Sic & Moscheh populus crediderat. Hinc ergo manifestum est, hos nequaquam fuisse illos, qui Dominum uoluerant regem constituere.

Patres nostri. Hinc apparet quid isti quæsierint, utiq; ociosè cum Domino uagari, & ab ipso sine labore pasci, uti populus olim in deserto quadraginta annis alitus fuit per Man.

Quemadmodum scriptum: Psalmo scilicet 78. Dicitur uero illic man panis cælorum & nubium, alij legunt angelorum, quia de cælo, id est, nubibus, opera angelorum depluebat.

Non Moses dedit uobis panem è cælo, id est, man quod dedit non fuit uere cælestis, id est, diuinus panis, ad æternam uitam

nam uitam satians. Cælum siquidem nunc pro nubibus, & superioribus orbibus accipitur, nunc autem pro secreto diuinitatis, ut supra 3. Sect. 2. Nemo ascendit in cælũ. Inde panem è cælo uerum, id est, uere cælestem seipsum dixit. E cælo enim est quia Deus est, panis est, quia solus suo spiritu, suiq; & patris cognitione, satiat ad uitam, id est, æternum dat uiuere, & beate.

Et dat uitam mundo, id est, omnibus electis, ubicunq; gentium agant. Solet enim mundus sæpe accipi pro promiscua hominum uniuersitate, aliquando autem tantum pro ijs, qui nondum renati sunt & facti cælestes sic est illud. Mundus me odit. Item: Non rogo pro mundo. Secus est, quod supra dixit. Sic dilexit Deus mundum, ut filium suum dederit &c. Mundus.

Qui uenit ad me', hac locutione et supra 5. pro eo usus est, quod est ipsum ut seruatorem recipere, & se illi consecrare totum. Cui hoc facere fuerit datum, is non esuriet, id est, nihil bonorum desiderabit. Idem iam dicit per aliam allegoriam, qui credit in me non sitiet. Credere siquidem in Christum, est ad eum uenire, & saluatorem agnoscere, non sitire uero est, nihil desiderare boni, sed per omnia beatum esse, quod in ijs, qui se Christo dediderunt, fide hic incipit, perficitur autem, ubi corpusculum hoc, in die nouiß. restitutum uirtute Christi, imaginem ipsius qui cælestis Adam est, gestabit. Venire ad Iesum.

Sed dixi uobis, quod uidistis me. Vel hoc quod supra 5. ad eos dixit, scripturæ testantur de me, & non uultis

uenire

uenire ad me, ut uitam habeatis, significauit hic, uel certe quod aliâs eis dixerit, neq; est ab Euangelista memoratum. Aut certe hoc notauit, quod ad eos paulo ante dixerat. Quæritis me, non quia uidistis signa. Ex signis siquidem uiderant quis esset, scilicet uere filius Dei, adhuc tamen non credebant illi, quia nõ erant ei à patre donati.

Non credunt quia donati.

Omne quod dat mihi pater. Nota quod uerum dixerit Paulus, quos prædestinauit, eos & uocauit, & quos uocauit, hos & iustificauit, quos uero iustificauit, hos et glorificauit. Rom. 8. Cæterum cum unus sit seruator Christus, ipsi dari oportet, quicunq; ordinati in uitam sunt.

Venientem ad me non eijcio foras. Id est, non abijcio, non negligo mihi credentem. Igitur æternum salui sunt, quibus semel datum est, ad Christum uenire. Vbi enim pater eiusmodi filio donat saluandos, & filius uoluntatem patris perficit, neq; aliter potest, & nemo deniq; de manu filij quenquam rapere potest, ut infra 10. testatur, necesse est, ut æternum apud ipsum maneant, & saluentur, quicunq; semel ad ipsum uenerint.

Vt non faciam uoluntatem meam. Iterum imitatio est, re enim ipsa non habet filius suam uoluntatem, quæ nõ sit eadem & patris. Vnum sunt, & idem uolunt. Voluntatem autem pro beneplacito, & eo quod uolunt, Euangelista accipit.

Sed resuscitem illa. Quia in nouissimo demum die & fine sæculi nostri consummatio expectatur, recte de ultima resuscitatione hoc dictum Domini intelligitur. Sic enim

enim habet in se responsionem, ad eiusmodi cogitationẽ. Promittis ò IESV uitam æternam in te credentibus, illi autem nihilominus moriuntur. Nam licet moriantur corpore uel potius dormiant, etiam ipsi credẽtes, quia tamen signati sunt spiritu sancto, in diem redemptionis, & nouissimæ resuscitationis, spe salui sunt & saturi, contenti qualicunq; gustu uitæ cælestis, qui simul eis interim contingit, donec corpore et animo plene innouati, plene item regnum Dei in hæreditatem percipiant.

Vt omnis qui uidet filium ὁ θεωρῶν habetur, quod nõ simpliciter uidere, sed cum consideratione & quadammodo peruidere significat, unde pro plane cognoscere, accipitur. Qui enim plane cognoscit filium, non potest non in eum credere. Agnoscit enim unicum esse seruatorem, Deum, uitam & omnia. Impij uident eũ & cognoscunt, sed non peruident, & non plane cognoscunt, ideo inexcusabiles quidem redduntur, sed non possunt Domino uel credere, uel eum amare.

Qui uidet filium.

Quomodo credentes in Christum uitam æternam habeant, & supra fol. ss. quædam dixi.

OBSERVAT. In eo, quod iterum frustanea interrogantibus Dominus nihil respondit, sed ad salubria subduxit, discamus & nos omnia posthabere, quo proxime Christum docere possimus.

Quod uero tam uarijs, ac etiam indignis hominibus Christus, adeo sancte & clare de se adnunciauit, moneat ne ita ut catabaptistæ promiscuum populum docere quæ Dei sunt, auersemur. Reliqua

Reliqua commendant nobis iterum, Christi incompárabilem dignitatem, fidei præstantiam & electionis Dei immutabilem uirtutem. Nemo siquidem Christo unquam credet, nõ electus, nõ à patre filio donatus. Sic nemo quoq; illi donatus, non ueniet ad eum, cumq; uenerit, nunquam poterit ab ipso auelli. Fortior nanq; is est, qui in filijs Dei agit, quam qui in mundo. Non glorificantur nisi iustificati, non iustificantur, nisi uocati, non uocantur nisi prædestinati. Hi autem cum à Deo, qui mutari nequit prædestinati ad uitam sint & æternam, impium est, cogitare uitam horum, quam semel fide perceperunt, non esse æternam, & eos perire posse, contra decretum Dei. Hæc cum nullis persuaderi possint, nisi electis, id est, spiritu Dei donatis, ac ita ex Deo renatis, his autem tam absit, ut ignauiam prædicata pariant, ut nihil æque illos ad amorem Dei, atq; inde ad omne opus bonum queat excitare, satis constat illos nescire quid dicant, qui negant ista palam prædicanda. Vtiq; quo maiorem quisq; Dei erga se amorem agnoscit, eo ardentius illum redamabit. Reprobi si istis offendantur mirũ non est, illi nulla re nõ offendũtur. Sacra sanctis & electis scripta sunt, ijs debent lucide & clare impertiri, quicquid inde ueneni, more araneorum, reprobi hauriant.

Nihil utilius quam prædicare credentib. impossibile esse, ut unquã excidant.

Sect. 4.

Murmurabant ergo Iudæi de illo.

PARAPHR. Signum petierant, quibus probaret sibi credendum, quemadmodum & Moscheb multis adeo signis

signis & portentis à Deo missum se, cui populus credere deberet, probasset. Dominus autem non solum nullũ eis signum dedit, præter ea quæ uiderunt, abunde enim illa satis erant, sed præterea se Moscheh infinito præstantiorem affirmauit, & Deum esse pronunciauit, quia iterum atq; iterum de se prædicauit, quod in se credentibus uitam det æternam, seruet à morte, atq; in die nouissimo restituat in uitam beatam, per omnia consumatos, hoc est, sit panis, qui è cælo descendit. Hæc cũ in Domino nostro illi minime agnoscerent, cõsiderantes scilicet carnis in eo humilitatem, murmur inter illos ortum fuit, alijs electis scilicet hæc cum fide suscipientibus, eumq; à calumnijs aliorũ defendentibus, alijs uero reprobis nimirum, cum ipsius tum parentum eius, quos putabant, obscuritatem atq; ut litatem obiectantibus. Hi dicebant: Quid iste audet se dicere panem, qui è cælo descenderit, qui è diuinitate nobis prodeat, ad uitam æternam sibi addictos satiaturus? Quã si uero ignoremus, qui sit, nempe IESVS ille faber, Ioseph fabri, & Mariæ filius. Iste igitur persuadebit se prodisse è cælo, quem dedit nobis abiectum oppidulum Nazareth? Respondit IESVS & dixit: Ne murmuretis de me inter uos, obiá quod dixi è cælo me descendisse. Vos quibus datum est huic meo uero testimonio fidem habere, in ea persistite, quod alij illud impugnant inde est, quod aliter nõ possunt, uos ergo quibus illud absurdũ uidetur, sinite interim me absurda locutum esse, uobis scio ueritatem hanc persuaderi non posse. Nemo enim potest uenire ad me,

Vnde murmur.

meq; ſaluatorem ſuum recipere, niſi quem attraxerit pater, ſuo illi ſpiritu indicans, qui ſim, & quid dem meis. Huiuſmodi ſartos tectos in die nouiſſima patri ſiſtam. Etenim in prophetis legimus, erunt omnes diſcipuli DEI, Deus omnes docebit. Proinde qui à patre audiuerit, & ita audiuerit ut pdiſcat, is uenit ad me, quia ita à patre attrahitur. Non quod patrem quis uidere, & illum in ſeipſo cognoſcere poſſit. Nemo enim unquã illum uidit, niſi qui eſt à patre conſors diuinitatis, ego ipſe qui à patre uenī hũc mundũ, id eſt, Deus homo factus ſum. Spiritu Dei hæc doctrina patris, & attractio perficitur, quo dum uos reprobi uacui eſtis, nihil mirum, quod uos offendunt, quæ de me uera prædico. Vera ſunt & amen, utcunque uobis uideantur inſana. Iterum ergo ea uobis cum aſſeueratione affirmo & amen atq; amen dico uobis, qui credit in me iam habet uitam æternam. Ego ſum enim panis uitæ, ueram edentibus me, id eſt, mihi credentibus, uitam adferens & ſeruans. Patres ueſtri in deſerto commederunt Manna, fateor, ſed mortui ſunt, non igitur erat ille uerus è cælo panis & uiuificans. Iſte autem de quo ego loquor, qui ipſe ſum panis, uere è cælo deſcendit, ut homines ex eo edant, hoc eſt, in me credant, & non moriantur. Iure igitur optimo dixi, quod panis ſim ille uiuens & uiuificans, qui è cælo deſcendit. Si quis edat ex hoc pane, uiuet in æternum. Vt uero exponam, & quo pacto in æternam uitam ego alam mihi credentes, quaq; ratione edendus ſim, accipite ſi poteſtis. Panem quem ego dabo, quo ego reficiam

Patres Manna comederunt.

reficiam eos, quos pater dederit, attraxerit & docuerit, caro mea eſt, hoc meum corpus, qnod impendam pro uita mundi imolandum. Satiſfieri enim diuinæ iuſtitiæ oportet, idq; morte mea. Hoc qui crediderit, & per me crucifixum ſalutem ſperauerit, is me uno & uiuifico pane paſcetur, & uiuet in æternum.

ANNOTAT. Murmurabant ergo Iudæi de illo, id eſt, Domino, eo quod dixiſſet ego ſum panis qui de cælo deſcendi. Hinc quod Euangeliſta de Domino non contra Dominum murmuratos ſcribit, mihi fit ueriſimile fuiſſe inter illos, qui à partibus Domini ſteterint, ij præſertim qui ex ſigno panum, Meſſiam agnouerãt, regemq; uoluerant conſtituere. Sic ſane & infra ſcribit quod pugnauerint inter ſe, alijs ergo alios aduerſarios fuiſſe oportet, hoc qua alia ratione eſſet factum, quam alijs pro Domino, alijs contra eum loquentibus? Hoc primum fiebat ſub miſſus, inde murmur illud Euangeliſta uocat. Poſtea incaluit contentio, eam uocauit certamen.

Quæ cauſa murmuris.

Niſi pater qui miſit me traxerit eum. Quid trahere ſit, ipſe mox exponit, cum ait: Omnis ergo qui audiuit à patre & didicit, uenit ad me. Audire enim à patre, & ita audire, ut perdiſcas, eſt trahi à patre. Eiuſmodi enim uere agnoſcunt quid CHRISTVS ſit, nempe uita, ſalus, & omne bonum, igitur non poſſunt non uenire ad eum. Vnde haud inepta ſimilitudine Auguſtinus uſus eſt, dum ait oſtendis oui uiridem ramum, & trahis eam. Neq; non quadrat illud poëtæ quod adducit. Trahit unumquenq;

Qualis patris tractus.

unumquenq; sua uoluptas. Haud enim potest animus non persequi, qd' sibi salutare et certo iudicauit, qui ergo possit contari ad CHRISTVM uenire, eiq; sese totum tradere, qui doctus à patre certo didicit illum, panem esse uitæ, & suis donare uitam æternam? Vnde quicunq; ad ipsum non ueniunt, ideo non ueniunt, quod uel à patre nihil de eo audierunt, id est, spiritu Dei nihil de eo docti sunt, aut non sunt docti, ita ut perdidicerint. Discunt enim aliquantulum diuina & impij, sed non perdiscunt, non plane illa agnoscunt. De quo iam paulo supra quædam dixi, fusius uero fol. 17.

Est scriptum in prophetis. E Iesaiah 54. adductum hoc quidam putant, ubi Ierusalem, id est, Ecclesiæ sanctorum promissum legimus, fore, ut omnes filij eius sint docti DOMINI, id est, discipuli Domini, quos ipse suo spiritu erudiat. Et si uerba perpendamus, non facile inuenias locum, unde rectius dicas hanc sententiam mutuatam, at si sensum solum consideres, uix aliquis prophetarum est, qui non multis hanc patris doctrinam, CHRISTI tempore potissimum sese exertueram prædixerit. Nam licet hac & ueteres docti sint, multo tamen cumulatior & plenior impertiri cœpit electis à glorificato CHRISTO. Certe Iirmeiah cum prædixit fore, ut scriberet DEVS legem suam in cordibus suorum 31. idem testatus est. Sic & Iechezkel ac alij, quoties de amplissimo dono spiritus uaticinati sunt.

Non

Non quod patrem uiderit quisquam, hoc ἀναπόδοτον uidetur, id est, oratio altera sui parte mutila. Nam negauit sic doceri à patre homines, quod patrem quisquã uiderit, non reddidit autem quo ergo pacto ab eo doceantur, quod reddendum fuisse uidetur. Asoluitur igitur hæc sententia sic. Omnes à patre doceantur oportet, sed id non ita fiet, quod quisquam uiderit unquam, aut uisurus sit patrem, in hac quidem carne, sed per spiritum eius id fiet, eo enim quos afflauerit, ij profunda Dei scrutabuntur 1. Cor. 2. Huc pertinet & illud Matth. 1. nemo nouit filium nisi pater &c. & illud supra primo, Deum nemo uidit unquam, unigenitus qui est in sinu eius, enarrauit nobis.

Ego sum panis ille uiuens. Quia hoc ad alteram partem propositæ antitheseos pertinet, huius scilicet, patres manducauerunt & mortui sunt, qui me edit non moritur, non fuit igitur Man panis è cælo & uitæ, ego aũt ille sum, apparet satis inde se uiuentem panem dixisse, quod uiuificet Ergo hoc ζῶν, id est, uiuens, idem pollet quod ζωοποιῶν, id est, uiuificãs, unde supra Sect. 3. ubi eandẽ ant. θ. sin posuit, id quod hic panẽ uiuentem, dixit panẽ, qui dat uitam mundo. Sic & supra quarto, aquam uitæ, quam dare se Dominus mulierculæ Samaritidi promittebat, uocauit ὕδωρ ζῶν, aquam uiuentem, & significare tamen indubie uoluit aquam uiuificantem. Panis uiuens.

Et panis quem ego dabo. Dixit nunc sæpe Christus

per translationem se ipsum panem cæleſtem, qui ſolus ſatiat mentes hominum, dum eum ſeruatorem agnoſcunt.

Panis quẽ ego dabo.

At quia non potuit ſalus ſanctorum perfici, niſi ipſe carnem ſuam pro nobis daret in mortem, ſicut ergo per mortem ſalutem noſtram perfecit, uereq; redemptor noſter factus eſt, non poteſt fides CHRISTI conſtare, niſi credamus in crucifixum, unde Paulus teſtatus eſt, ſe noluiſſe uideri aliud ſcire, quam IESVM & eum crucifixum. In cruce ſiquidem eius, eſt peccatorum noſtrum expiatio, eſt iuſtitiæ Dei ſatiſfactio, eſt patris placatio, eſt ianua immortalitatis. Hinc ut ſignificaret, quomodo eſſet noſtram ſalutẽ perfecturus, & cuiuſmodi fide eam à nobis edi oporteat carnem ſuam, illũ uocat panem, quẽ daturus ſit ſuis. Omnibus ſiquidẽ quib. unquã ſaluatorem ſeſe exhibuit, illis per ſpiritum perſuaſit, ut in ſe crucifixum ſperarent, certiq; eſſent, carnis ſuæ imolatione ſalutem ipſorum partam. Sic dat ergo eis ſuam carnem in cibum, dum fide in carnis ſuæ imolationem, de æterna ſalute reddit certos, & ipſi ad æternam uitam illa reficiuntur, dum ea freti, non dubitant ſe propitium habere Deum & patrem, atq; hinc fore, ut olim omnibus peccatis puri, & uera iuſtitia pleni, æternam & beatam uitam cũ ipſo & patre uiuant.

Bis dabo dixit.

Bis dixit δώσω, id eſt, dabo. Panis inquit quem ego dabo, caro mea eſt, quam dabo pro mundi uita. Primo ergo (dabo) ſignificat CHRISTVS ſe daturum carnem ſuam

nem ſuam electis cibum uitæ æternæ, id facit cum per ſpiritum, docet ſe nos imolatione carnis ſuæ redemiſſe. Ipſe nanq; panis uitæ & uiuificans eſt, qui æternum ſatiat, ubi editur, id eſt, cognoſcitur. Iam non poteſt ſaluator agnoſci, niſi agnoſcatur pro nobis ſatiſfeciſſe. Ipſe ergo panis, dat nobis panem, id eſt, ipſe reficiẽs & ſatians mentem in æternam uitam, hoc nos ordine reficit & ſatiat, quod primum dat ſuam carnem, id eſt, donat fidem, qua ſcimus pro nobis morte eius ſatiſfactum, pro noſtris peccatis carnem eius imolatam, deinde dat nobis ſe ſecundum gloriam reſurrectionis, ut certi ſcimus, eum regnare in hoc ut nos plane iuſtificet, & immortales ac beatos reddat. Sic paſcimur eo homine, & per eum hominem, qui pro peccatis noſtris mortuus eſt, & reſurrexit propter iuſtitiam noſtram. Rom. 4. Hinc eo perducimur, ut & ipſo Deo, hoc eſt, diuinitate eius, qua idem eſt cum patre paſcamur, hoc eſt, læti in omnib. & alacres, freti bonitate Dei, agamus. Hæc autem perfruitio deitatis, hic nondum plena eſt, tum uero plena erit, quando extincto per ſpiritum CHRISTI, omni in nobis peccato, erit in nobis Deus omnia 1. Cor. 15. Altero autem (dabo) ſignificat mortem ſuam, in quam cum corpus ſuum dedit, uitam mundo reſtituit. Quod ergo Dominus ait: Panis quẽ ego dabo &c. perinde eſt, ac ſi dixiſſet, refectio qua reficiam meos, id quo fidere mihi, ad uitam æternam faciam, primũ caro mea eſt corpus hoc, quod dabo pro mundi uita, in mortem crucis.

Quo ordine paſcamur Chriſto.

Cur non dixit quẽ do.

Neminem uero offendat, quod dixit, panis quem dabo, & non do. Id enim ideo fecit, quia fides in mortem eius, à resurrectione eius, primum reuelari debuit. Dare hunc cibum tum cœpit, cum spiritum paracletum dedit, qui docuit, quemadmodum necesse fuerit, ipsum mori pro nobis, ut uita Dei donaremur. Et anteà quidem ut sancti hoc cibo pasti sunt, ita & dedit illis eum, quotquot ab initio orbis fuere electi, sed non ita, ut post glorificationem, reuelate. Expectarunt omnes miram quandam sui redemptionem, eamq; morte perficiendam, id tot sacrificia haud obscure indicabant, adhuc tamen certa redemptionis huius ratio sanctis tecta extitit, exceptis sane pauciß.

Hæc paulo uerbosius disserui propter quosdam, qui hinc probare conantur, edi carnem Christi corporaliter in cœna. Aiunt enim hic Dominũ id promisisse, cũ dixit, panis quem ego dabo, iã nefas esse uel cogitare q, nõ præstitisset, quæ promiserit. Istos oportet autem ualde cæcutire, qui non uident hic panem metaphoricôs à Domino, cibum uocari & refectionem animæ, quo æternum uiuat. Vnde semetipsum toties dixit panem qui de cælo descenderit, hoc est, Deus sit, quod alioqui neq; ipse ut homo, sicut neq; ulla alia creatura, mentem nostram satiare posset. Iam quot bone DEVS, edunt panem Eucharistiæ, qui nihil prorsus CHRISTI, in omni uita sua sentiunt, & in æternum uitæ huius, de qua hic CHRISTVS loquitur, nihil gustãt? Toties in hoc cum Iudæis sermone, dixit se ipsum panem uitæ, qui de

qui de cælo descenderit, & exposuit eum quod edere bis sit credere in eum, & cum ait: Qui uenit ad me non esuriet, & qui credit in me non sitiet. Sectio. 3. & cum ait; Amen amen dico uobis, quod qui credit in me habet uitam æternam. Ad hæc quarto dixit, illum æternum uicturum qui edat ipsum, ut uel puero liqueat credere in eũ, & edere eum, idem esse, nisi quod hoc allegoricôs, illud simpliciter dicitur. Et isti audent hoc, panis quem ego dabo, exponere de pane Eucharistiæ, quem promiserit se daturum in cœna. Mirum autem est Lutheranos quosdam, hoc commento uti, cum Lutherus & ingenue fateatur ne uerbum quidem in hoc capite de pane cœnæ dictum. Sequitur præterea: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis uitam in uobis. Secundum istos igitur non uiuent, qui non ederint panem, & biberint calicem Eucharistiæ. Et toties tamen dicit Christus, qui credit in me habet uitam æternam. Ergo falsum promisisse oportebit Christum, ut isti commentum suum tueantur de pane Eucharistiæ? Credere enim in Christum satis est ad uitam æternam, uel secus, si satis, qui audent isti dicere panem Eucharistiæ hic promissum, ubi agitur de pane, quem qui semel ederit, esuriet nunquam. Si non satis, iam falsa est toties repetita promißio. Qui credit in me habet uitam æternam. Deniq; iuxta horum sententiã, qui semel panem ederit Eucharistiæ, cum in illo uere caro Christi sit, uereq; edatur, is in æternum uiuet, quisquis sit, & quicquid credat. Sic enim habẽt uerba Christi, qui

Cõtra eos qui in his uerbis dicunt promissum panẽ Eucharistiæ.

AB.

edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet uitam æternam. Si æterna est quam habet uitam, finẽ ignorabit. Vide quid faciat philonicia.

OBSERVAT. Quod Dominus de electione & uocatione patris sermonem repetijt, debet nobis occasio esse, ut ista nobis diligentißime expendantur. Accendetur hinc in nobis, & amor Dei, dum consideramus, quanta sit nos gratia dignatus, qui nos è tam multis mortalibus elegit, ut filium suum nobis reuelaret in uitam æternam. Deinde monebimur pariter, ut erga consortes huius gratiæ, etiamsi uiderimus eos parum uocationi suæ respondere, ampliorem dilectionem exhibeamus. Denique minus consternabit & furor impiorum, cum perpendimus, quod aliter nequeunt, reiecti nimirum à Domino. Reliqua monent, ut in fide Christi sita omnia agnoscamus.

Sect. 5.

Decertabant igitur inter se Iudæi.

Quo magis Dominus, quid mundo aduenisset, quidq; expectandum suis à se esset, explicabat, hoc magis qui audiebant reprobi, contra eum mouebantur. Cum autem adessent & pij, qui à partibus starent Domini, certamen uerborum inter eos oriebatur, cum antea tantum murmur quoddã, sedatior scilicet contentio fuisset. Dicebant igitur, illi reprobi: Iste filius Ioseph, quem nobis Nazareth uile oppidulum dedit, paulò ante dixit è cælo se uenire, nunc quasi hoc non satis insane dictum esset, pollicetur nobis daturum & carnem suam ad manducandum. Quid audimus

audimus hominem loquentem impoßibilia? Quomodo poterit nobis iste dare carnem humanã ad edendum? Christus autem, qui allegoriam suam satis aperuerat, uel eo, quod dixerat, credentem in se habere uitam æternam, cũ uideret istos uidentes nolle uidere, atq; offendi eo, quo minime oportebat, intendit allegoriam, fortiusq; affirmat quod dixerat, & illi insanum arbitrabantur. Amen amen inquit dico uobis, si non comederitis carnem filij hominis, qui uobis adeo uilis est, & biberitis sanguinem eius, non habetis uitam in uobis. Nam qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, quisquis uobis uideor, is demum habet uitam æternam, & eum resuscitabo ego in die nouißimo. Ne uideatur adeo absurdum uobis quod dico. Caro mea uere est cibus, & sanguis meus uere est potus, quia his reficiuntur mei, ut nunquam esuriant, ita sustentatur illis eorum fidutia, ut nullius boni desiderio unquam laborent. Etenim qui edit meam carnem & bibit meum sanguinem, hoc est, uera fide agnoscit, horum sacrificio se redemptum, & cum DEO reconciliatum, in me manet, pendens totus à me, & ego in illo, totum siquidem meo spiritu eum implens. Vnde sicut uiuens pater, me misit, hoc est, hominem fieri iußit, qui Deus sum, ita uiuo etiam homo æterna uita, propter patrem, propter duitatem inquam, quam eandem habeo cum patre. Hinc uero uiuet propter me, & is qui edit me, est enim in me & ego in illo, unum facti sumus, sicut ego homo & pater unum sumus, & ego in patre sum & ille in me. Istiusmodi est panis ille

Caro mea uere cibus.

nis ille qui de cælo descendit, sic fide editur, sic pascit, ut æternum uiuat, qui ex eo comederit. Alius est, quàm Manna quod iactatis, quod patres comederunt, & mortui sunt, qui enim hunc panem edit uiuet in æternum. Hæc Dominus in Synagoga oppidi Capernaum docens, disseruit, publicum enim ille nunquam abhorruit, et sic operæ preciũ fuit, ut cum doceret summe salutaria, illic ea doceret, ubi à plurimis, non tam audiri, quàm etiam iudicari illa possent.

Nisi ederitis carnem filij hominis. Ita se hic nominauit, ut fortius falsum illorum de se iuditiũ ferret. Quod enim homo, & humilis apparebat, insanum putabant, sibi eum tantũ sumere. Agnouit ergo se filium hominis, uilem & abiectum hominem, sed ut simul indicaret, quid in se, contempto adeo & neglecto homine latitet, negauit uitam ueram habere, hoc est, uitæ æternæ in totum expertem esse & fore, qui non ederit carnem filij hominis, & biberit eius sanguinem, hoc est, qui non crediderit, per illorum sacrificium sese redemptum, & filium Dei atque hæredem constitutum. Proposuit siquidem Deus Christũ Iesum propitiatorium, per fidem in sanguine eius, in ostensionem iustitiæ eius, ut scilicet credentes eius sanguine nostra peccata expiata esse, & Deum nobis propitium factũ, ita experiremur, donati ueræ iustitiæ spiritu, qui tandem omni expurgatos peccato, nos plene iustos redderet. De hac per mortem Christi facta redemptione, & fide in illam, qua sola æternæ uitæ participes reddimur, nulta insigniter

signiter expendenda commemorat passim in Epistolis suis Paulus, tum præcipue Roman. 5.

Edens meam carnem, & bibens meum sanguinem habet uitam æternam, utinam uel hunc locum perpenderẽt, carnalis manducationis Christi assertores. Si enim panis Eucharistiæ, est uere, realiter & corporaliter, corpus Christi, aut est in pane illo, corpus Christi realiter & corporaliter, omnino consequens est, ut qui edit panem Eucharistiæ, quisquis sit, pius uel impius, uere & realiter atq; corporaliter edat corpus Christi bibatq; eius sanguinem, si iam hoc dederint, sequitur huiusmodi æternam habere uitam, & in die nouissimo resuscitandum in beatam immortalitatem, à qua felicitate nemo nescit plurimos, qui Eucharistiæ panem edunt esse alienissimos. Neq; efugient isti, quod dicunt, hic Dominum non de sacramentali, sed ea manducatione sui loqui, quæ per fidem fit. Verum hoc quidem dicunt, sed non est alia carnis Christi, quàm quæ fide fit, manducatio. Ideo sine aliqua adiectione ait: Qui edit meam carnem & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam. Si igitur uere edunt Christi carnem & uere bibunt eius sanguinem, qui edunt panem & bibunt calicem Eucharistiæ, oportebit aut illos habere uitam æternam, aut non edere reipsa Christi carnem, sed symbolum eius. Sed ipsa quoq; uerba cænæ, cum corpus Domini ijs edendum offerunt, pro quibus traditum est, & sanguinem bibendum, pro quorum peccatis abluendis, effusus est, nullam nisi fidei manducationem docent.

Corpus Christi nõ edunt nisi pij.

Discipulis

Discipulis sacer panis & calix offerebatur, quibus cibus carnis, et potus sanguinis Christi, in constitutionem noui & æterni fœderis, hoc est, in remissionem peccatorum, & certam cum DEO patre reconciliationem, traditus est, ij & uere carnem Domini edunt, sanguinemq; bibunt, quia uere credentes ijs sese redemptos, animis reficiuntur ac ita fide confortantur & satiantur, ut nunquam esurituri sint, sed æternam uitam beate uicturi.

Hæc tam potens ueritas est, ut coegerit, scribere quosdam illorũ, & sanè primarios: Os corporis accipere panem & uinum, os fidei accipere corpus & sanguinem. O si sustinerent isti se admonere, si non persuasissent sibi impossibile ut tanquam homines & ipsi halucinentur. Quid quæso os fidei sumit, quæ sunt alimenta, quæ illo percipiuntur? Certe nihil aliud, quàm quod alit in uitam æternam. Id autem Christus ipse est, caro & sanguis eius sunt, agnita & certa fide percepta, ut indubitatum precium redemptionis nostræ. Hæc cibum dicunt interni & spiritualis hominis, & recte dicunt, si iam unquam senserunt interni hominis refectionem, ut sensisse non dubito, nam fratres in Domino illos credo, utcunque ipsi nos, occupati iam à φιλονικίας spiritu, Satanæ dedant, utinam expendant, in quo senserint illam & qualem. Vtique iustus fide sua uiuit, hinc certe solum hic nobis bene est, hinc morti non cedimus, hinc gaudio uero & pace fruimur, hinc sancte & officiose cum proximis uiuimus, quod spiritus Dei nostro testimonium perhibet nos esse DEI filios & hæredes, quod

quod non dubitamus fore olim, ut peccatis omnibus liberati, & iustitia consumata donati in æternum cum Deo beati uiuamus. Hæc uita illa noua sanctorum est, dum ista contigit, nouus homo natus est, & spirituales esse cœpimus. Iam quia de spiritualibus rebus translatis uerbis loqui necessitas ipsa cogit, sicut scriptura hanc fiduciam uitam, ita id quo sustentatur, roboratur, & uiuida atq; operosa redditur, uocat cibum eius & alimoniam.

Fides uitæ iusti, persuasio gratiæ Dei, uitæ huius alimonia.

Agite ergo fratres, explorate uosmetipsos, consulite ipsam fidem uestram, unde ea tamẽ pascatur, quid uires illi sufficiat, quid ad opera ualentem, gnauam, & lubentem reddat, fatebimini nequaquã id aliunde fieri, quàm ab eo quod Dominus noster IESVS, panis qui de cælo descendit, cordibus uestris persuadet, se nunq; uos abiecturum, sed à patre ueniam omnium peccatorum uobis impetraturum, paracletum qui omnia doceat, & in uobis perficiat donaturum, denique in die nouissimo uos resuscitaturum. Horum uero omnium uobis fidem facit, dum certos reddit, quod propter uestra peccata mortuus sit, & cum inimici essetis Deo reconciliarit, eoque multo magis nunc per uitam suam uos saluaturus sit, se enim resurrexisse propter iustificationem nostram. Dispeream si unquam aliunde animi uestri aliti cibatique fuerint, si ex alia unquam re uel fides uestra firmior, uel charitas officiosior reddita sit.

Si iam hæc & nulla alia est animæ refectio, si hæc una est interni hominis alimonia, obsecro fratres date hanc gloriam

gloriam pani uiuifico, Domino & seruatori nostro Iesu Christo, qui è cælo descendit, solusq; dat uitam mundo, ut ab ipso solo, cibum illum & refectionem interni hominis petatis, & nõ à quouis Ecclesiæ ministro, neque à uerbis quæ ille sæpe absq; ulla fide, eoq; non sine blasphemia Dei super panem et uinum protulerit, non deniq; à pane ipso, minister homo est, uerba sonus ab eo æditus, panis opus pistoris, omnia per se nihil nisi opera hominũ. Corpus eisdẽ alitur, quibus compactũ est, ita et internus homo, ut uirtute Christi sola subsistit, igitur & uirtute eius, tantum alatur et perficiatur oportet. Vnde toties non sine Emphasi dixit, ego sum panis uitæ, ego sum panis qui de cælo descendi. Panis quem ego dabo. Pater trahit spiritu suo ad Christum, id est, dat agnoscere Christum, idem spiritus est & Christi, eoq; nos iustificat & saluat, figmentum ipsius sumus.

Solus Christus pascit mentem.

Minister dum Euangelion annunciat, quod pluris & uos facitis, quàm panem Eucharistiæ, quia hic, sine illo esse potest, Domino quidem cooperatur, sed ita ut si separes quod eius est, ab eo, quod Domini, nihil ipsi relinquatur, & iure quidem, cum à se in his rebus nihil possit uel cogitare 2. Corinth. 3. Recitet minister uerba Christi, quemadmodum suis discipulis panẽ porrexit & dixit id esse corpus suum, quid inde percipiet, cui defuerit spiritus Christi? Si is uero illi adfuerit, is continuo cogitabit incomparabile beneficium Dei, qui filium suum pro nobis dedit, considerabit dilectionem Christi, qua corpus suum in mortem

Quid minister efficiat.

mortem pro nobis obtulit, & hinc tum sentiet corpus Christi hoc esse, quod panis, nimirum uerum & salutificum cibum, sed animæ, sed spiritus, sed interni hominis, sicut panis est corporis, id quod & uos fatemini, hoc est, sentiet, suam in Deo fiduciam, cum omni studio ueræ pietatis incrementum sumere. Neque enim aliter fieri potest, dum animus eius fide expendit hoc tantum DOMINI nobis prestitum beneficium, quod morte sua nos redemit in æternam uitam.

Cui iam quæso tribuemus hanc beneficij Christi fidelẽ gratamq; considerationem, cui persuasionem, quod ille non dubitat, & pro se corpus Christi datum? Ministro? At is siue plantet, siue riget nihil est. Verbis ab illo prolatis? At sonus sunt hominis, & præterea nihil, nisi significationem eorum Dominus cordi obtulerit, & spiritu suo persuaserit. Pani? At idẽ opus hominis. Cui ergo tribuemus? Nemini nisi, qui hic dixit: Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi uita. Is est unus saluator noster, omnia salutis nostræ ipsi uni competunt, ipse dat spiritum, docet, pascit, uiuificat, & instaurat, quæcunq; in cælo sunt & in terra. Quid ergo, abijciemus ministrum? reputabimus uerba Domini? mittemus ritum ab ipso institutum? Minime. Ministros qui fideles sunt, & in uerbo diligenter laborant, duplici honore dignabimur, sed sic, ut eos nostros, nos non illorum, sed CHRISTI esse cænæ hagnoscamus, priore Corinth. tertio. Omnia Christi uerba, sic & cænæ, pijs animis audiemus, sed ita ut omne in-

Quomodo externa benda.

S crementum,

crementum, hoc est, fructificam persuasionem, uni Christo acceptam feramus. Religiose quoq; panem Domini edemus, & calicem bibemus, sed ut ipsius in communi memoriam celebremus, ut mortem eius annunciemus donec ueniat, eaq; communi fidei nostræ professione, atq; pro tanto beneficio gratiarũ actione, institutũ ab ipso cum fratribus fœdus innouemus & confirmemus, unum corpus, & unus panis futuri, quotquot de uno pane participamus, nõ autem ut corpus Domini & sanguinem, in pane & uino realiter & corporaliter præsentia, adoremus, multo minus ut edamus & bibamus. Est spiritu suo uiuifico nobiscum usque ad consummationem sæculi, & peculiariter cum in nomine ipsius conuenimus, Matth. ultimo & 18. id satis nobis est. Neque plus nobis promissum esse ulla potest scriptura probari.

Si enim obiecerit quis Hoc est corpus meum, ut mittam quod nusquam nobis est mandatum, ut hæc uerba recitemus super panem, neq; si recitemus promissum, quod pani adferant corpus, dum enim prædicatio Euangelij mandata est, mandata est uiua expositio gratiæ factæ per Christum, non recitatio tantum eorum, quæ dixit CHRISTVS, sed mitto hæc, præsertim cum ipsi in his ad-

Hoc est meũ corpus, tropice accipiũt et aduersarij.

uersarij nostri, licet paulò ante cælum & terram, ruitura uoce & libris per totũ orbem clamauerint, si quis tropum ineße uerbis cænæ diceret, nuper ædito libro, ita nunc scribant. Omnino tamen tropo quodam opus erit, quando re ipsa uideamus, panem non mutari in corpus, nec uinum in sanguinem,

in sanguinem, hæc illi. Fatentur ergo iam ipsi, uerba hæc, Hoc est corpus meum, non esse accipienda simpliciter, non igitur probabunt ex eis, panem realiter eße corpus Christi, multo minus in pane Eucharistiæ esse corpus Christi realiter & corporaliter. Neque enim dixit DOMINVS. In hoc pane est corpus meum, sed porrecto pane dixit, hoc est corpus meum. Iam ergo nobis cesserunt, hanc dudum sacram ipsorum anchorã. Iam ergo est eis ex alijs locis sua probanda synechoche.

Id dum conantur, scribunt esse hunc tropum in scriptura & communi hominum consuetudine familiarißimum, quasi uero allegoria, & metonymia, per quos tropos alij hæc uerba exponũt, non sint item & scripturæ, & communi hominum consuetudini familiarißimi. Circumcisio fœdus dicitur, quod significabat, baptismus dicitur regeneratio, cuius admonet. Decem partes pallij scißi, à propheta pro decem tribubus Iisraelis traduntur Hieroboam. Figura Ierusalem & sanctuarij, in uisione ostensa Iechezkeli, ipsa Ierusalem & sanctuariũ dicuntur. Vtique aliquid ex communi hominum consuetudine, adferam, licet enim id tam ipsorum exemplo, quis nescit in omni lingua tritißimum, ut signa earum rerum nominibus, quas significant, nominemur? Quis non dicit, de statua Cæsaris, hic Cæsar est, de representantibus dignitatem & potestatem regiam, hoc regnum est, & similia infinita.

Confutantur rationes aduersarij.

Sed isti hunc tropum ideo non ferendum aiunt, quod priuet fidem bonis suis. Si enim dicatur panis, corpus Christi significare, sequatur corpus abesse. O fratres si sustineretis colloquium, quàm facile ostenderetur uobis, somnia esse, quæ scribitis. Verbum per hominem prolatum de DEO, nunquid Deum significat, ergo oportebit Deum abesse, & priuabo fidem bonis suis, sic loquens? An non potius quantum in me est, quod sensibus signa adfero rerum spiritualium, eo ipso mentibus illas ipsas spirituales res præsentes statuo? Vester Coriphæus scribit, uerbum plus esse, quàm panem Eucharistiæ. Si ergo panem dedero, quod significet, quo plus uerbum ab homine prolatum non potest, quia plantans & rigans nihil est, omne incrementum Dei est, quid indignum quæso sum de pane locutus? Certe si uerum dicere uoletis, fatebimini, panem uerbo multo imperfectius significare.

Vos facitis ipsum instrumentum & medium, quo uere & præsenter fidei nostræ corpus donatur, & distribuitur, sed nulla id scriptura unquam probabitis. Indigne enim & ad mortem manducat, qui manducat sine fide, quæ nulla esse potest, nisi uere posideat & præsens habeat ante, ut CHRISTVM, ita et corpus eius. Quomodo igitur panis Eucharistiæ uere & præsenter donabit, & distribuet fidei corpus, quod illa ante habet? Memoria huius per panẽ, plenius tamẽ per uerbum, refricari potest, donari ipsum & distribui non potest. Hoc Christi opus est.

Sed age

Sed age uideamus quibus probare hoc suum commentum conentur. Finxerunt sibi, Deum communi lege, dare spiritum sanctum & alia sua dona, non absq; medijs & instrumentis, hæc uero fecerunt, uerbũ externũ, & sacramenta, quæ dicunt uerbi appendices. Pro his adferũt illud Gala. 3. Hoc solum cupio à uobis discere num ex operibus legis, an auditu fidei, spiritum accœperitis? Item. Ex auditu est fides Rom. 10. Paulus autem scripsit Galatis, de uirtute illa patente spiritus, qua loquebantur uarijs linguis, aliaq; mira faciebant, ut super Apostolos spiritus sanctus in die Pentecostes, & postea super domum Cornelij de quo Acto. 10. uenit. Id non animaduertisse illos mirum est, cum hunc quoq; locũ Acto. 10. pro se adduxerint. Hic igitur spiritus, hoc est, apertior uis spiritus, & Gala. contigerat, cum Euangelio crediderant, ex eo itaq; uirtutem fidei Euãgelicæ, operibus legis multo præstare, debuerãt agnoscere, huius ergo eos Paulus admonet. Neq; locutus hic est, de spiritu filiorum Dei, sine quo homo animalis est, neq; diuini aliquid potest percipere. Hic certe si non adsit, uerbum quod prædicatur, nunquam intelligetur, et sacramenta absq; fructu percipientur. Non igitur cũ uerbo hic spiritus offertur, sed è supernis infunditur, ut uerbũ intelligatur. Illud uero, ex auditu est fides, aliud nihil probat, quã si de Deo credi aliquid debeat, oportere, ut id antea sit auditum. Libenter igitur fatemur Deum communi lege uerbum externum adhibere, ad docendum suos, sed quod propterea, medium & instrumentum sit, quo detur

Quib. probent aduersarij suum cõmentũ.

ſpiritus & alia Dei dona, neque ex his locis, neque ex alijs unquam probabitur.

In actis 13. legitur. Et crediderunt quotquot erant ordinati in uitam æternam, hinc certe ſpiritus datur, quia quos prædefiniuit Deus, hos & uocat. Hic ſpiritus ſemen Dei eſt, quo nunquam electi deſtituuntur, ab utero ſiquidem matris uti & Paulus ſegregantur. Hic ſpiritus, hæc uis fauoris Dei non pariter ſemper prodit ſe, ſed dum tempus aduenit, quod ſtatuit Deus. Neq; latet in carne, ſicut ignis in calce, ſed imprimitur è ſupernis, in eos, qui ad uitã electi ſunt. Prodit ſe quidẽ ille, in omni uita aliquantulũ, plenius autem et clarius, nunc ante, nunc poſt perceptum Euangelion. Nam ex hoc ſpiritu eleemoſynas ſuas fecit et preces fudit, antequam de Euangelio eſſet edoctus Cornelius. Idemquoq; compulit Eunuchum Aethiopem, Ieruſalem petere ad orandum, ex eodem fuit quod Paulus legis præ coetaneis ſuis ſtudioſus erat, codẽ plenus etiam infans erat Iohannes. Quid? Nemo unquam orthodoxorũ hunc ſpiritum uel communi uel priuata lege, ſic uerbo addixit, ut medium & inſtrumentum illud fáceret, quo ille ſanctis daretur. Verbũ prædicatur etiam reprobis, et ut excæcentur magis. Ieſch. ſexto, cuius hic ſpiritus inſtrumentum uerbum facient? Sophiſtarum eſt iſta, de inſtrumentis & medijs ſpiritus, & gratiæ Dei, philoſophia, non Chriſtianorum. Illorum inuentum eſt, ſacramenta eſſe cauſſas gratiæ inſtrumentales, è ſcriptura nihil tale habetur, ut de uerbo, ita multo minus, de ſacramentis. Vere dolendum igitur, nunc ualere tantum contentionem, ut

ut ad mataeologos rurſum iſtos faciat deficere, qui paulo ante nobiſcũ, omnibus Chriſtianis fugiendos illos, et nominatim in hoc dogmate, docuerunt. Quid enim intereſt, inter hoc, quod illi docuerunt, ſacramenta nouæ legis dare gratiam, & quod iſti? Etenim ſcribit á. horum. Deum definiuiſſe nulli hominum interna, hoc eſt, ſpiritum, fidem, & alia dona donare, ſine externis, quæ ſunt, uerbum prædicationis, & ſacramenta, idq; ea ratione & lege, ut hæc externa præcedere debeant & oporteat, & poſtea ſequi interna, ſpiritum & fidem, idq; per illa externa, uerbum ſcil. & ſacramenta. Hæc ille uerbotim. Quidã, tamẽ diſcipulorũ eius iſta mitigant, addentes cõmuni lege. De baptiſmo tamẽ ſic, ſcribũt. Baptiſmus eſt uera et uiua regeneratio, nõ quia ſolũ regenerationẽ ſignificat, ſed quia eſt inſtrumẽtũ et mediũ, quo uiua regeneratio nobis exhibetur.

Quis autem non miretur hanc confidentem temeritatem? Ex qua obſecro ſcriptura iſta nobis proferuntur? unde probantur? Hi tamẽ interim adorantur, horum omnia oracula ſunt. Nemo adultus non in pernitiem baptiſmum ſuſcipiet, ſicut & panem cænæ, ſi non ante renatus ſit, & quotquot in ſcriptis Apoſtolicis baptiſmata memorantur, collata fuere ijs, quos renatos Apoſtoli non dubitarũt. Sic Philippus Eunucho nõ dedit baptiſmũ, niſi ex corde ſe in Chriſtum credere profitenti. Sic Petrus Cornelij domũ baptizauit non ante quàm audiſſet linguis illos loqui, & magnificare DEVM, ex ſpiritu ſancto. Sed & Paulum baptizauit Ananias, iam dudum ſpiritu DEI dona

tum, fide præditum. Quomodo audent igitur isti scribere nemini spiritum & fidem dari, nisi per externa illa, uerbum & sacramenta? Quàm absurdum autem quod de circumcisione illi scribunt. Non dicitur inquiunt solum signum fœderis, sed etiam ipsum fœdus & pactum, propterea quod per circumcisionem, tanquam instrumentum fœdus DEI, semini Abrahæ exhibitum & donatum est. Nos uero legimus 1. Moschch 12. Dominum id fœderis cum Abraham pepigisse, cum iam pridem credidisset, eoque in fœdere DEI esset. Sic & quicunque de semine eius, fœderis huius participes unquam fuerunt, ij ante condita sæcula fuere electi, uocati autem, & apertiore operatione spiritus DEI donati, non cum circumcidebantur, sed cum DOMINO placuit per eos suam gloriam illustrare. Plurimis etiam nunquam contigit in uerum DEI fœdus uenire, licet externe essent populo DEI adnumerati. Sed quid opus multis contra tam manifestum errorem, & intolerabilem auribus Christianorũ, si cum planè intelligãt? Scimus multos enim, qui dicunt & scribũt hunc se amplexos, tanquam sanum dogma, quorum cor tamen, illum nunquam agnouit. Mira res est amor & admiratio, facit sæpe ut laudet quis atq; imitetur id, cuius cũ ualde puderet, si ipsum in se, & nõ in eo, quẽ amat et suspicit cõsideraret. Equidẽ noui multos hodie melius sentire in plerisque & credere, quã ipsi sciant, aut animaduertant, occupati scil. admiratione hominum qui errant. Id olim agnoscent.

Veritas

Veritas uero sic habet. Tantum ad docendum & monendum cooperarijs nobis uti Deus uoluit, propter dilectionem & ueram unionem inter nos tanto melius seruandam, sed adeo nihil quæ loquimur Verba Dei, ncdum sacramenta cõferũt, ut nihil esse nos Paulus recte affirmet. Eant nũc illi noui Thomistæ, et probẽt illa esse instrumẽta & media gratiæ ac spiritus Dei, sine quibus illa interna dona Dei, nemini contingant. Nos libenter uerbum quod nos loquimur, & sacramentum quod nos exhibemus, nihil nisi euanidum signum esse fatemur, si non cooperetur Deus, id est, animo persuadeat & donet, quæ nos ex ipsius uerbis proponimus, & sacramentis representamus, si autem cooperetur, ut uerbi à nobis prædicati, & sacramentorum significatio efficax sit, & cum fructu Dei bonitatis admoneant, atq; ad æmulandam incitent, iam non euanida sed uera & salutaria signa esse prædicamus.

Cum ergo quiuis uideat hominum figmentũ esse, quod tanquam ἀξιώμα illi prædicant, uerbum à nobis prædicatum, & sacramenta esse gratiæ Dei instrumenta, & media, non potest dubitari etiam declaramenta esse, ne quid dicam istis dogmatis dignius, quæ illi superstruuntur, ut synecdocha illa qua ista uerba Domini. Hoc est corpus meum, uolunt interpretari, atq; dicunt, panem Eucharistiæ ita esse corpus Christi, sicut cantharus uino plenus dicitur uinum, cum dicimus nouo hospiti accipe, hoc est, uinum, quo te excipio. Probandum erat ita in pane esse corpus Christi, ut in cantharo uinum, tum & synecdocha, et

exemplum quadraßet. Sed dum isti perpetuo nos cálumniantur loqui absq; scripturis, ipsi nullam prorsus sicut nec poßunt pro inuentis suis adducunt. Tantum è capite suo, ponunt ἀξιώματα quædam, ex ijs tum inferunt quæ libet. Qui tum contradixerint, eos dedunt Satanæ. Sic nobis referunt Apostolos.

Nos autem nostra omnibus timentibus Deum, perfácile, & ex certis scripturis probamus, primum dicimus, pane representari Christi corpus, quis id neget? Deinde id ita repræsentari, ut mentibus sanctorum nequaquam absens, sed præsentißimum sit, sed id illis exhibente ipso Christo, non ministro, nisi quantum fit significatione uerborum & symbolorum, inefficaci tamen ea semper, ubi non cooperatur spiritus Christi. Et hoc cum alias, tum in his quæ hic præmisimus, pijs abunde probatũ est. Nam qui uel à limine sacras literas salutauit, nouit de symbolis dici, quod illis non fit, sed repræsentatur, de quo dixi nonnihil & supra fol. 72. Satis autem abũde ad æternam uitam pasci ab ipso Christo, dum carnem suam mentibus donat cibum, hoc est, persuadet illis, carnis suæ immolatione, æternam ipsis salutem partam, ut ne fingi quidem poßit, quid realis illa & corporalis corporis Christi in pane præsentia adiungere poßit, uel quæ in hoc capite Dominus Iudæis locutus est, clarißime testátur. Hæc iam sunt quæ nos docemus, iudicent Christiani utri nos an illi aduersarij nostri, spiritum & scripturas sequamur, utri gloriæ Christi studeant? Illos profecto, dum uerbo et pane,

pane, corporaliter & realiter dicunt adferri corpus Christi, oportebit, aut dicere pasturam fidei, de qua in hoc capite agitur, sine carnali quam ipsi fingunt, non satis eße ad uitam æternam, aut certe ociosam esse hanc corporalem Christi præsentiam & manducationem. Vtrumq; autem gloriæ Christi derogat, quæ neq; potuit his, quæ hic docuit fallere, neq; ociosum aliquid facere. Sed sic sunt hominum figmenta uniuersa, & quicquid sine scriptura statuitur, uti hoc dogma statui, nemo poterit inficiari, quando nulla omnino scriptura poßit euinci. Id cum de illo loco, quem ubiq; contra nos iactant, hoc est corpus meum, iam abunde pateat, neq; enim sonat in hoc est corpus meum, & ipsi aduersarij nobiscum fatentur, panẽ nõ eße ipsum corpus, confugiunt fere omnes ad illum. Panis quem frangimus, nunquid communicatio corporis Christi est? Sed unicuiq; consideranti eum locum propius, facile uidetur, de eiusmodi Paulum loqui κοινωνία, id est, cõmunione et societate, qualis & ea est, quam illi opponit. Opponi autẽ Dæmonum societatem, in qua esse dicit, qui participabant sacrificijs quæ fiebant Idolis, ut ergo Paulus istos κοινωνοὺς Dæmoniorũ uocauit, nõ quod uocarent Dæmones in sacrificatis carnibus, sed communicarent colentibus illos, participantes idolothytis, ita erunt κοινωνοὶ & in κοινωνία corporis Christi, frangentes simul panem Domini, & se co testantes cum omnibus sanctis pariter redemptos, cũ quibus una pro tanto beneficio gratias agunt, unumq; se esse corpus & panem testantur, neq; oportet ut propterea Christum realiter et corporaliter edant in pane. Neq;

Panis quẽ frãgimus.

dicitur panis ille & calix aliter communio corporis & sanguinis Christi, quam quod repræsentant illam, sicut baptismus dicitur ablutio peccatorum, aut regeneratio, non alia ratione quam quod eam repræsentat.

Quidam autem illorum interprætantur hunc locum, in hunc modum, panis quem frangimus nunquid distributio est corporis Domini? Eo enim quod Paulus Rom. 15. & 2. Corin. 8. collationem, quæ per Ecclesias fiebat pro sanctis Hierosolymis agentibus, κοινωνίαν uocat, putant κοινωνίαν recte per distributionem reddi. Neq; animad uertũt cogitationũ suarum plus æquo amantes, ideo Paulum collationem illam uocasse κοινωνίαν, id est, societatem, quod in communi, uti in qualibet societate fieri solet contulerint, quod sanctis mitterent. Sic enim ad Rom. scribit: Placuit Macedoniæ et Achaiæ, κοινωνίαν quandam facere in re inopes sanctorũ. Quam uero quadraret hic lege distributionem? Conuenerat siquidem ut in commune cõferrent, non ut distribuerẽt, Hierosolymis ea distribuebantur, in Macedonia & Achaia colligebantur. Sic ad Corin. Obsecrarunt nos ut beneficium & κοινωνίαν ministerij in sanctos susciperemus. Et in his locis quid quæso aliud significat κοινωνία. quam societatem, quam in eo illi instituerant, ut quisq; in commune conferret, quod sanctis Hierosolymis mitteretur? Sed quid opus tam multis, cum uera habeatur κοινωνία, id est, societas corporis et sanguinis Christi per fidem, non per panem, de qua Iohannes in Epistola sua cap. 1. Paulus 1. Cor. 1. Philip. 1. 2. et 3. Ad Galatas 2. scribit Paulus, Petrum Iacobum & Iohannem, dedisse sibi et Barnabæ dexteras κοινωνίας, id est, societatis. Quàm belle uero hic quadraret illorum distributio? Ex hoc igitur loco, quo uel solo consistere inuictum suum commentum coriphæi illorum iactant, tantundem habent, quantum ex illo. Hoc est corpus meum, ex utroque nihil.

Falsa interpretatio confutatur.

Nihilo plus probant pro eis & illi. Qui manducat indigne reus sit corporis &c. Et non dijudicans corpus Domini. Certum enim est illos in corpus & sanguinem Christi peccare, eaq; non digne æstimare, hoc est, dijudicare, qui solennem gratiarũ actionem, qua hæc celebrantur pro nobis imolata, irreligiose adeunt, & ita symbola illorũ prophanãt, neq; oportet ut sint illa simul realiter ĩ pane & uino, quæ indigne sumuntur. Quis dubitat reũ sanguinis Christi fieri, qui & baptismum suscipit irreligiose, ob id tamen non oportet esse in aqua realiter sanguinem Christi. Christum contemnit qui Apostolum eius contemnit, erit propterea corporaliter in Apostolo Christus? Sed satis de his, scriptura quæ salutaria sunt, nõ tam docet quam inculcat, hoc dogma de præsentia corporali Christi in Eucharistia, nullæ scripturæ docent, ut iam uidimus, noxium igitur hominum commentum, & nequaquam Dei est traditio. Id quod & aliunde satis est ab alijs declaratum, quiq; ostenderunt quibus etiam scripturis et fidei articulis pugnet, nos temporis angustia iubet pergere, quanquam pijs, qui à Christo solo pendent his etiam

quæ

quæ hic scripsi satisfacient, paucula tamen in sequenti sectiuncula adijciam, iudicent spirituales.

Caro mea uere est cibus, id est, uere mentem pascit atq; ad omnem pietatis functionem, ac æternam uitam uegetat. Quid enim non faciat & patiatur animus uere persuasus, Christi carnem pro se in mortem datam, ut ipse æternum uiuat?

Qui edit carnem meam & bibit sanguinem meum, in me manet. Totum siquidem rapi in Christum & transmutari oportet eum, qui solida fide agnouerit, & perpenderit, quam immensa nos dilectione complexus sit, dum nostri causa mori sustinuit. In hoc uicißim agit & uiuit Christus, omnia in eo suo spiritu perficiens, idq; est Christum manere in illo.

Sicut misit me uiuens pater, id est, uiuificans. Christũ pater misit, cum Verbum suum carnem fieri uoluit. Cum ergo Verbum caro factum sit, id est, Deus homo, facile liquet quod æternam & diuinam uitam uuere oporteat Christum etiam hominem, idq; propter patrem, à cuius uerbo hic homo aßumptus est. Cum iam igitur edens eũ, id est, credens in eum, maneat in eo, sitq; unum cum eo, nõ est obscurum, quomodo & hic uiuat propter Christum, cuius utiq; spiritu in omnibus agitur.

De uita æterna iam dictum est aliquoties, paulo fusius supra fol. 88.

OBSERVAT. Obseruandum iterum ut impij, quanto ueritatem clarius audiunt, tanto eos magis contra eam efferari,

efferari, nihilominus tamen prædicanda illis est, uti & hic feciße Dominum uidemus. Neq; prætereundum quod obscuritatem sermonis non remiserit, sed intendit, excæcandi enim erant reprobi, & gloriæ Dei quoq; seruiebat, ut electi ad hæc mysteria magis excitarentur in præsenti, quam ut plane omnia illis aperirentur. Venerandus siquidem Deus est, & in ijs quæ non capimus. Ex alijs innumeris indutijs uidebant Dominum uere filium Dei eße, probare igitur eos isto obscuriore sermone cõueniebat, an uera fide illum ut saluatorẽ recepißent. Qui utiq; uera illũ fide receperãt, etiamsi uel hunc uel alium sermonem eius non possent assequi, nihilominus tamen in fide eius perseuerarunt, uti & Petrus cum ijs, pro quibus dicebat infra, ad quem ibimus? Verba uitæ æternæ habes. Quos autem huius sermonis obscuritas à Domino disiunxit, ij neq; unquam ei uere adhæserant.

Multi autem his auditis, ex discipulis eius dixerunt. Sect. 6.

PARA. Reproborũ in hac synagoga obstinata arrogãtia, merebatur magis excæcari, electis aũt nihil oberat, etiamsi quædam non assequerentur, denq; nondum aduenerat tempus, ut Euãgelion regni clare omnibus annunciaretur. Pati enim priusquã glorificaretur Christũ oportuit. Plus igitur ænigmatice, quam antea de fide in se fuit loquutus, adeo ut & ex discipulis, sed nõ synceris illis & electis

electis quidã offenderẽtur, atq; dicerẽt: Durus est sermo, quem loquitur, non posse uiuere, nisi qui edat carnẽ eius, & bibat sanguinem eius, quiq; hoc fecerit, eum uicturum in æternum. Quis hæc sustineat audire? Quanta enim esset abominatio carnem edere hominis? Si autem aliud sibi istis sermonibus uult, ut uidetur, cur id non aperte dixerit, quid nobis illudit ænigmatis suis? Cum itaq; huiusmodi inter discipulos murmur coortum, apud se quem nihil latebat, sciret, dixit ad eos. Hoc uos offendit, quod tanta mihi sumo, quod comesæ carni meæ tantum tribuo, quod è cælo me panem uiuum descendisse affirmo? Si igitur spectaueritis filium hominis rursus ascendentem ubi prius erat in lucem inaccessam, perfectum diuinitatis consortium, quid tum de me sentietis? Certe qui huius spectatores fuerint, aut aliâs certo hoc cognouerint, illis nequaquam uidebor nunc absurda aut impossibilia locutus. Omnia ista in me agnoscent, idq; docti à spiritu. Spiritus enim quem mittam, uiuificat, is cum uenerit testabitur de me, docebitq; meos omnia, ueraq; uita per fidem frui dabit, caro dum ita uersatur in oculis uestris, nihil conducit, uitam æternam, quam promisi, si quis eam edat, sic non præstabit, imolari eam oportet & inde glorificari, filijq; Dei caro agnosci, sic uitam adferet æternã. Proinde hæc quæ uobis locutus sum, nemo de huius carnis meæ corporali manducatione intelligat, uerba mea spiritus sunt & uita, de ea mei manducatione dicta quæ spiritu fit, & uitam adfert æternam, id sentient quotquot mihi uere crediderint.

derint. Sed sunt ex uobis quidam, qui non credunt. Ab initio enim nouerat Iesus, qui nõ crederẽt, quiq; esset ipsum traditurus. Addidit igitur propterea dixi neminem posse ad me uenire, nisi à patre id accœperit, nemo ergo miretur, quod quidam sermonibus meis, etiam discipuli offenduntur, non est eis ut uere credant, à patre datum. Illi ergo, quorum sanè multi erãt desciuerunt à Domino. Dixit ergo ad duodecim: Num & uos uultis abire, postquam desciscunt tam multi, idq; ob eos sermones, quibus æternam uitam exposui & obtuli omnibus electis? Ad hæc Petrus, qui admodũ studio Domini ardebat, pro se et reliquis nõ dubitans qua ipse flãma ardebat, ardere & illos respõdit. Ad quem inquit ibimus, quem tibi præceptorem præferemus? utcunq; offendantur alij tuis sermonibus, nos scimus te habere, & loqui sermones æternæ uitæ, ut qui illis fidem habeat, æternam uitam certo percipiat. Id nemo alius magister discipulis suis unquã præstabit. Nos credidimus & certo cognouimus, quod tu Christus es saluator mundi, ille filius Dei uiuentis & omnia uiuificantis, per quem ius filiorum, nobis & electis omnibus contingit. Respondit Iesus: Prompte & animose respondes pro te & collegis tuis Petre, ego autem scio & inter uos, quos præ alijs omnibus ad munus Apostolicum elegi, unum diabolum esse, hostem meum & aduersarium ueritatis, etiam si ille se desciscentibus à me, non adiungat, & uobiscum adhuc hæreat. His Iudam Iscariotem, unum ex duodecim, futurum proditorem suum, notauit.

ANNOTAT. Hoc uos offendit. Concisis & brevibus dictis, superbos, ut merebantur repellit, electos probat, atq; in observatione sui & admiratione retinet, tametsi nõ possent omnia quæ dicebat, assequi. Subobscurũ autem uidetur, quid præcipue etiã hos discipulos Domini offenderit, an quod sibi tanta dominus arrogaret, nempe se cibum uitæ æternæ esse, hoc est, eum in æternũ uicturum qui ipsi credat, uel quod necessarium ad uitam dixerat, edi carnem suam, quandoquidem horror erat, cum omnibus, tum præcipue Iudæis uel tantum audire, humanam carnem edendam esse. Videri quidem possit, ex obiectione Iudæorum. Quomodo potest iste nobis dare carnem ad manducandum, quod hoc posterius, caussa fuerit, ut & hi discipuli offenderẽtur. Mihi aũt uidetur utrumq; illos offendisse, & quod tanta sibi arrogaret, quod solus scilicet ad uitam æternam pasceret, & quod id tam absurda, ut illi putabant ratione præstaturum diceret, nempe manducatione carnis suæ. Neque dubito, quin satis intellexerint eũ allegoricôs loqui, et aliud significare, quã uerba præseferrent. Sed dum eiusmodi essent quæ sibi sumeret, ut nequaq; posse ea cõpetere illi, arbitrarẽtur, offendebat eos, quod cum hæc luculentis rationibus probare deberet, uelut illudẽs eis, tantum ænigmata quædam responderet. Nam et quod Iudæi dixerũt: Quomodo potest iste nobis dare carnem ad manducandum, non crediderim dixisse ideo, quod putarent illum, uelle suos humana carne, pascere, sed obiecerunt illud, ut ostenderent illum & nimium sibi arrogare, & absurdis præterea sermonibus id

idipsum proponere, Q. dixissent. Iste debebat probare bis, se panem esse qui è cælo descendit, iam iterum affirmat qui credat in eum, habere uitam æternam, se esse panem uitæ qui ipsum edat eum semper uicturum, neq; uerbum adfert, quo huius nobis fidem faciat, & quasi bis non satis illusum nobis sit, addit præterea carnem suam esse panem illum quem daturus sit. Scilicet ἀνθρωποφάγους nos faciet, si ei auscultauerimus. Quomodo quæso dabit ad edendum carnem humanam? Quam est igitur hoc absurdum et impossibile, tam superba sunt, ac non minus impossibilia, & alia quæ sibi arrogat, panem scilicet se esse, qui è cælo descenderit, uitamq; det mũdo, quontamquidem è Nazareth ueniat nobis, filius Ioseph & Mariæ. Quid audimus non tam impossibilia, quam stulta loquentem?

Hæc eadem igitur offendisse uidentur et discipulos hos quod scilicet plus nimio sibi dominus tribuere uidebatur, et id ipsum obscuris adeo sermonibus proponeret, ut uidere tur auditorio illudere, præsertim cum auxisset obscuritatem, postquam offensos ea multos audisset. Dominus ergo commode respondit, Hoc uos offendit? hoc inquã quod me maiorem quã decere putatis, facio. Videor adeo superbus et arrogans? si igitur spectaueritis filiũ hominis, quem modo tãnihili esse putatis, et Ioseph filiũ arbitramini, ascendentẽ ubi erat prius in cælũ, unde uenit, in quo ut uerbũ patris semper est, qd iũ censebitis? Videbor etiã tũ plura quã par sit mihi arrogasse? In illud igitur tẽpus uolumus istam disputationẽ differre. Tum dabitur spiritus qui uiuificat, Si spectaueritis filium hominis ascendere-

& uera intelligentia donabit, caro dum in ista conditione apud uos uersatur, nihil conducit, nõ efficit, propter quod ueni, subduci igitur eam oportet ex oculis uestris, & alium paracletum dari, is suggeret dabitq; intelligere, quæ dixi uobis, uti & sunt, spiritus & uita. De ijs siquidem loquuntur, quæ spiritu & dantur & percipiuntur, coq; uitam æternam adferunt, quare nemo illa percipiet, nisi spiritum uiuificantem accœperit.

Si igitur spectabitis filium hominis ascendentem cò, ubi erat prius. Reticentia est, completur sententia, si subaudias, quid tum dicetis, aut quid simile. Erasmus notauit & antithesin, descensus è cælo, & ascensus in cælum. Quasi di. Dominus, offendit uos quod dixerim è cælo me descendisse, uidebitis me paulò post in cælum ascendere, quod multo maius est.

Calumniantur admodum dire, adsertores carnis Christi in pane, nescire nos quid cælum sit, quid ascensus Christi in cælum, quid deniq; dextera patris. Audiant igitur Christiani, illi enim obfirmarunt aures & mentes, ne nos audiant. Nam de his toties iam fidem nostram testati sumus, & scripturas, quibus ea nititur indicauimus, ut si legere nostra dignarentur, ista de nobis ne cogitarent quidem, ne dum scriptis in orbem inuulgarent, nisi uellent aperte contra nos mentiri. Supra aliquoties indicatũ est, & in Matth. fusius expositum, in illud capitis tertij. Et baptizatus Iesus ascendit protinus ab aqua, & ecce aperti sunt illi cæli, per cælum, quod inhabitare dicitur Deus, unde

unde Christus uenit, & in quod ascendit, nos intelligere inaccessam lucem, atq; gloriam Dei inuisibilem, id quod nos Paulus docuit, dum scripsit Deum inhabitare lucem inaccessam 1. Timo. 6. Habetis quid putemus cælum esse. Cælum quid.

Iam de ascensu Christi in cælum. E cælo nobis aduenit, quia cum, ut Verbum & uirtus Dei, lucem habitaret inaccessam, factus homo est, & ita in terra, in similitudine hominum nobiscum egit, & specie habituq; ut hominem sese exhibuit, cum autem opus, quod ei mandarat pater perfecisset, patremq; opere & sermone glorificasset, illi obediens factus in mortem usq; crucis, dignum fuit ut pater uicissim filium glorificaret, excitauit ergo eum à mortuis, & in cælum assumpsit. Non secundum diuinitatem, sic enim semper fuit, & est in cælo, idem enim substantia est quod pater, sed secundum humanitatem, illa ex mundo hoc, in gloriam Dei inuisibilem, in lucẽ illam inaccessam, in plenam diuinitatis perfruitionem, translata est. Porrò cum uerus homo nostri caussa factus est, uereq; humanũ & ideo loco additum corpus assumpsit, ipsumq; adhuc habet, de quo supra fol. 77. quædam dixi, agere eum secundum humanitatẽ in certo aliquo loco necesse est, sed in quo Dei qui omnia implet & ubiq; est, reuelata gloria, & beata illa, sed inaccessa luce fruitur, in qua habitans & regnans, spiritu interim suo, omnia apud suos perficit, qui paracletus ille est, quem missurum se promisit, postquam abijsset. Hæc de ascensu Christi sentimus. Quid ascẽsus.

Nunc de dextera patris. Hæc Deo ἀνθρωποπαθῶς tributur. Quid dextera.

buitur. Cæterum scriptura, per sedere à dextris principibus intelligit, proxima ab eis potestate fungi. Id certe intelligebant filij Zebedæi cũ peterent Christo alter à dextris, alter à sinistris sedere. Iam Christo etiam homini dedit pater potestatẽ omnis carnis, ut det æternã uitam omnibus, quos ei pater dederit, infra 17. & non solũ hoc, uerũ extulit eũ super omnem quoq; potestatem angelicam Ephes. 1. hinc dicitur eum euexisse & collocasse, ad dexteram suã. Hæc fides nostra est de dextera Dei.

Videant nũc qui Christi quã hominũ, studiosi esse malũt quã digne & grauiter Apollo aduersariorũ nostrorũ cũ suis musis, ob hæc in nos scurretur et debacchetur. Ex his iam dũ colligimus nõ posse corpus Domini realiter in pane esse, quia ipse à nobis abierit, cælos ascẽderit, sedeat ad dexterã Dei, ad iudiciũ demũ inde rediturus, neq; fidei uestræ ò fratres imponimus, neq; fungos uos existimamus, sed ex ordine quẽ Deus rebus dedit, et uerbis eius, quibus testatur eũ ordinẽ in Christo seruatum esse, id colligimus quod uerũ est, et cõfutamus quod falsum cõfinxerũt homines. Christus ipse dixit se abiturũ, abijt, ut testantur oculati testes Apostoli, non rediturũ, nisi sicut abijt, testantur angeli, quis tam amens modo, qui nõ hinc colligeret, non posse eũ includi in panẽ, aut panẽ in ipsum mutari, corporaliter & realiter, quotics uerbula aliquot essent murmurata super panẽ, ita ut præsentẽ esse eũ corporaliter et realiter oporteat, ubicunq; gentium ille panis habeatur? Si nãq; uerus homo est, uerũq; habet corpus, et abijt sedetq; in inui-

in inuisibili gloria luceq; Dei, neq; est à resurrectione humana eius natura in diuinam mutata, sed glorificata, non poterit esse in tot panibus corruptibilibus & simul in diuersis locis. Deo sunt omnia poßibilia, libenter fatemur, sed Deus simul uerax est, is testatur nobis filium suum uerum hominem fecisse, uerum corpus illum assumpsisse, et humanum corpus, idq; tale etiam post resurrectionem à discipulis usum & palpatum est, iam si hæc uera sunt, ut uera esse oportet, transeunte cælo & terra, nedum istorum tyrannide in uerbũ Dei, & uoluntia in scripturam Dei, utiq; corpus Domini simul non erit nisi in uno loco, cũq; eum pater illi aßignarit gloriosum in cælo, & in eo regnaturum, donec ad iudicium redeat, tam clare tectatus sit, credat uobis corpore corporaliter illum in panes uestros uenire, quoties recitaueritis non iussa recitare uerba, qui potest credere DEVM mentiri, & uos uera loqui.

His uero, nihil aliud uolumus probare, quàm in uestris cænis, non posse Christum corporaliter esse, ut falso prædicatis. Si autem de prima illa cæna, quam Dominus ipse cum discipulis habuit quæritis, dicimus ideo non potuisse in pane illo esse corpus Christi, quia uerus homo, non potuit nisi unum corpus habere, cum igitur Euangelistæ testantur eum apud discipulos sedisse, & cum eis fuisse locutum, nõ potuit simul in duodecim particulis panis sedere. Ad hæc ut supra aliquoties dictum est, non dixit Dominus in hoc pane est corpus meum, sed accipite, hoc est

corpus meum quo significauit se illis suum corpus dare, quo ita mentes ipsorum pascerentur, sicut panc, corpus. Idē uoluit eis significare et his uerbis, si quis ea rite intelligat. Sed id nemo potest, nisi doceatur à paracleto. Ille aūt inqt dominus, nō ueniet, nisi submota hæc mea caro ex oculis uestris fuerit. Ipsa enī ad hæc, ut electi me cognoscant, inde uiuant, ultra tempus à patre statutum, adeo nihil proderit, ut etiam impedimento esset & spiritum uiuificantem arceret, si diutius hic relinqueretur.

In his itaq; declarauit Dominus, quomodo manducari ipsius carnem oporteat, & quonam pacto ea uiuificet. Imolari oportuit illam neq; hoc solum, sed & resurgere, et ad cælos ascendere, ut uideremus imolationem eius profuisse, & peccata expiasse. Si enim in morte mansisset, quomodo potuisset credi, esse satisfactum? Sic aparuit deniq; uere petēdam ab illa uitam, in qua nimirū omnia uiuificantē diuinitatē habitare animaduertimus corporaliter. Nulla igitur alia ratione hic Dominus carnem suam inutilem pronunciauit, quā ut usq; in humili illa, qua tum erat conditione, relinqueretur. Vt enim mihi dubiū nō est, intellexisse & Iudæos & discipulos, quod allegoricôs dixisset carnem suam uere & uiuificum cibum, & ideo offensos quod sibi tam humili atq; abiecto uiuificatricem uirtutem arrogaret, idq; uerbis adeo obscuris & ænigmaticis, ut illudi sibi ab eo putarent, ita non uidetur ideo dixisse Dominum suam carnem nihil prodesse, ut significaret nihil conducere, dentibus laniatā, et corporaliter cōmesam, sed ut significaret

Iudæi bene intellexerunt, qd' Dominus spiritualiter edi suā carnē uoluerit.

significaret, fructū illū, propter quē eam assumpsisset, nō posse, illa ita humiliter uersante in terris, prouenire, ideo subuehendam esse in cælum, ut qualis caro esset, palàm fieret, & tum spiritū uiuificatorē mittendū, qui carni illi in cordibus electorū testimonium phiberet, eāq; ita glorificaret, ut uniuersi electi agnoscerent, uere eā cibū salutis et uitæ esse, et nō nisi per eam nos saluari posse, hoc est, fide in ipsum pro nobis crucifixū. Huic interpretationi cōsonāt, et quæ infra 14. et 16. Dominus de abitu suo, & aduentu paracleti disseruit, sed & totus operū Dei ordo, ac omnia quæ de Christo scripturæ prædicant, idem docent.

Quidam ex solo contentiōnis spiritu, carnem hic pro carnali intellectu contendunt accipiendam, cum tamen ipsi alibi ubi docent, non pugnant, locum hunc de Christi carne interpretantur. Spiritus utiq; Christi est, qui uiuificat, quem carni opponit, & tamen non dixit, spiritus meus, ita & carnem suam, per carnem hic intellexit, etiamsi non addiderit mea. Commentum enim illorum, ubicunq; in scripturis spiritui caro componitur, carnem significare carnalem intellectum, quod non minus stupide, quam arroganter illi Ecclesijs obtruserūt, inane somnium esse, pridem sanctis innotuit, cum tot loca sint ubi caro spiritui composita, Christi carnē significet, ut 1. Timoth. 5. Deus manifestatus est in carne, & uiuificatus in spiritu, & alibi. Sic & cum Paulus se carne absentem, et spiritu præsentem Corinthijs scribit tradere Satanæ, cum qui patris suæ uxorem habuerat, haud quadrabit ista horum Gra-

photyrannorum regula. Sed mittendi Domino sunt, qui docebit eos olim sapere modestius.

Quod autem mire irrident, ex hoc loco, caro nõ prodest quicquã, probare nos nõ posse in cænis haberi & edi corpus Christi corporaliter, more suo faciunt, nam irridere argumenta, quam soluere faciliùs est. Sed Christiane tu perpende an non firmiter ita colligamus, Christus dixit carnem suam nihil prodesse, ut hic nobis relinquere tur, ideo subuehendam fuisse in cælum, ut spiritus uiuificans aduenire t, eamq; ut Christi carnem, ac uitæ æternæ, cibum nobis exhiberet, ergo non potest dari illa edenda corporaliter à ministro, neq; cooperabitur illi Dominus, ut ipse eam daret corporaliter, quia ad spiritum uiuificantem, iussit nos respicere, qui mentibus non corporibus, illam daturus sit in cibum uiuificum, ut edentes eam, æternum uiuant. Quid quæso certius, quid dilucidius quæras? Christus dixit suam carnem non prodesse, si corporaliter habeatur, eoq; oportere ut transferatur in cælum, quo uiuificans spiritus det eam edendam per fidem, id est, spiritualiter, ergo non editur corporaliter in cænis? Nihil enim à se huius dabit minister, iam Dominus ipse, corporalem negauit, & spiritualem carnis suæ, eiusq; iam in cælum exaltatæ, non amplius hic corporaliter præsentis, manducationem promisit. Hæc cui satis non est, & requirit præterea etiam carnalem, quam nullis habet scripturis promissam, ut supra satis probatum est, is recte nondum spiritualem hanc gustauit. Indubie enim si hanc uel semel

semel uere gustasset, satiatus fuisset, ut carnalem nequaquam esuriret, sed pro spirituali, solaq; uiuifica, in cænis Dominicis, edens panem, & bibens calicem Domini, gratias quam religiosissime ageret, id quod Dominus ipse, nos facere, iussit. Iam tandem satis de manducatione Christi.

Sed sunt ex uobis qui non credunt. Vide & ex hoc, nõ nisi fide, eoq; tantum spiritualiter posse Christum edi.

Domine ad quẽ ibimus? Etiam ex hac Petri responsione, uidemus manducationem CHRISTI aliud nihil esse, quàm fidem & certam eius, ut christi & saluatoris, cognitionem, quam qui semel nacti sunt, ab eo diuelli neque unt, neq; quicquam præter eum esurire, ab ipso deniq; et nulla creatura omnem cibum animæ, conscientiæ consolationem fideiq; robur petent.

Et ex uobis unus Diabolus est. Græci cœperunt uocare diabolum, quem Ebræi Satan, per hoc ergo quod Iudam dixit diabolum esse, significauit aduersarium & hostem suum esse, non discipulum, licet in id esset cum alijs delectus, externo scilicet delectu, ageret q; etiamnum inter illos, de his plura in Matth. 4. in illud: ut tentaretur à Diabolo.

OBSER. Obseruandum primum, quàm rara res sit sincerus Christi discipulus, et quã nullus eius cœtus sit in quo non sint hypocritæ. Si enim Dominum isti, quibus adeo durus eius sermo uisus est, ut Christũ sequebantur, cur offendebantur quod sibi, saluare in se credentes, sumeret? Quid

ret? Quid nã erat aliud, Christũ esse? Certe perfacile intelligebant hoc solum ipsum uelle, nempe licet filius hominis esset, & externa conuersatione satis humilis, se tamen simul illum esse, à quo æterna uita, omnibus petenda sit. Viderãt sanè tot iam miracula, è quibus si nati ex DEO fuissent, nullo negocio ipsum homine maiorẽ potuerant agnoscere.

Quæ uero de ascensu suo in cælũ et spiritu uiuificãte disseruit, moneãt nos, ut ab ipso ad dexterã patris exaltato, et p spiritũ eius, nõ per creaturas, nobis cõferẽda oia petamus. Præsentẽ ad finem usq; sæculi ipse adfuturũ se nobis promisit, nosq; sibi similes redditurum, planè iustos & beatos, quid prætera requiramus?

Quod prædicat Euangelista nouisse Dominum non credentes, & proditorem etiam tum latentem, deterreat ab hypocrisi, & consoletur, si quando & inter nos hypocritæ deprehendantur, etiam inter uerbi ministros. Tantum cauti simus, ne ut oues amplectamur, qui lupi rapaces sunt. Siquidem ut in timore & tremore, ac omni circunspectione uersaremur, ita uoluit DEVS apud nos omnia esse permixta.

In Petro notetur, uerae fidei ad confitendum ardor, et quam certam Dei cognitionem esse oporteat, ut solida sit.

In Iuda quem nihil mouit, Domino cognitum esse, solita impiorum indicatur obstinatio.

Caput

CAPVT VII.

Versabatur Iesus post hæc in Galilæa.

Apertiora sunt, quam ut opus sit paraphrasi.

ANNOTAT. Versabatur IESVS. Supra quinto narrauit Euangelista, quod propter sabbatho sanatum illum, qui triginta octo annos laborauerat, & quod se patri fecisset æqualem, Iudæi quæsierint Dominum occidere, hæc uno uerbo hic repetit, ut caussam indicet, quare in Galilæa tum uersaretur. Miraculum panũ factum scribit Euangelista capite superiore, cum prope esset festum paschale, nec memorauit, an ad illud ipsum festum Hierosolyma ascenderit, hinc mihi cõiectura fit factam ab Euangelista in historia μετάθεσιν, id est, transpositionem. Nam quæ narrantur capite quinto accidisse in festo Iudæorum, ad quod ascenderat Dominus, facta credo, in festo Pentecostes, cum antea appropinquante paschate in Galilæa, trans lacum Genesar, quod mare Tiberiadis Euangelista uocat, quinq; millia pauisset. Certe cum in hoc 7. capite memorentur, quibus satisfecit pro facto, qd' quinto memoratum est, & mouerat Iudæos, ut Dominũ quærerent interficere, consentaneum est, quæ in hoc capite narrantur, in festo tabernaculorũ euenisse, quod uenerat

Mutatus historiæ ordo.

nerat proximum post illam Pentecosten, in qua existimo facta, quæ memorantur capite quinto. Mihi enim non fit uerisimile, ut IESVS ullo festo Hieroso'ymis abfuerit, in quo adesse ex lege oportebat, cum ergo hic causa narratur, cur in Galilæa ageret, quod Iudæi quærerent eum occidere, idq; ut ex contentis in hoc 7. capite clare liquet, propter ea, quæ memorat caput quintum, uiolatum scilicet sabbathum, conijcitur, quod ab eo festo, in quo illum morbidum sabbatho sanauerat Dominus, non aparuerit Hieroso'ymis, si iam non licet dicere, quod legem præterierit, fatendum est id festum, proximum fuisse, quod ante festum tabernaculorum eueniebat, atq; igitur festum Pentecostes. Alioqui aut dicendum esset, quod IESVS toto anno nõ fuisset Ierusalem, ac ita legem bis præterijsset, aut quod fuisset ibi, neq; tamen fuisset aliquis propter eũ motus factus, ex accusatione uiolati sabbathi, id nullam autem habet ueri similitudinem. Certe quod Hieroso'ymitani dicebant: Nonne hic est, quem quærunt interficere? Atqui ecce palam loquitur &c. & quod nominatim de uiolato, ut Iudæis uidebatur, sabbatho Dominus hic satis facit, coniecturam faciunt, non adeo diu antequam acciderint, quæ hoc capite narrantur, accidisse, quæ in quinto memorata sunt. Transposita autem in Euangelicis historijs gesta nemo magnopere mirabitur, qui scripta Euangelistarum considerauerit diligentius, ut enim Christi uirtutem exponerent, non ut quæq; suo ordine narrarẽt, studuerunt.

Erat

Erat autem prope festum Iudæorum. Scenopegia, fixio tabernaculorum dicitur, septem enim diebus in tabernaculis omnis Israël agebat, ad memorandum quod patres eorum Deus fecisset habitare in tabernaculis, quando eduxit eos de Aegypto 3. Mosch eh 23. De hac & alijs festiuitatibus Iudæorum dixi aliqua in Matth cap 12.

Dixerunt igitur ad eum fratres eius. Contribules, cognatos & affines, Euãgelista more scripturæ fratres Domini uocat. Ii igitur quia non credebant eum esse qui prædicabatur, insultando ei, monuerunt, ut Hieroso'ymam ad diem festum ascenderet, ibiq; ubi totus Israël conueniebat, se quid esset palam faceret. Sciebant enim quod declinans Iudæorum furorem, ex sanatione eius, quem morbus triginta octo annis tenuerat, contra ipsum motum, in Galilæa uersaretur. Qui fratres.

Si hæc facis, id est, quæ de te mira prædicãt, & uis inde Christus agnosci, ostẽde te mũdo. Qui enĩ uult in παῤῥησίᾳ esse, id est, ut libere & palam de eo omnes loquantur, quæ magnifica facit, ea nequaquam in occulto facit.

Tempus meum nondum adest. Hoc est, mihi nondum oportunum est, pater qui omnia certis temporibus disponsat, nondum uult ut ego ascendam, tum ascensurus, quando ex uoluntate patris fuerit, tum & ad gloriam ipsius illustrandam faciet meus ascensus. Vobis autem qui neq; ex præscripto Dei uiuitis, neq; rationem habetis, quid gloriam Dei promoueat, aut secus, deniq; cum mundo, id est, hominibus, secundum carnem uiuentibus, uobis bene conuenit.

uenit, nullum uos ab illis manet periculum, ideo tempus uestrum semper paratum est, uobis nunquam non oportunum est Ierusalem petere, quia mundus non potest uos odisse, qui malis eius consentitis, ego autem arguo illum, ostẽdo mala esse, quæcũq; agit, eaq; causa ipsi intolerabilis sum. Proinde uos ascendite ad hoc festum, ego quia nondum definitum à patre, eoq; mihi oportunum tempus aduenit, id est, completum est, nondum ascendam. Illud: mala sunt opera eius, eodem modo accipiendum est, quo supra cap. 3. Qui male operatur nõ uenit ad lucem, quia mala sunt opera eius, nempe pro eo, quod est per omnia malum esse, neq; quicquam agere boni. Sic sane sunt, qui ex spiritu non sunt renati uniuersi.

OBSERVAT. Secundo iam è Iudæa in Galilæam secessisse Dominum, ut uim Iudæorum declinaret, Euangelista noster memorat, prius, supra in tio cap. 4. legimus. Circa id uero hic obseruãdum, & nobis licere subinde fugere, modo Dei gloriam fugiendo nõ prodamus. De quo in Matth. fusius cap. 4. in illud: Cum audisset autem IESVS, quod Iohannes traditus esset.

Deinde animaduertendum circa id, quod & fratres Domino molesti erant, ferendum nobis esse, cum domestici quoq; nos infectantur. Item non ilico pium esse, qui iuxta externa, hoc est, carnem, Christo attinet. Quid enim profuit his, quod fratres Domini fuere? In Domino igitur nihil nisi noua ualet creatura. Gal. 5. non professio, aut cuculla monachorum, non consecratio Episcopi, non denique; eru-

dditio, aut morum externa honestas, solus internus homo, secundum Deum conditus, apud Deum æstimatur, & certum iustitiæ fructum profert.

Quod hic horæ suæ, id est, opportuni temporis Dominus meminit, monet quam diligenter obseruandum nobis sit, ut ex præscripto Dei, & suo tempore omnia agamus. Postremo notandum nos mundi amicitiam non posse tueri, nisi malis eius operibus consentiamus, si nanq; Dei gloriam adserere, atq; ita ipsum solum bonum esse testari, mundum uero peccati arguere uoluerimus, id quod sane si in nobis agit spiritus Dei, semper mundum arguens, & Deum magnificans, haudquaquam poterimus omittere, persequetur ille nos, ut & Christum persecutus est: Arguere autem mundum non est crassiora illa peccata insectari, id enim mundus, ne uideatur penitus deploratus, potest ferre, sed testari, quod opera eius mala sint, hoc est, in totum omni iustitia & bonitate careat, neque possit nisi per Christum iustitiam ueram assequi. De his infra 16. plura. Quid mũdum arguere.

Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit. Sect. 2.

Et murmur multum. Omnium sermo erat de eo, at nõ in παῤῥησίᾳ, id est, libertate. Id murmur disputatio quædam erat populi de Domino, in qua aliqui pro Domino loquebantur, id primores Iudæorum non ferebant, hinc erat, quod nemo palã de Domino loqueretur. Voluit aut

ita Dominus oēs sui desiderio et expectatione excitari, ut cū postea intrepide se in mediū hostiū suorū ingereret, & doceret libere, omni contēpto periculo, electi & amantes eius, tanto magis cōfortarentur, reprobi autem, dū quod maxime uolebant, nō possent illi uim inferre, plus confundcrentur, omniq; ignorantiæ prætextu nudarentur.

Ascendit IESVS in templum ac docebat. Hæc hora eius erat, tum tempus erat illustrandi gloriam patris, omni ergo spreto periculo, in primum locum, ubi iudæis minime tolerabilis erat, se recepit, docercq; cœpit, cum medium festū ageretur, adesset q; ideo populi maxima frequentia. En hic uirtutem suam declarauit, qui paulo ante fugiendo declarauerat humilitatem.

Quomodo hic literas scit. Fabrum enim egerat ut ex Marci 6. patet. Oportebat siquidē omnia in Domino esse summe admiranda. Cæterum qui negligit cum posit discere literas, ingratum & ignauum eum, Dominus nequaquam miraculo docebit. Et qui in adsciscendo qui Ecclesiam doceant, ruditatem, piæ eruditioni prætulerit, Dei donum contemnit, & nequaquam ex spiritu agit, quo Paulus uoluit mysterion Euangelicon cōmitti hominibus ad docendum idoneis, quoq; Aquila & Priscilla, qui Apollo hominem eloquentem atq; in scripturis potentem, ob hæc præcipue dona, plenius uiam Domini docebant, ut ad docendū alios esset instructior. De his plura in Mat. cap. 4. in illud: Vidit duos fratres Simonē qui uocatur Petrus &c.

Studium literarum nequaquā negligendum.

Mea doctrina nō est mea, hominis scilicet, sed mea Dei, atque

atq; ita eius qui misit me, quo cum natura & substantia unum sum. Vnde nō est mirandum, si absq; eruditione hominum doctus sim, & literas sciam. Hoc uestrū pauci credunt, quia nō quærunt quæ Dei sunt, nō cupiunt Deo sese approbare. Qui enim uult uoluntatē Dei facere, id est, in quo est studiū aliquod Dei, is eo spiritu, quo ad Dei uoluntatem propendet, facile agnoscet, utrū ex Deo sit mea doctrina, an ex me ipso loquar, quod non sit doctrina Dei. Qui à se ipso loquitur & docet, non ex spiritu Dei, ut se ipsum aliys doctorē cōstituit, ita suam ipsius gloriā quærit. Qui autem quæru gloriam eius qui misit ipsum, Dei, id quod ego studeo, is uerax est, & omnibus audiendus, neq; enim quicquam in eo poterit iniquitatis esse. Iam considerate, explorate, excutite, quæcunq; doceo, solā patris me gloriā quærere deprehēdetis, quādoquidē nihil aliud in omni doctrina mea quæro, quam ut ipsius bonitatem electi omnes & probe agnoscant et gnauiter æmulentur. Proinde uerax sum, & nihil loquor quod ulla ratione queat culpari, dignumq; erat ut pronis me animis audiretis magistrum cælestem, non persequeremini ut hostem dei.

Paraphrasis uerborum Domini.

OBSERVAT. Animaduertendum sicut Christum spiritus cum maxime opportunum esset, Ierusalem adduxit, ita et nos commode ducturum aclūrumq;, ad quæ pater destinauit. Tantū abnegatis affectibus, ipsi nos contradamus. Obijcietur sæpissime illustrandæ gloriæ dei tam optata occasio, ut stupeas tam præsentem uim spiritus.

Perpendendū et quæ mundi sit iustitia apud sanctissi-

mos, siquidem nõ licet, uel loqui de Christo dei sapientia et iustitia. Sed dum uisum est deo, coguntur hi ipsum palam docentem audire, qui putabant se effecisse, ne quisquam de ipso tantum mussaret. Idem euenit & hodie Christi hostibus, si modo nos fortiter crediderimus.

Qui possunt ueritatem cognoscere.

Probe notandum autem de doctrina Christi eos demum posse cognoscere, qui cupiunt uoluntatem dei facere. Nemo ergo miretur plurimos hodie patentissimam ueritatem auersari, non sunt ex ueritate sed diabolo nati, ideo odiũt quæ deus probat, quare odisse oportet illos omnem quoq; dei doctrinam, neq; sustinere ut de ea audiant tantum. Qui autem ex deo natus est, cui cordi pietas est, is sicut spiritu dei præditus est, ita ueritatem dei in doctrina Christi nullo negotio agnoscit.

Postremo neq; hoc prætereundũ, sicut is gloriam suam quærit, qui à se ipso loquitur, ita necesse est omnes illos sua quærere, qui à seipsis, hoc est, quæ à patre non didicerunt, docent. Id facile uides in omnibus, qui humana commenta, pro Verbo Dei Ecclesijs obtrudunt. Quid nanq; facilitius Matæologis? Quid arrogantius Catabaptistis? Quid frontosius Artocreatistis? Quid magis nescium cedere, Iudæis? Quid iudicij dogmatum suorum intolerantius, Mahometanis? Cum ijs qui ex Deo loquuntur nihil sit submissius, nihil blandius, nihil ad ferendum errantes paratius. Exemplum sit Christus, & Paulus, quanquam & hodie haud obscure uideatur, qui hos quam superciliosos scribas & pharisæos malint imitari.

Nonne

Nonne Moses dedit uobis legem,

ANNOTAT. Quicunq; Euangelicas historias aliquando prestius considerarunt, ij norunt illas continere miscellanea quædam, quæ Euangelistæ sic congessisse satis habuere, ut ex pauculis illis gestis ac sermonibus, quos conscripserunt Christus agnosceretur, neq; fuerũt anxij, ut uel certo ordine singula, aut etiam sermones integros, uti à Domino habiti sunt, memorarent, hinc uidcas nonnunquam commodum initium, nunc finem deesse. Sic sane uideri possit, & præsens Domini oratio, qua de doctrina sua unde sit, & quam deceat illi habere fidem, ijs qui stupebant ipsum scire literas, quas non didicerat, respondit, non adeo commodo fine esse clausa, ac mox nullo quoque commodo principio & prærupte nimium subiectam alteram, qua satisfacit de opere sanitatis in sabbatho perfecto. Id uero eos qui solum Christum discere cupiũt, qui mirifice in his qualicunq; demum ordine, aut ratione congestis narrationibus relucet, minime offendet, quosque offenderit, certum est, eos neq; Christum uere quærere.

Miscellanea Euangelistæ scripserunt.

Quæ ergo hic dixisse Dominum Euangelista narrat, siue aliquid præcesit, ut ueri simile est, siue ita prærupte cœpit, apologia sunt pro eo, quod in sabbatho hominem, de quo supra, sanauerat. Primum autem argumentum eiusmodi est, ut eo Iudæos ab actione cõtra se deijciat. Moses inquit dedit uobis legem, & nemo uestrum est qui eam seruet, qua fröte igitur in me ita sæuitis, qui & si uidear

Prima ratio qua depellit Iudæos ab accusatione.

eam uobis transgressus, solus eam in omnibus impleo. Lex sane, dilectionem Dei & proximi solam in omnibus docet & requirit, hac illi uacui erant, ideo legem non faciebant, id est, non obseruabant. Sed ideo ut suam uelarẽt iniquitatem, transgredientes primora legis, in quibus solis sita pietas est legis, zelatores se legis simulabant in minutijs istis, rebus scilicet externis, uti sabbathũ erat & similia. Id quod illis Dominus Matth. 15. & 23. opprobrauit. Potiss. autem etiam hunc simulatum zelum suum, contra alios exerebant, quod & ipsum Dominus Matth. 23. illis obiecit. Importabilia siquidem onera colligabant &c. Sic & hic contra Dominum sæuientes, religionem ostentare uolebant, magis quam exhibere.

Respondit turba. Forte ignara erat eius, quod contra Dominum, primores fuerant, ut in quinto capite memoratum est, machinati, cumq; ipsi nihil tale contra eum cogitarent, dicebant Dæmonium eum habere, quod mortem intentari sibi quæreretur.

Altera ratio quod sabbathũ non uiolarit argumento ducto ab exemplo eorum.

Vnum opus feci: Altera ratio est, qua probat se sabbathum minime uiolasse, quæq; dixit, in summa ita habent. Equidem semel, id est, unum opus in sabbatho feci, uos sæpe, de me tamen tãquam sabbathi uiolatore admiramini, de uestris operibus non ita.

In sabbatho circunciditis hominem, nunquid id opus est, iam circunci sionem à patribus acceptam, Moses uobis tradidit, non ipse eam primus præcepit, sicut obseruationem sabbathi. Si iam uobis non uiolatur sabbathum, qui con-

qui contra legem Moscheh, opus in sabbatho facitis, eo quod opus illud patribus diuinitus traditum est, cur mihi succensetis qui in sabbatho opus feci, quod æque iussit pater, & est circunci sione multo præstantius. Ego enim totum hominem sanaui, cum uos circunci sione nihil aliud præstetis, quam ut homo externe populo Dei accensea-tur. Ne igitur iudicetis secundum aspectum, sed iustum iuditium iudicate, hoc est, factum ex se ipso, & lege Dei, nõ ex amore uel odio facientis æstimate. Dum enim ego opus in sabbatho feci, & tale, quod Deus maxime uoluit, iudicatis me sabbathum uiolasse, uos dum operamini sabbatho quod multo minoris momenti est, nihil tale censetis. Hoc non est iustum iuditium & ex ipsa re sumptum, sed factum secundum personæ respectum. Si iudicatis quouis opere sabbathum uiolari, iudicare debueratis sabbathum & à uobis uiolari, cum infantes sabbathis circunciditis, si autem eo illud non uiolatis, ut sane non uiolatis, neq; me uiolasse illud iudicare debueratis, qui in sabbatho feci, quod longe magis necessarium & utile fuit, quam sit circunci sio. De sabbathi religione supra quædã fol. 115. plura in Matth. cap. 12. Certe benefactis uiolari non potuit, etiam multo, quam erat hoc Domini collatum, illi qui iam diu morbo laborauerat, minoribus.

Dicebant ergo quidam ex Hierosolymitanis. Sect. 4.

ANNOTAT. Hi quia Hierosolymitani & Christi

aduersarij, ut ex uerbis eorum apparet, erant, tum forte etiam ex primoribus, scire facile potuerunt, quid contra Dominum principes Iudæorum moliti fuerant, utique ad mortem ipsum quærerent, mirantur ergo qui fiat ut illi quod contra eũ cogitarant, non excquerẽtur, sed ferrẽt libere adeo & palam eum in templo docentem. Dicebant igitur: Num uere cognouerunt principes hunc esse Christum? Neq; enim huc prolapsos credere poterant, neq; patebat alia causa, cur illum in templo docentem ferrẽt, id ergo eos male habebat, præsertim cum absurdum eis uideretur uel suspicari de Domino, eum Christum esse, idq; propter conuersationis qua semper offendebantur, humilitatem. Christum siquidem expectabant tam gloriosum & magnificum, ut cum uenisset, nemo scire posset, unde nam esset, hoc est, unde ei tanta potentia, gloria & felicitas adesset. Etenim 1. Moscheh 49. Ieschah. 9. 11. ac alibi in prophetis omni æstimatione maiora, de potentia & successu eius prædicta sunt. Cum ergo omnia Domini tam essent humilia, et uulgaria, ut nihil dignũ admiratione uideretur, omnesq; scirent unde esset, hoc est, unde sua haberet, signa enim et diuinos sermones, illi ut excæcati contemnebant, omnibus tanquam manifestissimum uideri uolebant, eum non posse Christum esse.

Præcipue tamen uidentur hanc de Christo opinionem, uenturũ eũ ut nemo sciret, unde esset, id est, unde sua tam magnifica haberet, ex uaticinio Mica. 5. accœpisse. Is qui dẽ nascitu-

rũ illũ Bethlehẽ prædixit, sed addidit egressus eius, id est, potentiam & opera esse ab initio, atq; à diebus sæculi, id est, in principio omnium rerum, sicut per eum omnia condita sunt. Hinc ergo expectabant Christũ de quo sciri non posset, unde esset, utpote cuius egressus, potentia scilicet et opera à principio mundi fuissent. Cum igitur nihil tale in Domino Iesu uideri uolebant, nihil minus quàm Christum eum censendum, uel ex hoc admodũ celebrato testimonio, iudicabant. Certe idipsum paulò infra iterum, sed priore sui parte contra Dominum obiecerunt, ubi scilicet prædicit Christum è Bethlehem proditurum. Hæc certiora uidentur, quàm si dicamus Iudæos tanquam insanos contra se ipsos locutos esse, quando dixerunt: Christus cum uenerit nemo scit, unde sit. Vbi enim nasci Christum oporteret, ut manifestum omnibus iactarunt, indeque conabantur probare Dominum non esse Christum, eo quod Nazareth natum arbitrarentur. Sed quia simul Mica prædixerat, egressus Christi esse ab initio, inde fama obtinuerat, Christum ea cum potentia uenturum & regnaturum, ut nemo suspicari posset, unde nam esset, quia infinito maiorem maioribus suis gloriam habiturum eum, persuasi erant. Et id quidem recte, si modo intellexissent simul mysterium humilitatis, qua illa potentia &, gloria usque in diem reuelationis eius tegenda erat. Nemo scit unde sit.

Admodum autem inconsiderate ij scribunt, qui natam hanc de Christo opinionem scribunt, ex Ieseh. 15. & Zacar. 9.

car. 9. in quibus locis prædictum est de Domini humilitate, in qua latuit. Nihil siquidē Iudæos æque offendit, atque nimia domini humilitas, eaq; præcipue plæbi probare, eū nequaquam Christum esse, conabantur. Hinc enim uideri uolebant, quæ in Domino uidebantur, minime respondere, ijs, quæ de Christo prædicta erant magnifica. Semper enim Iudæis, ut & hodie id potißimum obstitit, ne Dominum nostrum Christum esse credant, quod non agnoscunt in eo preclara illa, quæ de regno eius prophetæ prædixerunt. Miseri autem non sustinent credere, omnia ista primum in spiritu, fuisse inchoanda, & percipienda fide, cum autem uenerit consummatio, & dies gloriæ Domini tum omnia etiam externe & reuelate, in ipso aparitura.

Clamabat ergo Iesus in templo docens. Ex eo quod Euangelista docuisse Dominum in templo testatur, uidetur significare, eum cum authoritate & ex loco docentium, perpetuam ad plæbem orationem habuisse, interim tamen cum apud se cognosceret, quid de se in turba loquerentur, ad illa, cum res poscebat respondisse. Hinc cum Hierosolymitani illi dicerent, se ipsum noße unde esset, uolentes eo significare, nihil nisi filium Ioseph esse, & nullius precij hominem, respondit eis per ironiam, qua significauit eos falli neq; id scire, quod iactabant, nimirum, unde ipse esset, quippe qui à Deo uenisset, uereq; esset ab initio egressus eius. Clamabat uero, hoc est, elatiore uoce ista dicebat forte ideo, quod aliquantulum ab ipso ut uerisimile est, ab fuerint illi calumniatores, uel certe ut ita pondus maius uerbis

uerbis suis adderet. Et me inquit nostis. Id est, me non nostis, neq; unde sim nostis. Nam à me ipso non ueni, sed ab eo, qui solus uerax est, & uera certaq; omnia agit, missus sum. Hunc uos nō nostis, qui igitur scire poßetis unde sim? Ego autem noui eum, quia ab ipso sum, ipse misit me, hoc est, hominem fieri uoluit, cum apud ipsum essem Verbum eius & uerus Deus, substantia idem cum ipso. Quare & à me solo plenè ille cognoscitur. Attamen notum tandem, tam uobis, quàm electis meis fiet, uere me Dei filium esse Deiq; negociū egisse. Verus enim est, qui me misit, omnia complet & absoluit, unde & aparere tandem oportebit, id quoq;, quod in me & per me operari cœpit. Tum uidebitur, unde sim, & quis me miserit.

Sed est uerax qui misit me. Græce habetur ἀληθινός, id est, uerus, sed idem pollet cū illo, quo Euangelista infra sequenti capite usus est, cum ait: sed qui misit me, ἀληθής, id est, uerax est, item supra 3. ubi inducit Baptistā loquentem de Domino. Qui recipit testimonium eius, obsignauit quod Deus uerax est. Porrò ista quam Deo toties hic Euangelista tribuit ueritas, soliditas, certitudo, & plenitudo est operum eius. Vnde quod ait, sed est uerax qui misit me, perinde est ac si dixisset, qui misit me pater, solidus, plenus, certus, & perfectus est in operibus suis, ille cum me miserit, id faciet tandem, certis & solidis operibus suis abunde manifestū. Opa eius non possunt, ut hominū uana esse, aut nō ꝓfici, unde et me missū ab eo, eiusq; et uerba loqui, &

Psal. 115. qui, & negociũ agere, omnibus palã faciet. Omnis homo ideo mendax & uanus esse dicitur, quod nihil queat perficere, nihil absoluere, mutila sint omnia opera eius, & frustranei conatus, sic contra Deus solus uerax, quod eius omnia uerba certa, & opera plena & perfecta esse oporteat.

Quærebant ergo eum apprehendere. Sic diuinam in eo uirtutem oportuit manifestari, & confundi impios.

De turba autem multi. Vide isti cum Dei semen haberent, uidere in Domino potuerunt magnifica, nempe signa, quibus maiora fieri non poterant, hinc & Christum ipsum agnouerunt, nihil offensi humilitate uel generis, uel conuersationis, reprobi autem illi, nihil in eo, nisi humilia, & quibus offenderentur uidere potuerunt.

OBSERVAT. Obseruandum nunquam deesse impijs, quod contra ueritatem prætexant, sed & Dominum qui iusto iudicio eos abiecit, dare quoq; illis occasiones, unde excæcentur, sic certe fuit Iudæis, Christi cum humilitas, tum alia ferà omnia. Deinde notandum quoties Iudæi frustra Christo inijcere manus fuerint conati, quia nondum uenerat hora eius. Ita nos solum hoc studeamus, ut Dei gloriæ inseruiamus, reliqua curabit ipse, neq; accidet quicquam nobis, nisi cum nostra aduenerit hora, tum uero saluti erunt, quæcunq; acciderint. Postremo & hoc animaduertendum nunquam absque fructu aliquo uerbum Dei annunciari, utcunq; enim insanirent primores Iudæorum, è populo tamen plurimi Christo crediderunt.

Audierunt

Audierunt Pharisæi turbam murmurantem.

ANNOTAT. Adhuc pusillum temporis. Quasi dic. Sustinete paulisper, intolerabilis uobis sum, sed non ero diu, abibo paulò post, ad eum qui me misit, in consortium diuinæ maiestatis eius, ad quod uos nunquam peruenietis. Sed erit cum me quæsituri sitis, neque inuenturi, quando uos apprehendent mala illa, quæ uos manent, eo quod tam indignis modis oblatam uobis salutem respuitis, tum demum notum uobis pater faciet, quis ego sim. Impij olim agnoscent Christum.

OBSERVAT. Notatur hic iterum, eos potiss. ueritati aduersari, qui in mundo primi habentur ueritatis cultores, uti apud Iudæos Pharisæi erant atq; sacerdotum principes. Deinde animaduertendum & impios tandem cognituros CHRISTVM optaturosq; ab eo salutem, sed frustra.

In nouissimo die, illo magno festiuitatis.

ANNOTAT. Vltimus enim, hoc est, octauus festi tabernaculorum celeberrimus erat, quo uerisimile est maiorem populi frequentiã in templo ubi docebat cõfluxisse.

Stabat Iesus & clamabat. Vnde enim æterna uita est id omnibus optabat indicatum. A solo siquidem spiritu dei est, ut Deum cognoscamus, & de eius erga nos bonitate certi reddamur, tum referre ipsam erga proximos studeamus,

mus, hunc autem spiritum solus Christus donat suis, à fide igitur in eum, omnia pendent, ad hanc ergo potissimum cum hic, tum alias Christus hortatur. Illo uero: flumina de uentre eius fluẽt, significat credentes sibi, in æternũ absq; siti bonorum fore non minus, quàm illum siti laborare impossibile esset, qui fontem flumina faciẽtem, in uentre suo, in uisceribus suis haberet. Simili allegoria & supra usus est 4. Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ saliẽtis in uitam æternam. Spiritum utiq; sanctum nacti, & ipsi certi de bonitate Dei erga se, absq; siti sunt, & alijs quoq; solidam possunt consolationem, ex eodem spiritu, prædicando eis eandem Dei bonitatem, adferre. De amplo hoc & redundante spiritu, prædictum est Iesch. 44. Iechez. 36. Iohel. 2. & passim in prophetis. Certe quemadmodũ exuberans fons largissime uicinia sibi omnia rigat, ita est Christianus quibuscumq; adest, uerbo & opere, infinita & uera commoda adfert.

Nondũ enim erat spiritus sanctus. Hoc est, manifestior ille spiritus sancti afflatus, & efficacia, quæ post glorificatum Christum in credẽtibus apparuit, nondum erat, idq; quia Christus nondũ erat glorificatus. Ipsius enim iam regnantis erat eam uim spiritus in suos effundere, cum ergo antea crucifigi illum, quã regnare oportebat, utq; orbis uideret, quid morte eius nobis apud patrẽ impetratũ esset, amplissima illa diuini spiritus uirtus, super semen, hoc est, germanam sobolem Iacob, post quam Christus in cælum fuit subuectus, effundi primum debuit. Cæterum quicunq;

Nondum erat spiritus.

ab initio

ab initio mundi Deo crediderunt, spiritum DEI habuerunt, at non opulente adeo, atque largiter, tantáque efficacia. De his & supra fol. trigesimo nono. De spiritu sancto, & nominibus eius, 37.

OBSERVAT. Obseruandum ut ubiq; Dominus primas fidei, in se tribuat, ne igitur audiamus eos, qui querunt tur nimium illi tribui. Etenim cui persuaseris ut Christum suum saluatorem uere agnoscat, eum planè beasti, & neque poterunt suo tempore fructus iustitiæ in eo desiderari, cui hoc non persuaseris, nulla omnino alia doctrina bonum unquam reddes.

Mirari uero quis possit, cum audiret Dominus offendi eo Iudæos, quod Nazareth et non Bethlehem natũ ipsum putarent, quare non indicarit eis se æditum in hanc lucem, Bethlehem, & non Nazareth. Indubie id feciſſet, si hoc eis solum obstaculo fuisset, sed erant nati e Diabolo, neque potuerunt Christum amplecti, quare si non hoc, certe alio se offensos simulassent, ut impietatẽ suam uelassent. Offenderat hic ut pius et Nathanaelẽ, sed quia ueritatẽ quærebat, nihilominus DOMINVM nullo ad huc signo uiso adijt, auditurus quidnam doceret, aut promitteret. Isti autem tot uiderant signa, audierant sermones planè diuinos, quibus si ex DEO fuissent, ita indubie fuissent DOMINO addicti, ut de loco natali eius, aut non cogitassent, aut certe de eo DOMINVM rogassent. Sed quærebant tantum, quibus

ueritatem

ueritatem à se propellerent, non ut eam discerent. Iustõ ita q; Dei iudicio, ubi natus Dominus esset eos latuit, & occasio offendiculi eis fuit.

Sect. 7.

Venerunt ergo pontifices ad ministros.

ANNOTAT. Vis diuina, in uerbis Domini tanta exeruerat se, ut ministri non potuerint, manus illi inijcere. Sic perfacile est, Deo quoduis periculum auertere suis, etiam ubi nihil apparet præsidij.

Sed turba hæc. Quinto Moscheh 27. scriptum est, maledictus, qui non statuerit, omnia uerba legis huius, ut ea faciat, iam cum uulgus non posset omnia legis cognoscere, sicut erat onus importabile, maledictos illos pharisæi iudicabant, non animaduertentes, quod ipsi grauius legẽ transgrederentur, qui scientes quid lex in primis requirat, Dei timorem, & proximi dilectionem, adeo insane filio Dei aduersabantur, etiam in alios uacui misericordia & æquitate. Id quod uel iniquissimo, hoc suo de plæbe iudicio satis prodiderunt. Non aliter uero & hodie de laicis loquuntur nostri pharisei.

Ignorãtes legem maledicti.

Dicit Nicodemus. Vtcunq; hic non auderet aperte Domino patrocinari, factum est tamen eius interpellatione, ut in præsens concilium hoc pestilens dissolueretur.

OBSERVAT. Primum probe perpendendum, quàm mirabiliter Christum suum Deus in medio hostium suorum, & tam atrociũ, tamq; sanguinis eius sitientiũ, ac totics

ac toties manus illi inijcere tentantiũ seruarit, sic planè et nobis aderit, ubi gloriæ ipsius sedulo studuerimus.

In eo, quod pharisæi iactant, neminem principum credidisse, iterum notatur, quàm inuisa Deo sint quæ maxime mundus miratur. Quis ergo sanus cupiat in mundo excellere?

In Nicodemo uides, ut semen Dei suo tempore fructificet. Non uolebat hic Christo palàm adhærere, apud hostes eius sedebat, neq; patrocinari ipsi aperte audebat, attamen in totum eum deserere non potuit, credebat siquidem in eum, quanquam admodum infirme. Dum plus nõ auderet, legem obiecit, quæ iustum iudicium facere, & neminem nisi conuictum condemnare præcipit, eoque tantũ effecit, ne quid eo quidẽ concilio, contra Dominum statuerent. Vides igitur & in hac periculosa conditione, & infirma sua fide, fructum tamen aliquem hunc Nicodemum attulisse.

Semẽ Dei ubicũq; est tandẽ fructificat.

Discamus & hinc præterea, quã pernitiosum sit commentũ Catabaptistarũ, qui negant Christianum posse fungi magistratu. In hoc impio & crudeli concilio unus duntaxat fuit Christianus, isq; parũ firmus, quantũ tamen malum per hunc Deus auertit? Idem hodie multis in locis experimur, ubi pauci nonnunquã Nicodemi & Iosephi, hostibus Christi non consentientes plurima mala auertunt, & Dei gloriam mire promouent. Quos qui iusserit abdicare magistratũ, is ultro uult accersere lanienã bonis, offendicula infirmis, & materiam insaniendi contra Domi

num malis, utique alio, quàm Paulus, spiritu actus. Vt hic enim iubet orare pro regibus & principibus, ut placidam & quietam uitam agamus cum omni pietate & honestate. 1. Timoth. 2. ita indubie nihil prius optauit, quàm uel illos esse Christianos, uel Christianorum acquiescere consiliis. Nam ubi impij regnant, nihil minus quàm placide & tranquille uiuere possunt, qui uolunt pie uiuere & honeste. De his plura in Matth. in 5. cap. in illud: Audistis quod dictum fuerit, oculum pro oculo.

CAPVT VIII.

Sect. 1.

Iesus autem perrexit in montem oliuarum.

ANNOTAT. Agens Hierosolymis Dominus frequenter in hunc montem secedebat oraturus, idq; noctu ferè, die siquidẽ docebat in templo, populo gratiam patris adnunciãs, neq; enĩ erat, qd faceret præstabilius, aut hominibus utilius, cũ cognitio patris, et sui, sit uita æterna. De oratione & secessu ad orationẽ fuse dixi in Matt. 6. et 14.

Historia hæc nõ habetur in omnib. exemplaribus.

Adducunt autem ad eum scribæ. Hæc historia, non est attacta à Nonno, qui perpetuã tamen paraphrasim in Euangelion hoc Iohannis conscripsit, sed nec à Chrysostomo aut Vulgario, qui ijdẽ perpetua enarratione ipsum explicarũt, id argumẽto est, quod illorũ tempore Ecclesiæ eam non

non agnouerint parẽ, alijs historijs, quæ in hoc Euãgelio legimus. Attamen cũ nihil habeat Christo indignum, cum fructu et ipsa legi poterit. Viderant pharisæi mire facilem Dominum atq; benignum in peccatores, eoq; sperabant contra legem Moscheh absoluturum hanc adulteram, atq; daturũ ita caussam, ut ure in ipsum uiderẽtur sæure, tanquam legis Deteneuatorẽ. Magistrũ salutant, sed eo animo, quo & cũ de censurogarent. Dominus igitur ut tum ita hic, digno eos responso eluſit. Nõ iussit cõtra Moscheh absolui adulterã, neq; cum externi iudicis officio nõ fungeretur, uoluit pronunciare lapidandã. Sicut neq; opus fuit, nam legẽ illi apertã habebant, neq; rogabãt ut uerũ iudicium discerent, sed ut uenarẽtur, quo ipsum accusarẽt, hoc est, ut cõtra legẽ responderet. Digni uaq; erãt, quos in dubio, quid ipse sentiret, relinqueret, & suorũ scelerũ ita admoneret, ut præ pudore nõ auderent consistere. Id effecit occulta efficatia spiritus, cũ dixisset, qui absq; peccato est, primus in illã lapidẽ inijciat. Quid enim in terrã scripserit, nõ est memoratũ, quanq; uerisimile sit tale fuisse, ut ad idem quod agebat, nempe ad incutiendũ pudorẽ superbis istis hostibus misericordiæ, momentum aliquod attulerit.

OBSERVAT. Discendum hinc, Dominũ afflictis dare consolationem, et superbos confundere, idem & nos studeamus. Nemo uero hinc colligat, aut nõ puniẽda adulteria, aut punire nõ posse aliũ, q ipse peccato laboret. Nõ iudex externus scelerũ, sed preco Dominus aderat misericordiæ paternæ, ideo ipsius nõ erat damnare adulterã,

ſed ad reſipiſcendum prouocare, ſed neque phari ſæis re= ſpondendum erat, quod ſciebant, & de quo non niſi dolo quærebant. Cum autem Dominus teſtatus eſt, ſe non ue= niſſe, ut legem ſoluat, ſed ut eam adimpleat, quicquid ad promouendam pietatem & honeſtatem fecerit, nemo pu= tet ipſum uoluiſſe abrogare. Iam magiſtratus eſt tollere offendicula, et malũ è medio populi Dei ſubmouere, quia gladium geſtat in uindictam malorum, id cum ſtudet, De= us punit non ipſe. Neq; ideo quod peccator ipſe erit, legẽ de puniendis malis licebit tranſgredi, & peccatis pec catũ addere. Certe ſi nemo punire ſcelera debeat, niſi qui ipſe abſq; peccato ſit, omnia mala impunita manebũt. Adulte= riũ autẽ inter capitalia habendũ, leges Dei & pi orũ Cæ= ſarũ præcipiũt, ideo qui ad illud cõniuent, ut deũ grauiter offendũt, ita tranſgreſſionis ſuæ patronũ Chriſtũ nequaq; habebunt. Hic in præſenti doloſos et arrogãtes phariſæos cõfundere, & adflictã ac contritã peccatricẽ in ſpẽ reſipi ſcentiæ uoluit erigere, legem autem patris adeo neceſſariã & ſalutarem de puniendis adulteris, refigere noluit.

Sect. 2. **Iterum ergo Ieſus locutus eſt eis.**

ANNOT. Quia omnia pietatis & ſalutis ab eo pen dent, ut Dominũ, Chriſtũ & unicum ſaluatorẽ noſtrum agnoſcamus, ipſe totus ſemp in eo, omni doctrina ſua fuit, ut ad credendũ ſibi auditores prouocaret, atq; pſuaderet à ſe uno, uitã & omnia petenda. Hinc ſe ſupra panẽ, qui ui tam dat mundo, hic lucẽ uocat, quã qui ſequitur, nõ poſſit errare.

errare. Allegorijs enim ut & parabolis libenter propter uulgus, quibus ſic, ppoſita melius hærẽt, uſus eſt. Sic pro ximo capite inuitauit ad ſe ſitientes, & promiſit, nullã un quam ſitim ſenſurum, qui ad ipſum ueniſſet, hoc eſt, ipſum ſaluatorem agnouiſſet. His omnibus docuit, æternam uitã & ſpiritum ſanctum, in omnibus ducentem, omnia docen tem, ſanctificantem, plenéq; demũ perficientem accæptu rum, quicunq; ipſum certa fide, ut Chriſtum recœperit. Hic ſpiritus lumẽ illud uitæ eſt, lucens ad omnia ſalutaria, ne quis in hoc mundo impingat, néue in tenebris cupidita= tum, & iudicij rationis aberret. Quare qui Chriſto non credit, ſicut is hoc ipſius ſpiritu caret, ita neceſſe eſt in te= nebris eum ambulare, id eſt, ſequi rationem carnis, mala= rum cupiditatum ſeruam, unde nunquam non noxia ſibi quæret & ſectabitur. Quid enim non noxium ſit, quod quæras præterito Deo? At ubi hic deeſt ſpiritus, omnia Dei tibi ſtultitia ſunt, necpotes ea capere 1. Cor. 2.

Quid po= tiſs. docue rit Domi= nus.

Verum eſt teſtimonium meum. Hic uides per imita= tionem, uel conceſſionem Dominum ſupra quinto dixiſſe, ſi ego teſtificor de me ipſo, teſtimoniũ meum uerum non eſt. Quoniam enim ſciebat unde ueniſſet & quo abiret, id eſt, filius Dei eſſet, qui æternum Verbum patris exiſtens, hominẽ aſſumpſiſſet, ſed quem in gloriã patris paulo poſt ſubuecturus eſſet, hæc cum ſciret, hoc eſt, Deus uerus, & homo Deo plenus eſſet, non potuit niſi ueriſſima, hoc eſt, diuina loqui, eóque de ſe nihil quoque teſtari, quod non ita haberet. Neutrum autem agnoſcebant Iudæi, ideo eius de

se ipso testimonium, uerum credere non potuerunt. Simile est, si quis legatus ueniret à Cæsare, magna nomine Cæsaris pollicens, si iussa eius capesceremus, cumq; fidē ei negaremus, diceret: Ego scio unde ueni & quo uado, ego certus sum me Cæsaris legatum, ad hæc ipsa quæ proposui a mandatum, ad eundem et redibo, rationem gesti negocij redditurus, dignáque pro laboribus meis præmia accœpturus, proinde quæ de mea legatione testificor, uera sunt, uos autem qui nescitis unde uenerim, & quo uadam fidem habere mihi contamini.

Vos secundum carnem iudicatis. Id est, æstimatis me iuxta externam faciem, qua humilis & abiectus appareo, non autem perpendutis, quàm magnificis de me operibus pater testimonium mihi perhibeat. Ego non iudico quenquam, ut uos me uidetis homo, quia non sum tantum homo, sed simul Deus, quo hic quem uidetis homo, ita plenus est, ut si quid iudicem etiam ut homo, quando nihil homo agere aut iudicare possum, quod non agat & iudicet in me & per me Deus, iudicium tamen meum non possit non uerum esse. Solus etenim non sum, hoc est, non tantum homo sum, sed ego & pater unum sumus, quia & Verbum patris, & homo simul sum. Habetis ergo duorum testimonium, patris, hoc est, diuinitatis, & meum hominis, in quo tamen Deitas habitat corporaliter. Si iam lex, duorum hominum testimonium recipit, quanto magis uos meum hominis diuini, & patris Dei, testimonium de me recipere debebatis?

Solus non sum.

Neq;

Neque me scitis, neque patrem meum, hoc est, spiritu & doctrina patris cum uacetis, eoque me in quo omnia diuina sunt, & per quem solum Deus cognosci potest, non cognoscitis, frustra de patre meo inquiritis. Cum etenim in Domino omnia patrem indicarent & referrent, non potuit ulla ratione pater certius & plenius, quā per ipsum cognosci. Tantum enim in operibus suis DEVS & non in se cognosci potest, in CHRISTO autem illa luculentius, quàm uel in supremis angelis relucebant. Vnde & Philippo dicebat, qui uidit me, uidit patrem meum. Quanta enim DEI cognitio à nobis haberi potest, locupletißime tamē percipitur, cū quid CHRISTVS est, datum nobis fuerit cognoscere, qui nimirum nihil aliud est, quàm DEI iustitia, sapientia, redemptio & sanctificatio.

Per filium pater recte cognoscitur.

Hæc uerba locutus est Iesus. Vt iterum indicaret Euangelista, quàm mirabiliter pater Dominum in suo negocio seruarit, scribit quo in loco, ubi certe minime tolerabile erat, hostibus suis, hæc de se testificatus est, atque docuit, hoc est, multo pluribus, quàm hic sunt annotata, disseruit, nec tamen quisquam manum in eum misit, licet nihil prius cuperent. Iustas utiq; uidetur ad populū Dominus orationes habuisse, quoties eū docuisse Euāgelista memorat, quanq; Euangelista satis sibi duxerit, paucula ex illis, sed in quibus inesset Domini de se testimonium plenius, magisq; obseruandum, narrasse. Etenim preconis testis q;

officio Euangelistæ, idq; apud eos, qui iam Dominum fide recœperunt, non oratoris apud eos, à quibus nondum ut Christus agnitus est, fungi uoluit. De Christo enim persuadere, non hominum sed spiritus sancti est.

OBSERVAT. Obseruandum hic, quod & in singulis Domini sermonibus, ab ipso scilicet omnia petenda, quippe qui non homo tantum, sed & Deus sit. Deinde cum non posse cognosci, nisi à renatis, spirituque Dei præditis, id est, ijs, quibus id dat pater, quos intus per spiritũ suum docet, ac ita ad filium pertrahit.

Ego uado, & quæretis me.

Sect. 3.

ANNOTAT. Prioribus dixit, quid esset suis, lux scilicet uitæ, quanq; fœliciter agant, qui ipsum sequãtur, id est, ut Christum agnoscant, in his uero indicat, quid maneat eos, qui ipsum repudiant, nempe quod in peccatis suis moriantur. Nam cum ipse unus sit, qui nos ab iniquitate, in quam nati sumus, liberet, necesse est eos mori in peccatis, qui ipsum non recipiunt liberatorem. Dicit ergo: Ego abeo, carne scilicet, & gloriam recipiam etiam ut homo, quam ut Deus habui, priusquam hic mundus fieret, neque unquam deposui. Vos autem infinita mala, pro eo, quod me reijcitis apprehendent, tum optabitis salutorem, qui cum nemo præter me esse possit, me quæretis, & si inscientes, quanquam tandem sitis me quoque uisuri, eum qui sum, sed sedentem à dextris uirtutis DEI, & uenientem in nubibus cæli. Tum sentietis, quam infœliciter sapueritis uobis, cum me repulistis in hac uos ad uitam humilitate uocãtem, tũ enim optabitis sed frustra, me experiri saluatorem, quem modo, ut hostem Dei persequimini. Sed horum causa est, ego è supernis sum, hoc est, Deus & homo diuinus, & non de terra, aut de hoc mundo, nihil in me carnale, omnia diuina sunt, uos autem ita ab infernis & de mundo hoc estis, ut omni sensu & cognitione Dei careatis, hinc est ergo, quod uestra tantum quæritis, & quæ Dei sunt agnoscere non potestis. Quemadmodum igitur me unicum seruatorem respuitis, ita necesse est, ut in peccatis uestris moriamini.

Cur in peccatis moriantur qui respuunt Christum.

In primis quod & loquor uobis. Subobscurus est hic locus, neq; uidetur expeditius enarrari posse, quam à Nonno enarratus est, qui ita habet.

καὶ χριτὸς ἀνίαχεμ, ὅτιπερ ὑμῖμ
ἐξ ἀρχῆς ἀόριζομ, ἔχωμ νέριθμα δικάσδμ
καὶ λαλέδμ, id est. Et Christus respondit, quod quidem uobis ab initio dixi, habens innumera iudicare & loqui. Initio siquidem sermonis cum eis habiti, unde ferè omnes sequentes dimanarunt, qui supra quinto capite ab Euãgelista conscriptus est, dixerat Dominus sibi à patre omne iudicium demandatum. Vnde non inepte Nonnus intellexit, respondisse Dominum se esse eum, qui haberet multa, quæ iudicaret & loqueretur, hoc est, iudicem, ut omnium ita & ipsorum, id quod initio eis dixisset, cum primũ calumniam ei tanquam Dei blasphematori intentare cœpissent.

Nonni enarratio.

pißent, de quo supra quinto. Et in præsenti quoq; idipsum quadrabat responderi ad arrogantem adeo & superbam illorum interrogationem. Si cui autem hic sensus non tam perspicue haberi ex uerbis Euangelistæ uideatur, is perpendat quod subobscura sunt, & forte nullum dabunt, undique planum.

Sed ipsa Euangelistæ uerba subijciam. Principio inquit quod & loquor uobis, multa habeo quæ de uobis loquar & iudicem &c. Dixerat se non esse de hoc mundo, sed é supernis, atq; ideo abiturum, quo ipsi uenire nõ possent. Rogarunt ergo eum quis igitur eßet, si non eßet de hoc mundo, sed é supernis. Iam Dominus & alibi ex contemptu & dolo rogantibus, quis eßet, respondit se futurum ipsorum iudicem, quem uisuri essent sedentem à dextris uirtutis Dei, & uenientem in nubibus cæli, nimirum ut superbiam eorum retunderet, sic ergo & hic conueniebat, ut eorum arrogantiam & tumorem reprimeret, liberoq; responso se illis, & nequaquam illos sibi esse formidandos testaretur. Hoc ergo sensu responsum eius accipiendum puto. Rogatis me qui sim, qui quid sim, ex operibus meis pridem discere poteratis. Respondebo tamen, ut uideatis me & uobis quãlibet inuitis & minacibus auditoribus, audere ueritatem ingerere. Id sum, quod principio, id est, iam à principio huc usq; uobis loquor & prædico, nempe is filius Dei, cui pater omnium iuditium dedit, potestatem in omnia tradidit. Scitote igitur me habere multa quæ de uobis loquar, quibus uestram impietatem

Principio sum quod et loquor.

arguam,

arguam, & iudicem. Sed pater meus qui me misit uerax est, opera eius certa & plena sunt, is dabit igitur, ut quẽ modo in hac humilitate contemnitis, olim in maiestate ipsius, iudicem uestrum summo cũ terrore sitis suspecturi. Et enim quæcunq; ab ipso audiui, quæ certus sum ipsius esse uerba, hæc in mundo loquor, quare qui ea reijcit, patrem ipsum reijcit, grauißimoq; se iuditio reũ constituit.

Si quis autem illud τὴν ἀρχὴν durius sic ordinari putet, & malit ipsum ab initio ponere, uti & ab Euãgelista scriptum est, hæc sic accipiat. Principio respõdeo me esse id, quod iam dudum uobis loquor & prædico, eum cui pater omnia dedit in manus, qui omnia iudicabit. Sic idem sensus quidem habetur responsionis Domini, sed desideratur quod respondeat illi. Principio. Ordinem enim significat. Qu. d. Dominus primum hoc iã dico, me esse iudicem uestrum. Huic iam cõueniebat subijci, quid secundo diceret se esse & tertio. Hinc ergo est, quod dixi Nonni lectionem expeditiorem esse.

Vtcunq; autem istud τὴν ἀρχὴν accipiamus, satis ex præcedentibus & sequentibus patet, quod Dominus uoluerit respondere se esse, quem nequaquam ita deberent contemnere, sed potius summa reuerentia excipere, futurum ipsorum iudicem. Vnde cum non intellexissent, quod de patre suo fuisset locutus, quando dixit, ueracem qui misit se, & quæ audisset ab eo, se loqui, addidit. Quando ex altaueritis filium hominis, tunc cognoscetis, quid ego sim. Quid his aliud, quam suam iudiciariam potestatem illis

Quando exaltaueritis.

significa-

significauit & minatus est? Exaltauerunt autem Iudæi Dominum, cum se summe detecisse eum, affectum morte crucis ignominiosissima, putarunt. Ea siquidem morte, functioni eius seruili & erumnosæ finem imposuerunt, ut sic humiliatum filium, pater ad dexteram suam exaltaret. De hac exaltatione & supra 3. in illud. Sicut Moses exaltauit serpentem. Porrò illa, & à me ipso facio nihil, coniungũt quidã, illi, cognoscetis &c. quasi Dominus dixerit tũ, quando iam exaltatus fuerit, uisuros eos, quod nihil à se ipso fecerit, quod non fuerit opus patris, sed quod ea tantum locutus sit, quæ à patre didicerit &c. Sed possunt etiam legi, ut sint superioris confirmatio, in hunc modum. Olim cum me exaltaueritis per mortem, qua uos putabitis me penitus extinxisse, cognoscetis quid sim, primũ potentissime adeo se spiritu meo in credentibus mihi exerente, & omnes machinas uestras demoliente, deinde cũ uidebitis me à dextris uirtutis Dei uestrũ iudicem. Quia nihil à me ipso facio, nihil à me ipso loquor, quod non sit patris & opus & uerbum. Is me nunquam solum reliquit, semper mecum est, quia quæ ipsi placẽt, ea facio ego semper, imò ipse in me omnia agit, & loquitur. Quapropter graue uos manet iuditium, qui in me ita sæuitis. Non contra me ulem ut putatis hominem, sed contra Deum furitis. Alium igitur olim me sentietis, quam nunc credere sustinetis.

OBSERVAT. *Obseruandum est, quod ferè in omnibus sermonibus Domini, sine ipso actum de omnibus esse,*

esse, neq; posse nos nisi per ipsum, in cælum, quo ipse abiit peruenire. Ab infernis enim sumus, hoc est, caro sumus, unde ad terrena tantum propendemus, Dominus autem è supernis est, quia & Deus est, & homo spiritu Dei plenus, nulliq; peccato obnoxius. Hic igitur solus in cælum ascendit, quia semper est in cælo, de quo supra 3. Nobis uero tum dabitur eodem uenire, cum ipse nos suo spiritu innouarit, & sibi ipsi ita inseruerit, ut unum cum ipso simus, sicut ipse homo cum patre unum est, quod ut suis infra 17. orauit, ita & dare solet. Deinde animaduertẽdum patrem ueracem, qui quæcunq; incœpit, non potest non perficere, id debet & nobis spem confirmare, perfecturũ eum, & quæ cœpit in nobis. Præterea nõ prætercundum id esse argumento, nobiscum Deum esse, si faciamus, quæ illi placita sunt. Exemplum quoq; in Domino est, ut in omnibus spectemus quæ sit bona patris uoluntas, neq; dicamus aut faciamus, qd' nostri nobis affectus suggesserint, sed quæ didicerimus à patre.

Hæc loquente Domino, crediderunt multi in eum, hic uides ut nunquã desint apes, quæ ex floribus uerbi Dei, mel sugant, utcunq; inde aranei uenenum hauriant.

Dicebat ergo Iesus ad eos, qui crediderant ipsi.

ANNOTAT. *Verisimile est, et hypocritas, ut ferè fit, fuisse inter hos qui Domino uidebantur credidisse, adnotandum ergo hos, & confirmandum eos, qui uere crediderant,*

diderant, dixit Dominus. Si manseritis in sermone meo, hoc est, totos uos doctrinæ meæ consecraueritis, cœpisse enī nihil proderit, ueri discipuli mei eritis, doctrinæ meæ uere capaces, unde & ueritatem rite cognoscetis, ipsam utiq; sapientiam æternæ uitæ, qua quæ uere bona sunt, et intelligetis & amabitis, nacti. Hæc tum ueritas, uera scilicet scientia salutis, liberos uos reddet. Vt enim Deum recte per illam cognoscetis, ita nihil licebit quoq; quā ipsi uiuere, quæ caro concupiscit, noxia plane agnoscetis, ab illis igitur abhorrebitis, neq; iam trahent uos affectus uestri, ut antea seruos, sed ut liberi reprimetis illos, uitamq; cælo Deoq; dignam meditabimini.

Quomodo ueritas liberet.

Amen amen dico uobis, qui facit peccatum. Non enim intellexerant illi, de qua libertate fuisset locutus, cum semen Abrahæ essent, ideo liberos sese arbitrabantur, explicabat ergo Dominus, se de animorum libertate locutum et dicebat: Qui facit peccatū, seruus est peccati. Nemo enim ultro, quod malum est facit. Nisi igitur & iuditium deprauatum, & corrupti affectus præualerent, homo nunquam peccatum faceret. Seruus igitur peccati est, hoc est, prauæ cōcupiscentiæ, quæ naturæ peccatum est, quisquis peccat. Iam ut huic pestilenti iugo colla subducamus, unus nobis Christus præstat, libero donatis spiritu, qui & si in præsenti, non omnem peccati, hoc est, deprauati animi tyrannidem extinguat, fortiter tamen eam reprimit, neque cedit, donec prorsus illam deiiciat, & eliminet. Recte itaq; dixit. Si filius uos liberos reddiderit uere liberi eritis.

Seruus peccati q peccat.

Vtq;

Vtq; ad ambiendam hanc à se libertatem illos magis inciaret, simile adiecit de seruo, qui in domo non semper manet, cum filius semper maneat, quo significaut nos omnes filios D E I fieri oportere, id cum non nisi per ipsum unigenitum consequi possimus, recte intulit. Si igitur uos filius liberauerit, uere liberi estis. Dat enim ille spiritum, quo libere & pronis animis quæ Dei sunt sectemur, quæ sola uera libertas est. Quid enim profuerit carne orbi imperare, & animo esse seruum mortis? Etenim dum in nos concupiscentia imperium obtinet, agit ut ad peccatum, ita & ad mortem. Stipendia siquidē peccati mors, & si secundū carnem uixerimus, moriemur. De hac seruitute peccati, et libertate Christi, lege plura Ro. 8.

Vt filius liberet.

Scio quod semen Abrahæ estis. Hæc proprie ad hypocritas, & hostes suos Iudæos, non eos qui sibi uere crediderant dixit, quanquam & his uoluerit per hæc indicare, carnis libertatem pro nihilo apud Deum haberi. Docuit ergo ex operibus æstimandam ueram & libertatem, & nobilitatem. Nihil referre carne ex Abraham natū esse, si nō habeatur & spiritus Abrahæ, unde & uita atq; studium Abrahæ sequatur. Iam Abraham credidit Deo, & studiose coluit nuncios Dei, isti aūt ueritati Dei, per Christum adeo nō potuerunt credere, adeo sermo Domini, qui nihil tamē loquebatur, nisi quod uiderat apud patrē, hoc est, certo sciret beneplacitum patris, locum apud illos nullum habebat, tamq; aberat, ut eū sermonem, Dei sermonē agnoscerent, ut propter eundē, qui ipsa saluifica ueritas erat, interficere Dominū cuperēt. Hinc ergo iure intulit,

Quare Iudæi filij Diaboli.

eos nequaquam esse filios Abrahæ, quorum opera, id est, studia, studijs Abrahæ essent tam dissimilia, multo minus Dei, cuius filium & uerbum per filium prædicatum adeo non agnoscerent, qui tamẽ nequaquam à se ipso uenisset, hoc est, non esset tantum homo, neq; humana, sed omnia diuina loqueretur, uerum filios esse Diaboli, quem nimirum mendatij, & homicidij authorem & suasorem, odio ueritatis, & persequutione adnunciantis illam, studiose & plene referebant.

OBSERVAT. Obseruandum quæ uera libertas, & à quo petẽda. Non trahi siquidẽ ad iniquitatem, & principali spiritu præditum esse, ut libere Deo uiuas, ea uera demum libertas est, eamq; solus Christus, qui donat spiritũ huius libertatis, confert. Animaduertendum deinde ingenium impiorum, qui placent sibi semper in ijs, quibus nequaquam meliores redduntur, ut est à sanctis genus docere, uel institutum accœpisse, aut aliud quippiam externum, uel à sanctis, uel cum sanctis commune posidere, contra autem D E V M à uita, à studijs, ab animo nos æstimare. Cæterum de ueris & germanis filijs Abrahæ Rom. 4. Gal. 3. & 4. plura. Neq; prætereundum eos non posse Christum, simulatq; prædicatus eis fuerit, non amplecti, quicunq; Deum patrem habent, id est, qui ex electis sunt, qui seminis Dei aliquid posident. Ilico siquidem agnoscit mens, Dei sensu prædita, ubi Deus, ubi uerbum eius. Contra qui ex patre Diabolo sunt, id est, reprobis, illi iuxta desideria Satanæ, ad mendacium, contra ueritatem,

tatem, eius q; professores perpetuo aguntur. Nota etiam Diabolum, Eb. Satanam, patrem dici mendacij & omnis peccati, quod omne mendatium & peccatum, per ipsum in orbem uenerit.

Ego autem quia ueritatem dico, ideo non creditis mihi. Sect. 5.

ANNOTAT. Probat hic Dominus Iudæos nõ Dei, sed Diaboli patris mẽdacij filios esse, quia nõ alia caussa, quã quod ipse ueritatẽ loqueretur, illi sibi nõ crederẽt, id est, non reciperent, præceptorem ueritatis, nihil enim poterant aliud caussari, nullius culpæ ipsum accusare. Subijcit igitur caussam cur sibi non sustinerent credere. Qui ex Deo est inquit, id est, qui Dei spiritũ habet, qui à Deo electus est, is audit uerba Dei, & fide recipit, hæc igitur & nulla alia caussa est, cur uos, quæ loquor Dei uerba nõ auditis, non recipitis, mihi non creditis, hæc enim omnia idem pollẽt, quã quia nõ ex Deo, sed Diabolo nati estis. Cur non crederent Iudæi.

Responderunt igitur Iudæi. Ita solet cõuicta impietas, dum nõ habet quod respõdeat ueritati, cõuertit se ad cõuitia. Conuicti erãt esse filij Diaboli, regerũt ergo mera animi impotentia, & nulla uel similitudine ueri Dominũ habere Dæmonium, & esse Samaritanum, quo uolucrunt intelligi, eum esse legis & cerimoniarum Dei transgressorem. De hoc & supra 4.

Ego Dæmonium non habeo. Contentus fuit simpliciter maledictũ depulisse, nisi quod simul admonuit eos iu-

 ditij, quod

tij, quod ipsos maneret. Eo quod ait: Sed honoro patrem meũ, reiecit, quod ipsum Samaritani nomine transgressorem legis, atq; ita contemptorem Dei uocarant. Vt uero fortius suo more adsereret, ad quid uemisset, quid ũc ab ipso expectandum esset, nam erat illis, ne quid postea præ texerent ignorantiæ, ueritas apertißime indicanda, dicebat eis Amen amen dico uobis, si quis sermonem meum seruauerit, id est, receperit fide, uerumq; agnouerit, non uidebit mortem. Nam certa expectatione beatæ resurrectionis istiusmodi, corpus dum fatum urget, somno uerius quam morti cedunt, interim animis perpetua & beata in in Domino uita perfruentes, de quo supra cap. 3. 5. & 6. plura.

Abraham mortuus est. Argumentum Iudæorum est, mortuos fuisse, non solum qui Abrahæ & prophetis crediderunt, uerum etiam ipsos, hinc insanum uideri uolebant dictum Domini, tanquam se absq; ulla ratione sanctiß. patribus & prophetis præferentis.

Si ego me ipsum glorifico: nimirum homo, sine testimonio diuinitatis. Id autẽ cũ non potuerit, dicta sunt hæc per imitationem uel concessionem, uti & supra plura. Cæterum quod dixit se à patre glorificari, quem ipsi dicerent Deum suum esse, nec tamen cognoscerent eum, se autem ipsum ita cognoscere, ut si id negaret, non minus mendax esset, quam ipsi dicentes se illum cognoscere, eo quod uerbum eius seruaret, hoc est, uerum haberet, esset q; ei penitus addictus, hæc omnia & responsio fuere, ad illorum obiectionẽ,

obiectionem, an se Abrahamo maiorem faceret, & præmunitio, ad sequens dictum, quo adfirmauit Abraham exultasse, ut uideret diem suum, hoc est, reuelationẽ quæ facta est, dum in carne apud homines cõuersatus est, iamq; uidisse eã & gauisum esse. In quibus uerbis se nõ solũ maiorẽ Abrahamo, sed et saluatorẽ Abrahami confessus est.

Hic uide rursus, ut longe plura semper sancti in promissionibus sibi factis, quam uerba uideantur indicare, intellexerint. Promiserat Abrahã Deus, semen eius se multiplicaturum, sicut stellas cæli, & illud portas inimicorum suorum possessurum, tum per semen eius benedicendas omnes nationes terræ. Quis ex his uerbis aliud accipiat, quam Deum uoluisse posteritatem Abrahæ numerosissimam & uictoriosam reddere, tum ita felicem, ut ex ea commoda accipiant, omnes quoq; gentes orbis? Quid hic proprie de Christo? Attamen hic de Christo, & unico populo eius, qui est Ecclesia credentiũ, factam promissionẽ, Paulus Galatis affirmat, et iure quidẽ. Quid enĩ ab Ebræis ad gentes unquam peruenit, quod benedictio uere possit dici, quam cognitio Dei, doctrinaq; pietatis? Neq; sane benedictio fuit, quod interdum gentes aliquot in seruitute detinuerũt. Iam quando & per quem hanc benedictionem tandem gentes peceperunt? nunquid per Christum qui diruto medio pariete, ex utroq; populo unum fecit, qui Apostolos suos ad gentes misit, qui spiritum suum gentibus æque, imò amplius, quã Ebræis donauit? Huius ergo diei, huius aduentus CHRISTI & reuelationis,

Quæ Abraham in sua promissione uiderit,

cum Abraham promißionem acceꝑisset, certusq; factus se ista uisurum, exultauit, gaudio indicibili ob futuram hãc orbis redemptionem, perfusus. Iam uero hæc Christo homine facto, munusq; suum obeunte, bona ex parte uiderat facta, unde sciebat breui & alia subsecutura, indeq; rursum gauisus est.

Sancti plura de Christo intellexerunt, quam cortex uideatur literæ indicare.

Sic & alij sancti longe plus de Christo, etiam ex scriptura intellexerunt, quam cortex uideatur literæ indicare. Inde certe fuit generalis illa atq; uulgata Christi expectatio, iam non apud Iudæos solum, uerum etiam apud Samaritanos, nec dubium quin & apud gentes, id quod testantur uaticinia Sybillarũ. Literam autem tectiorem esse Dominus uoluit, ut uidentes non uiderent, & mensa in lapidem cederet reprobis, hinc uelum certe ob oculos Iudæorum positum, usq; in hunc diem perseuerat.

Amen amen dico uobis. Quia iterum dicturus erat q, Iudæis paradoxon erat, addit asseuerationẽ suam. Dixit aũt, quod & aliâs, se nõ tantũ hominẽ, sed & Deum esse, qui semper fuerit, qua ueritate effecit, ut uellent eum lapidare. Quod uero dixit, id significat, quod: In principio erat uerbum.

OBSERVAT. Iterum notandum discrimen electorum & reproborum, hi nõ possunt Dei uerba, hoc est, ueritatem Christiq; doctrinã audire, id est, fide recipere, etiam si nihil in ea queant culpare, contra illi nõ poßunt, ei non accedere, ac ita addicere se, ut nullis ab ea cruciatibus diuelli queant. Aeternam enim in illa uitam habẽt, seruant igitur eam, id est, fide perpetuo ei adhærent, ac ita

mortem nunquam uident, animis semper beati, etiamsi ad tempus dormiat corpus. Hi cognoscunt quoq; Deum, & honorant, reprobi neutrum poßunt, sed persequuntur Dei precones, & Deum blasphemant. Præcipue autem animaduertendum, sanctos uiuere, uidereq; apud Dominum, gloriæ eius profectum, atq; inde gaudere. Deniq; notandum Christum, & semper fuiße, eoq; Deum esse, ac etiam semper fuisse sanctorum gaudium & salutem.

CAPVT IX.

Et præteriens uidit Iesus hominem cæcum. Sect. 1.

ANNOTAT. Tempus erat, ut apertius potẽtiam suam Dominus reuelaret. Quã autem id saluti erat pijs, tam erat pernicioi impijs, sed hactenus & ipsis gloriæ Domini deseruiendum fuit, uerum sic, ut magis excæcarentur. Huc seruijt, quod & huic cæco, sabbatho Dominus uisum donauit.

Neq; hic peccauit &c. Hoc est, potißima causa, ut hic cæcus nasceretur fuit, ut gloriæ Dei illustrandæ esset occasio, non uel ipsius uel parentum eius peccatum. Cæterum tamẽ solẽt morbi ob peccata immitti, ut supra sexto, & 1. Cor. 11. præter ea, quæ 3. Moschch 26. legimus, docemur. Et hæc causa fuit, ut rogarent discipuli, cuius culpa ille ita natus esset. Non enim uidebatur peccare potuiße

antequam esset natus, neq; uidebatur dignũ, ut ob parentum peccata filius pœnas daret. Significauit ergo Dominus, etiã mala immitti hominibus, ut in eis gloria Dei illustris fiat, uasa enim Dei sunt, & debent quouis modo, gloriæ inseruire cõditoris sui. Gloriã Dei uides hic, p saluatricc eius potentia accipi, ea enĩ in hoc cæco fuit manifestata.

Me oportet operari. Diem uocat tẽpus præsentiæ suæ, & iure quidem, lucebat enim ipse tum sol iustitiæ, radijs doctrinæ, & operum uitæ æternæ. Noctem uocat tempus in quo ex decreto patris uacaturus esset, ab eiusmodi operibus & doctrina. Ea nox Iudæis ingruit, cum et ab ipso & Apostolis eius deserti fuere. Ipse enim lux mundi, hoc est, omnium hominum est, dum est in mundo, idq; nõ solum suo corpore, sed multo magis suo spiritu, & per Euangelion. Illud: Nox uenit, cum nemo potest operari, de uita præsenti, quidam intellexerunt, indeq; collegerũt, tantum in hac uita nos posse, bona & Deo grata operari. Sed si quis consideret ipsa Domini uerba, manifesto uidet noctem ab ipso uocari, tempus suæ absentiæ. Et quod ait uenit nox in qua nemo potest operari, allusit more suo ad noctem uulgarem, in qua non possunt homines operari, hinc allegoricos significauit, instare quoq; tẽpus, in quo ipse, ut à Iudæis abiturus, ita nihil quoque esset apud eos operum salutis, quæ tum faciebat, operaturus. Hoc igitur tempus duplici nomine nox Iudæis futurũ erat, & quod abfuturus esset eis sol iustitiæ, qui solus sua præsentia diẽ gratiæ facit, et quod idẽ tãquam in nocte, nihil esset apud illos, pro illorũ salute facturus.

De qua nocte hic Christus.

Expuit

Expuit in terram. Ex mysticis illis operibus hoc fuit, de quibus supra in fine fol. 80. & fol. 87. diximus. Iis rebus usus est ad aperiendũ huic cæco oculos, quibus nemo dubitare potuit, huiusmodi uirtutẽ nequaquã inesse, sed totum opus esse uirtutis ipsius, hinc itaq; monuit, nõ minus & in alijs quibuscunq; operibus, omnia se solum, sua uirtute perficere, quodq; adhibere, tanquam cooperantes aliquas creaturas dignatur, nequaquã id propter opus fãcere perficiendũ, sed propter honorandũ creaturas suas, quas ita ad bonitatis suæ mimsteriũ, et uirtutis suæ cooperationẽ, admittit. Cæterum in Matth. aliquoties indicaui, quod Dominus quosdam, solo uerbo, quosdam uero contactu corporis sui sanauit, hoc cum indicasse precium carnis suæ, p quã salutẽ nostram operatus est, illo uero etiam absente carne sua, uerbo'se omnia posse pficere, ne displiceremus nobis, quibus corporis sui præsentiam subduxit.

Operatrix stica.

Piscina Siloam: ἡ κολυμβήθρα erat, id est, natatoriũ, sicut & illud supra 5. Hieronymus qui in ea regione habitauit, & oculis suis omnia conspexit, ita scribit in 8. cap. Ieschi. Siloam autem fontem esse, ad radices montis Sion, qui nõ iugibus aquis, sed incertis horis, diebusq; ebullitat, & per terrarum concaua, & antra saxi durissimi, cum magno sonitu ueniat, dubitare non possumus, nos præsertim qui in hac regione habitamus. Hæc ille. Ex hoc igitur fonte, maxime cum interruptis uicibus manet, & sit in ea regione aquarum penuria, facta erat natatio, quæ et ipsa Schiloach dicebatur. Nã Nehemiah 3. ברכת שלה

Siloam.

שלח, id est, piscina uel natatio Schiloach legimus, quã etiam à Ieschá notatam ueri simile est, cum opprobrans populo, quod contempto regno Iudah, ad uirtutem respexisset regum Syriæ, & decem tribuum, per metaphoram regnum Iudah uocauit aquas Schiloach leniter euntes. Id enim de fonte, si magno cum sonitu ut credendum Hieronymo uidetur ueniat, nõ cõmode diceretur. Chald. dicitur שילוחא Schilucha, inde Græci ꝑ σ suo σ usi, extrita aspiratione ח & ad finem μ adiecto, fecerunt Siloam. Id uero missum significat, quod & Euangelista more suo interpretatus est. Mysticos intellectus, ne dicam confictos requirant alij. Euãgelistas scio dedisse operam, ut quorum ipsi monere uellent, ea aperte indicarent. Et hic satis didicero, si Christum meum omnium habere potestatem, & saluificam suorum, rite agnouero.

OBSERVAT. Obseruandum primum, omnia quæ nobis accidũt gloriæ Dei seruire, æquanimiter igitur illa feramus. Figmentum Domini sumus, et si ipsum agnoscimus, quocunq; suã in nobis gloriã ipse illustrat, eodem et nostram salutem promouet. Deinde obseruãdum. Si Christus lux mundi est, non esse mirum si ita mundus insaniat et horrende omnibus in rebus impingat, dum ille uerbo & Euangelio, eoq; & spiritu suo ei abest. De his & in 1. cap. & supra 8.

Sect. 2. Itaque uicini & qui uiderant eum.

Obseruat.

OBSERVAT. Obseruandum ut omnia Deo inseruiant. Etiam quod mendicus hic fuit, momentum ad gloriam DEI aliquod habuit, hinc enim multis notus erat, idq; caussam tum dedit, ut ad notitiã plurimorum hoc Domini factum perueniret. Ad idem seruijt, quod & Sabbathum esset, tum enim homines uacabant, et templũ ante quod cæcũ istum sedisse mendicantẽ, ueri simile est, frequẽtabant. Deniq; quod et ad pharisæos ductus fuit, ad idem cõtulit. Videntur autem illi uicini & noti, cæcũ nequaquã malo animo ad pharisæos duxisse, sed quod cupiuerint illis indicare, Dominũ quem ita persequebantur, nequaquã esse hominem malum, qui tantum scilicet fecisset miraculum. Sed notandum rursus ingenium impietatis. Tam inauditum D. potẽtiæ miraculũ adeo nihil potuit mouere illos, ut mitius de Domino sentiret, ut ilico inde calumniæ occasionem arriperent, quod Sabbatho illud fecisset.

Id uero quod dicebant. Quia Sabbathum non obseruat, significationem habet, & prioris signi, Sabbatho æditi, de quo supra 5. Quasi dix. iste Sabbathum pro nihilo habet, iam secundo illud uiolauit. Videntur enim mihi quæ Euangelista quinto capite narrauit, cum ijs, quæ 7. & sequentibus, haud multum inter se distantibus temporibus accidisse, neq; multum antequã Dominus passus est. Sub tempus enim supplicij Dominus clarius diuinitatem suam cum uerbis, tum factis exeruit, iam noster Euangelista ea præcipue, quibus Domini diuinitatem ostendere posset apertius, sibi narrãda desumpsit, quare quæ gesta, quos q; Iste Sabbathũ non obseruat.

Domini sermones memorat, maiore ex parte, ex ijs quæ cum non procul abesset tempus imolationis eius, facta dictaq; ab ipso sunt, esse credidero.

Quod autem non tam is qui fuerat cæcus, quàm & alij hoc facto Domini moti, nequaquam eum pro homine peccatore, legisq; Dei contemptore, uti eum pharisæi criminabantur, sed pro propheta, id est, diuino homine agnouerunt, in eo uides ut semper, utcunq; mali factis dictisq; eius perpetuò offenderẽtur et peiores fierẽt, electis tamẽ saluator, cum uerbis tum gestis suis fuerit. Sic et nos dum pro uiribus operibus Dei institerimus, quãquam semper id malo cedat reprobis, frugem tamen bonam semper adferemus electis.

Sect. 3. **Non crediderunt ergo Iudæi de illo.**

OBSERVAT. Vide hic ut quærat impietas, quo pietatem calumnietur, præter spem sane, sperabant hunc nõ esse, qui cæcus fuisset, ita agebat illos Satan. Ex eo, quod conspirauerant Iudæi eos eijciẽdos Synagoga, qui confiterentur Dominum, Christum esse, animaduertimus, iam tum eum esse Christum, paßim percrebuisse. Hinc etiam notandum, quã sit intolerans ueræ iustitiæ mundus. Quæ unquã maior innocentia, quæ maior modestia, quæ maior in omnes officiositas uisa erat, quã in Christo omnibus cõspicabatur, hunc tamen tanto potuerũt odio persequi, qui in mundo erant optimi, ut etiã bona tantũ de eo, eaq; uerissima testantes, indignos sua comunione haberẽt, idq; prætextu

textu iustitiæ studijq; Dei. Quid igitur turbet, cũ & nos mundus odio habet, extraq; suas Synagogas eijcit?

Sect. 4. **Vocauerunt ergo rursum hominem.**

ANNOTAT. Nos scimus quod hic homo peccator est. Peccatoris nomine intellexerunt eum qui studio, & citra pudorem peccaret, qualem nos, nebulonem, uel scelestum, uocamus. Nam significare uolebant, Dominum data opera legem Dei transgredi, unde quod hic dixerunt perinde est, ac si dixissent Germanice, uuir uuissen das der mensch eyn lecker und buob ist, id est, scimus hunc nebulonem & sceleratũ esse. Tales utiq; habebantur, & qui alibi in Euangelicis historijs, peccatores cognominãtur. Scimus q̃a peccator est.

Dixi uobis iam, & non audiuistis. Hic uide, uerbo audire, Euangelistã, pro credere, uti. Nam hoc: & non audiuistis, idem pollet, ac si dixisset, & non credidistis, quid igitur uultis id iterum audire. Ecce posterius audire accœpit simpliciter, prius autem pro credere. Quid audire.

Non scimus unde est, hoc est, unde nobis missus, et cuius spiritu instructus aduenat, quare hoc dictum, ut absurdum, recte ille qui cæcus fuerat, obiecto miraculo in se facto, reiecit. Illud enim satis testabatur, unde Dominus esset, nimirũ à Deo, quia ut commodũ subiecit, Deus peccatores, id est, malis studijs intentos, nõ audit, ut scil. uirtutem suã ad eorum precationẽ, & ad hoc ut ipsi in precio habeãtur, sic declaret, sed pijs et suæ uoluntatis studiosis, hunc in modum adesse solet. Inauditum erat, quod fecerat Dominus Nescimus unde sit.

Dominus signum, unde apertißime patebat, ipsum à Deo esse, id est, diuinitus missum, & negocium Dei agere, uirtuteq; diuina esse instructum.

Hinc etiam roboratur quod supra 7. in Sect. 4. diximus, de eo. Hunc scimus unde est, Christus autem cum uenerit, nemo cognoscet unde est. Vt nanq; hoc suo dicto Iudæi significare uolebant, se scire Iesum filium Ioseph esse, neq; nisi humana et nihili uirtute ac sapientia, præditum. Christum autem uenturum, ea uirtute & sapientia, ut nemo posßit inire rationem, unde ueniat, unde tanta accipiat, quis tantis eum ualere donet, sic eo, quod hoc loci dixerunt, nescimus unde sit, dicere uoluerunt, se scire, quod sua Moses à Deo accœperit, nescire autem, unde Dominus sua, quæ docebat et agebat. Atq; ita impleuerunt partim illud de Christo uaticinium, quod ipsi iactarunt, fore tam admirabilem Christũ, ut nemo posset cognoscere unde tanta uirtute & sapientia præditus ueniret, ipsi siquidem hoc cognoscere non potuerunt. Cæcus autem hic & alij pij ex signis quæ faciebat, cognouerunt quod à Deo esset, & Deus ista omnia per ipsum operaretur, plenam tamen & ipsi, huius cognitionem habere non potuerunt, ut & in ipsis idem uaticinium impleretur, quia utiq; deitatem Christi plenè non agnouerunt. At illã pernouisse, est plenè demum scire unde Dominus sit, hoc est, quod à Deo & ipse Deus sit.

Quid illud: Scimus, uel nescimus unde est.

Non potest facere quicquam, subaudi, huiusmodi. Nullum enim tantũ signũ faciet, qui non id accœperit, à Deo.

In peccatis

In peccatis totus natus es. Id inde, quod cæcus fuerat, colligebant, sed falso, nam non ideo ita cæcus natus fuerat, quod uel ipsius uel parentum, in eo peccata punirentur, sed ut Domini in eo manifestaretur gloria.

OBSERVAT. Præter furorem & ardens calumniandi studium in phariſæis, quod & in superiori Sectiuncula graphice satis depictum est, obseruanda est, & constantia huius qui cæcus fuerat. Sic sanè solent quicunq; Christi cognitione uere donati sunt, quibus inde, ut huic quoq; usu uenit, expectandum est, ut à primoribus mundi, hominum consortio indigni iudicentur.

Audiuit Iesus quod eiecissent eum foras. Sect. 5.

ANNOTAT. Tu credis in filium Dei? Et hic uides filium Dei, uulgo Meßiæ cognomentum fuisse, quod utiq; in ipso Dei imaginem perfectißime refulsuram, omnes expectarent, de hoc & supra ca. 1. in Sect. decimã.

Credo Domine. Adoratione hac Dominum ut Christum agnouit. Sic citra morã ad filium perueniunt, quos pater traxerit, id est, qui audierint à patre, & didicerint.

In iudicium ego in hunc mundum ueni. Iudicio res mutari solent, ipse uenerat eas penitus inuersurus, nempe ut non uidentes, iam uiderent, & uidentes cæci fierent. Alludit autem ad id, quod illi cæco dederat uisum, quasi dixisset. Vt ego te, qui nihil uidebas, uidẽtem reddidi corpore, ita & te, & alios, quos oculati illi & sapientes mundi, ut

cæcos

Cæci uidẽt uidẽtes cæci fiunt.

ut cæcos in rebus Dei contemnunt, quiq; etiam nihil earum rerum uidebatis, sed neque uolebatis haberi illarum uidentes, oculis dono spiritus, ut ista peruideatis, ametis & posßideatis æternum beati. Contra uero, oculatos illos sapientes, qui multa sanè uiderunt, uulgo incognita, et plura adhuc uidere sese arbitrati sunt, fulgore ueritatis, quã docco, quoniam oculis spiritus, nati ex Diabolo carent, omni cognitione ueri nudo, ut omnem sensum recti amittant, planeq; cæci, cõtra me lapidem angularẽ, immotum omnibus omniũ uiribus, irruant, & cõfringãtur, in quos ego tandem decidens, totos comminuam.

An non cæci fuerint hi pharisæi, qui Christum nihil nisi omnium salutem operantem, tanto furore persequebantur? Certe antequam hic sol oculis eorum illuxerat, antequam Dei uirtutem in eo conspexerant, non ita insanichant, nequaquam tam multa contra sensum communem faciebant. Sed tum uisum est Satanæ, in cum furorem illos agere, cũ à Domino labefactari uideret suam tyrannidẽ. Sic hodie quoq; proh dolor uidemus minime paucos, qui paulo ante satis prudentes, cordati & humani habebantur, nunc autem Euangelij lampade excæcati, & in furorem acti, quæ maxime sibi prodessent, etiam secundum carnem respuunt, eáque sectantur, quibus sibijpsis certam, non animi solũ, sed et corporis pernitiem, ascisc unt. Dicunt & agunt, ut qui eos ante nouerit, uaret ex admodum oculatis, factos maxime cæcos, imò insanos, ac sensu communi destitutos. In istis uides hoc iudicium, ad quod

se hic

se hic DOMINVS testatur uenisse in mundum.

Si cæci essetis, non haberetis peccatum. Vide clare hic, peccatum illud demum damnare, quo cognita ueritas rejicitur, unde equidem non dubito, cum Paulo ueniam consecuturos, quotquot ex sola ignorantia peccant & ueritatem uel negligunt, uel etiam persequuntur. Reprobis tandem innotescet ueritas, ut ipsi uidentes se dicant, & sint adeo, ut omnis ignorantiæ prætextus eis auferatur, de qua re supra 17. plura. Tales iam erant et isti pharisæi, ea audierant à Domino & uiderant in eo, ut animus illorum conuictus esset, esse ipsum prophetam Dei, adhuc agente eos ui Satanæ, persequebantur eum odio exitiali, ideo peccatum eorum mansit, nulla unquam uenia dignum, quia contra spiritum sanctum erat, tam scil. aperte, in Domini dictis & factis, quæ non potuerunt nisi diuina uideri, se se exerentem, ut nullus omnino relinqueretur inficiandi locus. De his & in Matth. 12.

OBSERVAT. Obseruandum ut ilico Christus excipiat, quos mundus abiecerit, quibus cum se mox plenius agnoscendum prebet, ita consolatur & beat, ut ne pili faciant iacturam mundi. In reliquis iterum notatur discrimen electorum & reproborum, quibus idem Christus diuersa adeo adfert, ut hi ad destinatam eis pernitiem, illi ad paratam eis salutem, eo accedant propius, quo plus Christum cognouerint. Ita se habuit semper & habebit Christus, non minus in suis, quàm olim dum carne adesset.

Discrimẽ electorum & reprobo rum.

Caput

CAPVT X.

Sect. 1.

Amen dico uobis qui non intrat per ostium.

ANNOTAT. Parabolam hanc partim contra phariſæos, qui non uidentes ſolum, ſed & duces uolebant eſſe, lumenq; cæcorum. Partim illos, qui ante ipſum, Chriſti ſe nomine populo obtruſerant, qualis Gaulonites Iudas fuerat, qui in diebus cenſus ſeditionem excitarat, de quo Act. 5. & apud Ioſephum, torſiſſe Dominus uidetur. Vtrique enim non erant ingreſſi per iuſtum oſtium in ouile, hoc eſt, ouibus Dei ſeſe ingeſſerant, non ſuccenturiati ab ipſo. Per ipſum enim ut Verbum DEI quemadmodum facta ſunt, & inſtaurari oportet omnia, ita miſſi quoq; ſunt, & ſubdelegati, quicunq; ſalutaria unquam docuerunt. Quicunq; autem ante ipſum uenerunt, non per ipſum, non ipſius inſtructi ſpiritu, ij fures fuerũt & latrones, tantum enim ad pernitiem ouium uenerunt, omnisq; doctrina eorum huc inſtituta fuit, ut ipſis lucrũ, ijs qui eam ſuſciperent damnum & mortem adferret, ſed oues, hoc eſt, electi, nõ audierunt illos, nõ ſunt ſecuti illos, dedentes ſe illis toto corde, ſiue phariſæos ſuis traditionibus, legem DEI eneruantes, quod Dominus ipſis 15. Matth. opprobrauit, ſiue ſeditioſos illos, qui cum carnalem populo libertatem, & auxilia Dei pollicerentur, reddiderunt auſcultantes ſibi, ſeditioſos & ſicarios, uti narrat Ioſephus libro 18. Antiquit. cap. 1. Et libro 2. de bello Iudaico

Qui ſunt uenientes aliunde.

Iudaico cap. 7. & alibi. Porrò illud quod ait: Omnes quot quot uenerunt ante me, uidetur proprie pertinere ad eos, qui ante Domini prædicationẽ tanquã liberatores populo ſeſe uenditarunt, & ſic Chryſoſtomus hunc locum enarrauit, quanquam equidem non dubitem hæc & ad ſcribas & phariſæos pertinere, qui clauem ſcientiæ rapuerant, & humana ſua figmenta, pro lege Dei docebant, ſuo lucro ubiq; ſtudentes, id quod Mat. 15. & 25. obiectũ illis à Domino legimus. Vtiq; & iſti non per Dominum, uerum oſtium fuere ingreſſi, & non uenerant niſi ad perdendum oues. Non ſic autem prophetæ & ſancti patres, ij per Dominum, qui eſt, antequam Abraham erat, non aliunde in ouile Dei ingreſſi ſunt, ueriq; uocem paſtoris, & ideo ſalutem ouibus attulere.

Ego ſum oſtium. Oſtium ſe facit, & uerorum paſtorum, & ouium. Paſtores, id eſt, ueri doctores per eum ingrediuntur ad oues, dum ab ipſo miſſi, & eius inſtructi, tum uerbo tum ſpiritu, ueniunt doctum illas, quibus ſaluentur. Oues uero, id eſt, omnes electi, per eum ingrediuntur, cum omnẽ in ipſum fiduciam ſuam collocant, omniaq; ab ipſo, ut ſaluatore ſuo expectant. Sic ingreſſi in Eccleſiam, ſaluabuntur. Credentes enim in Dominum uitam habent æternam, ingredientur, & egredientur, & paſcua inuenient, id eſt, ambulabunt & uiuent fœliciter, nihil deficiente eos bonorum. Non enim poſſunt eſurire, uel ſitire qui ueniunt ad CHRISTVM, id eſt, credunt in Chriſtum, hoc eſt, ingrediuntur per CHRISTVM,

Chriſtus oſtiũ ouiũ & paſtorum.

omnibus enim istis allegorijs idem significauit.

OBSERVAN. Obseruandum, quod & in omnibus Domini de se ipso sermonibus, ipsum unicum esse saluatorẽ, à quo, & per quẽ uenit, quicquid salutare unq̃ electis contigit, aut contingere posit. Deinde ita datos ipsi à patre electos, ut nequeant diuersa docentibus auscultare, ita ut eos penitus animo sequantur, etiamsi nonnunquam ad tempus illos suspiciãt & errent. Semper enim in eis dũ errant, est quidam renisus, nec possunt, ita ut reprobi totos mendacio sese dedere. Hic autem audire & sequi, significat, sese penitus addicere, siue Christo ad salutem, siue impostoribus ad perniciem.

Sect. 2.

Fur non uenit nisi ut furetur.

ANNOTAT. Antithesin furis, & pastoris, tum ueri pastoris & mercenarij ponit, idque ut quid ipse suis ouibus sit, exponat. Fur inquit uenit ut furetur, mactet, et perdat, se autem uenisse, ut credentes sibi uitam habeant, & abundantius habeant, hoc est, ut uitam æternam fide percipiant, quæ per spiritum eius semper incrementum accipiat, donec plene perfecta beataq; reddatur. Hinc iam agnosci uult, uerus pastor ouium, ut q; se magis cõmendet tanquam non proprium solum, sed et optimum pastorem, addit se pro ouibus animam suã ponere, neq; deserere eas in periculo, uti mercenarius solet, deniq; & ex eo se uerũ bonumq; pastorem probat, quod cognoscat suas oues, & cognoscatur ab eis. Errant quidem ut dixi, nõnunquam et oues,

Vitã abundantius accipiunt.

oues quod & infra indicat, cũ dicit, se habere adhuc oues alias, quas oporteat se adducere, sed qa tandẽ audiunt uocẽ pastoris et sequuntur in iustũ ouile, non possunt in errore perseuerare. Neq; enim potest inanis esse electio Dei, quos prædestinauit, hos & uocauit.

Quemadmodum cognoscit me pater. Nisi aliqua omissa hic sint ab Euangelista, qui ut aliquoties monui, non omnia uerba Domini narrare instituit, citra distinctionem à superioribus, ista legi debent, et iungi eis in hũc sensum. Ego cognosco meas oues, ut me cognoscit pater, & cognoscor ab illis, ut pater à me cognoscitur. Iam pater cognoscit sic filium, ut eum nunquam deserere posit, sed omnia in gloriam eius attemperat, sic iam & ipse cognoscit oues suas, in quarum salutem omnia & facit & patitur, filius uero cognoscit patrem, ut in omnibus gratiæ eius studeat, sic pendebunt et oues eius tandem ab ipso. Hæc confirmat cum iterum dicit, se animã suam ponere pro ouibus. Quæ posit hac maior cura, & dilectio fingi? Vere itaq; cognoscit suas oues Christus, ut ipsum pater.

Et alias oues habeo. De electis ex gẽtibus loquitur, quæ nõ erant de ouili, quod pridẽ ex Ebræis erat collectũ, & has igitur adducturũ se ait, easq; uocem suã audituras, qd uerũ Apostolorũ tempore cõprobatũ est, factũq; ita est, unũ ouile, id est, una Ecclesia ex gẽtibus et Iudæis cõgregata sub uno pastore, capite huius Ecclesiæ, Christo. Frustra autem expectabunt noui Origeniani, ut omnium mortalium, unũ ouile fiat, sunt enim multi hœdi, qui nõ ad ouile

Factum est unũ ouile ex gentibus et Iudæis.

pertinent, atq; ideo separabuntur a bouibus in die iuditiſ, & detrudentur in hœdile, gehennã ignis inextinguibilis.

Propterea me pater diligit. Digreſsio eſt, qua declarat, quomodo pro ouibus ſuis animam eſſet poſiturus, ne quaquam ſane morti aliquid debens, ſed ultro, idq; ſic, ut reſumpturus illam eſſet, ſua ipſius uirtute. Vnde quod dicit, hoc eſt. In eo declaratur patris in me amor, ex hoc certum eſt, diligi me à patre, quod animam meam pono, ut iterum aſſumam eam. Diuina utiq; hæc uirtus eſt, ea igitur cum in me conſpicietur, quis inde nõ agnoſcat ſumme diligi me à patre, qui me hominem ita aſſumpſit per uerbum ſuum, ut idem ſim & Verbum eius & uerus homo, ſed homo ſanctus, homo diuinus cui uitam auferre nemo queat, quique mea ſponte poſitam, diuina uirtute iterum aſſumere ualeã? Cui quæſo obſcurum eſſet unice me patri charum? Si quis autem ſolam attendat, quod Dominus deponenda anima dixit, intelligi iſta & hoc ſenſu poſſent. Quandoquidem ex mãdato patris, animam meam uolẽs, morti nihil obnoxius, pono pro ouibus meis, ideo pater me diligit, & eſt me ſumme honoraturus.

Hoc mandatũ accepi à patre, hoc eſt, in hoc miſſus ſum, ut moriar pro peccatis ouium, id eſt, electorum, & reſurgam propter iuſtificationem eorum Rom. 4.

Schiſma igitur rurſum factũ eſt. Quo enim clarius diuinitatẽ ſuam prodebat, eo magis & electorum atq; reproborum reuelabatur diſcrimen.

OBSERVAT. Vnus Chriſtus, uere bonus paſtor eſt,

eſt, quia unus paſcua uitæ æternæ ouibus, morte ſua meruit, et ſpiritu ſuo adminiſtrat. Cooperarij eius eſſe poſſumus, quatenus & nos paſtores dicimur, ſed quia plantans & rigans nihil eſt, nihil huius nos uel eſſe, uel dici uere poſſumus, niſi auditorum animis ſpiritus Chriſti, quæ ex eodem inſtructi, nos loquuti fuerimus perſuadeat. Idem faciet pro ouibus inuigilare, ac nullo eas in periculo deſerere, quia & ſi noſtræ non ſint oues propriæ, ſunt tamẽ propriæ eius, cuius nos ſpiritus agit, & cuius nos proprij ſumus. Mercenarij uero recte dicentur, qui ſua tantum quæ runt, non quæ Ieſu Chriſti, ij nullum propter oues periculum adibunt. Chriſtus unus paſtor eſt, nos eius ſerui.

Deinde obſeruandum tandem electos omnes ad unum Chriſti ouile perducendos, quod eos Chriſtus cognoſcat, ſicut ipſum pater, quare negligere eos nunquam poterit. Hoc utinam rite perpendamus, nihil enim æque fidẽ noſtram confirmabit, & augebit.

Animaduertendum deniq; unum Chriſtum eſſe, qui morti homo nihil debuit, ideo tollere animam eius nemo potuit. Quid nam de eo non ſperemus, qui ultro pro nobis mori ſuſtinuit, noſtræq; ſalutis cauſſa reſurrexit, indubie ut & nos reſurrectionis beatæ participes faceret?

Coortum inter auditores ſchiſma, iterum monet, nunquam deeſſe paſtoris uoci ſuas oues.

Facta autem ſunt Encœnia Hieroſolymis. Sect. 3.

ANNOTAT. Festum erat dedicatiois, reparati templi, post reditum è Babylone.

Dixi uobis & non creditis. Vbi enim se esse panem uitæ, & lucem mundi, aliaq; huiusmodi prædicauit, se Christum esse dixit, Iudæi autem nihil horum crediderunt, ad opera ergo sua, quæ in nomine patris, hoc est, uirtute patris, & ut à patre missus faciebat, prouocabat, ea enim cũ omnem creaturæ potentiam longe superarent, certum satis de diuinitate ipsius testimoniũ perhibebant, si modo agnoscendi diuina, Iudæis facultas fuisset. Sed non erant ex oubus Domini, hoc est, donatis Christo à patre, non erant ex electis ad uitam, ideo omni spiritu Dei bono carebant, animales toti, neq; potuerãt Domino credere, aut ut seruatorem ipsum amplecti.

Non possunt perire electi.

Oues meæ uocẽ meam audiũt. In his aperte docet, omnia à diuina electione pendere, eosq; quibus semel datũ fuerit oues esse, perire nũquã posse. Hinc discere debebãt illi, qui spiritus Dei, mediũ & instrumentũ facunt, uerbũ externe prædicatũ, & sacramenta, unde nã spiritus adueniat. Hic nãq; audiunt, eos tantũ uocem Christi audire, id est, fidẽ recipere, qui oues sint. Iã unde erit ut alij oues, hoc est, capaces doctrinæ Christi sint, alij minime? Indubie quod bono illi spiritu Dei afflati sunt, hi minime. Nam 1. Cor. 2. Paulus aperte spiritu præditis cognitionẽ diuinarũ rerũ tribuit, spiritu carẽtibus, ut animalibus, adimit. Vnde aũt erit ut illi spiritu donẽtur, hi secus? Haud profecto aliũde, quã quod illi ad uitam ordinati sunt, hi secus, quod illi filio

Vnde detur spiritus.

saluandi

saluandi donati sunt, hi nequaq̃. Domino ergo demus hãc gloriam, ut ipse spiritũ det, nihil nostra opera aduutus, & det absq; instrumentis, quæ nos adhibeamus. Eum autem ubi dedit, tum ad erudiendũ & monendum cooperari ipsi possumus, si tamen ipse sermonẽ nostrũ eodem spiritu, ijs quibus loquimur, donet recte percipere. Vnde hic Dominus subijcit & cognosco illas, hoc est, curæ mihi sunt, & hinc certe est, ut ipsum oues sequãtur, uitãq; uiuant, quæ finem nescit. Ipsi illas pater dedit, ut eis suppeditet uitã æternam, tam igitur nõ poterunt è manu eius, quã è patris manu, qui maior et potentior omnib. est, eripi. Vnũ siquidem sunt ipse et pater, eadẽ est utriusq; uirtus & potẽtia. Germanice, es ist ein ding der uatter und der sun. Quare ut de manu patris nemo potest electos rapere, ita neq; de manu Christi, dũ igitur æternum in manu saluatrice Christi oues perseuerant, perire certe nunquã possunt, necesseq; est, eas uitã habere æternã, de qua supra plura. Primi hi sunt, ut nouissimi nunq̃ fiant, facessant igitur illi cũ suo pnitioso dogmate, qui docẽt posse fieri apud Deũ nouissimos, & omni gratia excidere, qui apud Deũ fuerint primi, id est, uere credentes, uereq; filiorum spiritu præditi.

OBSER. Iterũ obseruandũ, à sola Dei electione esse, ut oues simus, & Christũ sequamur, tamen tales excidere nunq̃ posse. Quia unũ sunt pater & filius, eandẽ manum habent, id est, potentiam, de qua nemo unquã rapiet eos, quos illa semel apprehẽderit saluandos. Apprehensi autẽ sunt quibuscũq; datũ fuerit, Christi uocẽ audire & sequi.

Id siquidem nulli possunt nisi oues sint, si iam oues in manu Christi & patris sunt, ut nunquam pereant, sed habeant uitam æternam.

Sect. 4.

Multa bona opera ostendi uobis ex patre meo.

ANNOTAT. Hic rursum uides, quod ostendere uel demonstrare, græce δεικνύειν, pro exhibere, et dare ab Euangelista accipitur. Exhibuerat siquidem Dominus multa iam bona opera, quibus nimirũ salutem attulerat hominibus, quale fuerat illud supra 5. et illud quod iam 9. memoratũ est, quæ opera ex patre demonstrata fuere, id est, diuina uirtute præstita. Iis iam indicarat, quid à se expectandũ esset, nimirũ nihil nisi certa salus et uita æterna, id credere hortabatur Iudæos, et declarabat sua omnia patris esse, ut certo ipsi fidere posset. Hæc uero illa erant, quæ ita irritabant illos, nihil nisi bona & saluifica opera. Recte igitur rogabat eos propter quod suorum bonorum operum uellent eum lapidare.

Quæ bona opera Domini.

Quia tu homo cũ sis, facis te Deũ. Intellexerant, q. dixerat se & patrẽ unũ esse, id est, eandẽ sibi, quæ et patri esse uirtutẽ, quo utiq; se Deũ esse palã pfessus erat. In eo enim unum cũ patre esse, ut æque nemo de manu ipsius, atq; patris, rapere possit, est eundẽ ipsum cum patre Deum esse. Hoc ergo blasphemiam, & Dei contumeliam Iudæi interpretati fuere.

Nonne scriptũ est in lege uestra, id est, scriptura, quæ sæpe uocatur

pe uocatur lex, id est, תורה, quod tamen non tam legẽ, quam doctrinam significat. Iam scriptura ubiq; docet, recte igitur tota Eb. Thorah, quod nos legem interpretamur, dicitur. Porrò quod hic Dominus adduxit, psal. 82. legitur, & dicitur ad principes, et iudices terræ, eosq; malos, qui iniquc iudicant, & impijs deferunt, eo tamẽ quod potestate in alios præditi ciusmodi sunt, & hactenus uicarij Dei, cuius est omnis potestas, & à quo ut Paulus inquit omnes potestates, quæ uspiam sunt, ordinatæ sunt, dij & in hoc psalmo & aliâs in scripturis uocãtur. Quid enim aliud Deus est, quam summa potestas? Iam principes & magistratus à Deo potestatem uitæ, necisq; acceperunt, hactenus igitur diuinitatis participes sunt, & dij, atq; filij altissimi iure uocantur. Sed quia fiduciaria est hæc illorum diuinitas, spoliantur rursus ea, dum male cæsunguntur, & sicut cæteri homines, quod idem psalmus eis minatur, moriuntur. Argumentũ ergo Domini huius modi est. Scriptura quæ solui, id est, falsa esse non potest, uocat deos, ad quos uerbum Dei factum est, id est, quibus commissa est potestas, demandatum munus alijs imperandi (factum enim uerbum Domini ad aliquem, Ebræo idiotismo significat, aliquod illi à Domino datum negotium) quanto rectius ego me Deum, & filium Dei uoco, quem pater sanctificauit, hoc est, selectum ex uniuersis mortalibus, diuina & saluatrice omnium potestate donauit, in mundũ saluatorem misit, adorãdumq; omnibus quæ sunt in cælo & in terra proposuit? Minutula adeo diuinæ potentiæ

Tota scriptura lex Dei dicitur.

Vnde principes & iudices dij.

Quem pater sanctificauit.

tentiæ participatio principes inter homines, etiam malos, dignos facit uocabulo Dei, ut scriptura quæ blasphemare nescit, deos illos uocet, filiosq; altissimi, & me in quo longe aliam diuinitatis participationẽ uidetis, dicitis blasphemare, quod filium me dixi Dei, unumq; esse cum patre, et eadem potestate præditum? Si id non opera quæ facio uerum testantur, iure blasphemiæ accusatis. Si autem opera patris mei, hoc est, uere diuina facio, ut facere me non potestis inficiari, diuinam mihi uirtutem sumenti debebatis credere. Sed si mihi credere piget, uerboq; mea arrogantiora putatis, ipsis operibus credite. Certe uerbo, totum hominem, qui grabbato affixus fuit annis 38. sanum reddere, cæco nato dare uisum, mortuos in uitam hanc reuocare, & id genus alia, non nisi opera Dei sunt, est ergo in me pater ista efficiens, & sum ego in illo, id est, etiam homo hic quem uidetis & adeo contemnitis, per illum uiuo et ago omnia, uerius itaq; quam quisquam alius unquam, filius Dei & Deus uocor, etiam ut homo, taceo quod uerbum patris sum, idemq; cum patre uerus Deus. Id certe ut sublimius sit, quam ut uerum agnoscere poßitis, cum uideatis tamen etiam in me homine, patrem agere omnia, et in illo me totum esse, perq; eum uiuere, & cuncta facere, neq; ignoretis in scriptura, deos et filios Dei uocari, in quibus infinito minore uirtute, præsertim si illam ei, quæ in me apparet, conferatis, pater agit, nulla certe ratione ita contra me furitis, quod Deum me, filium Dei, & cum patre unum eße prædico.

Christo etiam ut homini Dei uocabulum cõpetit.

Exiuit

Exiuit de manu eorũ, uirtute diuina aucrtit furorem eorum, qui apprehendere ipsum cupiebant, donec commodum se inde reciperet.

Iohannes nullum signum ædidit. Debebatur siquidem hæc gloria Christo, qui & glorificatus per suos plura quam antea per se ipsum in carne signa ædidit. Vnde infra dicit maiora facturos, qui in ipsum crederent, quam fecisset ipse.

OBSERVAT. Iterum obseruandum ut apertiore ueritatis reuelatione excitari solcat furor impiorum, non secus atq; ignis cum aqua aspergitur, Christi sane præsentia, Satanæ tyrannidem, ita ut aqua ignem extinguit. Vnde ubi illam senit uel parũ illucescere, totus in rabiem concitatur. Deinde obseruandum, ut CHRISTVS Iudæos, à minima diuinitatis participatione, quæ in principibus & magistratibus, ac omnibus denicq; in quibus, uel per quos Deus aliquid insigne agit, apparet, subducere uoluerit ad agnoscendum eam, qua ipse etiam ut homo donatus erat, maiorem sane, quam in orbe unquam uisa eßet. Eam enim si in homine IESV agnouißent, iam non potuissent ignorare, ipsum etiam natura Dei uerbum ipsumq; Deum. Sic enim per cognitionem mediatoris, in cognitionem Dei ascenditur, & qui uidet Dominum IESVM filium Dei, uidet & patrem.

Dũ Christus homo rite cognoscitur, idẽ Deus uerus esse nõ potest ignorari.

Animaduertendum quoq; signa non esse certa, ueræ sanctitatis indicia, Iohannes enim nullum fecit, & fecerũt multa, quibus dicet olim Dominus, amen dico uobis,

Ad quid signa-

nunquam

nunquam noui uos · Matth·7· Cum magnificentia enim debebat Euãgelion Christi, orbi initio commendari, sicut & lex multis cum portentis & signis populo commendata fuerat Ebræorum· Donec igitur illud in orbe percrebesceret, signa plurima per suos Christus operatus est, quibus ad audiendum illud homines excitauit, fidem autem ut haberent Euangelio electi, opus semper fuit spiritus, qui cum & hodie electis non desit, non est ut signa requiramus · Signa Iudæi multa uiderunt, sed tam abfuit, ut inde fierent meliores, ut magis agerentur in furorem contra Dominum, & quoslibet ueritatis testes· Postremo notandum, ut in desertis Iudææ multi credant Domino, cum Ierusalem primores illum uellent lapidare· Sic humilia celsis præferuntur · Insani igitur qui sublima spectant, aut etiam appetunt·

CAPVT XI.

Sect·1·

Ægrotabat autem quidam nomine Lazarus,

ANNOTAT· Sextum hoc signum est, q. Euangelista hic noster commemorat· Pauca etenim ex miraculis Domini, sed ea singulari quodã delectu & gradatione, conscripsit· Splendidius utiq; erat, quinq; millia ex quinq; panibus & duobus pisciculis saturare, quam fuerat aqua in nuptijs mutata in uinum· Sic quod eum qui morbo detentus fuerat

tus fuerat annis triginta octo, sanitati restituit, clarius miraculum fuit, quam quod sanum reddidit febricitantem filium illius regij, utroq; autem admirabilius erat dare uisum ei, qui natus erat cæcus, omnibus uero adhuc maius, quod in uitam reuocauit hunc Lazarum, quartum iam diem agentem in sepulchro· Quo enim ad uesperam magis uergebat dies Domino præscripta, in qua munus suum in carne obire debuit, eo clarius quoq; cum uerbis tũ factis, qui esset, curq; uenisset, aperiebat · Mihi certe historiam hanc Iohannes propius intuenti, omnino ueri simile uidetur, quæ à quinto capite narrauit, omnia facta esse intra ultimum prædicationis Domini annum, & quidem hoc ordine· In Galilæa sub festũ paschatis pauit quinq; millia, in pentecoste sequenti Sanauit illum, qui laborauerat 38· anns Hierosolymis· In festo tabernaculorum sequenti, docuit palam in templo, quod 7. cap· narratur, & ut uidetur dedit uisum cæco· In festo postea dedicationis interrogatus fuit, quis esset, quod commemoratur cap· 10· Sub pascha iam ultimum suscitauit hunc Lazarum· In festiuitatibus uero, & Hierosolymis ista gerere Dominus, ac se prædicare magnificentius uoluit, quo sic toti circuncisioni, cui peculiariter eo quidem temporis missus erat, commodius sese & clarius insinuaret·

Ordo miraculorũ, quæ Iohannes narrat·

Maria autem erat ea · Hæc unctio sequenti capite ab Euangelista narratur·

Miserunt ergo sorores· Sperabant enim si adesset, nõ moriturum fratrem· Id quod Domino postea, ut sequitur utraq; confessa fuit·

Nonne

Duodecim horæ diei.

Nonne duodecim sunt horæ. Sensus. Vt duodecim horæ diei sunt, in quibus ambulare, et agere homines omnia oportet, nam qui noctu uelit ambulare, & negotia sua agere, facile impingeret, cum die ubi lumen mundi, solem istum uidet, non impingat. Sic habeo & ego diem meum, qui et suis certis horis finitur, in hoc, quæ mihi pater mandauit, perficienda sunt. Hic dies iam inclinat, neq; multũ eius superest, appropinquat hora, qũum ad patrẽ é mundo mihi concedendum est, quare utcunq; contra me concitati Iudæi sint, mihi mea opera, dum dies meus est, perficienda sunt, eóq; Iudæa & Ierusalem mihi repetenda, patrisq; gloria illustranda. Illi erit cura de nobis.

Simili allegoria usus Dominus est, & supra 9. sect. 1. cum ait: Me oportet operari opera eius qui me misit, donec dies est &c. Neq; enim quadrat, quo sensu uerba ista Domini, iactari uulgo solent, quasi significare uoluisset, cum duodecim horæ diei sint, ut quis uno die sæpe animũ mutare posit, fieri multo magis potuisse, ut hostes sui consilium mutassent, cum iam aliquot dies interceßissent, aut certe, nunc non ualituros illos, quod antea. Sequentia siquidem quæ cum ijs, quæ supra 9. dixit, eadem sunt, reclamant, satisq; aperte indicant significare Dominum uoluisse se oportere tempore à patre definito, opera patris perficere, non secus atq; homines die ambulare, & negotia sua curare. Vnde neq; firmum uidetur, quod alij dicunt his uerbis significare uoluisse Dominum absq; periculo esse hanc suam in Iudæam reditionem, eo quod sicut dies

dies suas XII. horas, ita ipse, & quilibet alius certum habeat cum officij sui, tum uitæ tempus, intra quod perire nequeat. Neq; enim securos periculi hic suos, sed intentos magis iußioni patris, reddere uoluit. Diligens lector perpendat, quæ supra 9. Dominus dixit, & quæ hic & uidebit indubie Dominũ uoluiße dicere, quicquid molirentur Iudæi, se oportere tamen operari opera patris dum dies esset, tempus illis operibus à patre deputatum, cumq; iam eius finis acceleraret, nihil sibi cõtandum esse, omneq; periculum uoluntati patris posthabendum.

Mors quorumlibet somnus in scriptura dicitur.

Lazarus amicus noster dormit. Hac allegoria significare uoluit, se hunc à morte reuocaturum, unde somnum rectius quam mortem obitum Lazari uocauit, quanquam scriptura paßim, siue ut rem tristem melioribus uerbis, per εὐσεμνόν eloquatur, siue ut spem resurrectionis in dicet, mortem quorumlibet, non bonorum tantum, ut quidam inconsiderate scripserunt, somnum & dormitionẽ uocare soleat.

Et gaudeo propter uos, nimirum quod non fuerim ibi, ut uidentes me quadriduanum mortuum in uitam reuocare, tanto firmius in me credatis. Instat enim ut uestra in me fides periclitetur.

Dixit ergo Thomas: Didymus, id græce, qđ Eb. תאם unde Thomas deriuatum est, significat, nempe gemellũ. Quæ aũt hic dixit, non tam fidutiæ, quam desperationis uerba uidentur.

OBSERVAT. Iterum obserua, ut omnia gloriæ Dei

riæ Dei seruiant. Si iam huic ut par est studemus, æquis animis feramus, quicquid inciderit indubie enim, ut cæcitas illius nati cæci, & mors Lazari huius, ita & quæ nobis aduersa Deus immiserit, ad illustrationem gloriæ eius facient, eoq; cum ipsius filij simus, ad nostram quoq; salutem. Circa illud, quod contempto periculo, dum dies erat, suum obire munus Dominus uoluit, discamus & nos, ante omnia spectare, ad quæ nos destinarit Deus, reliqua ipsius curæ committentes.

Venit itaq; Iesus, & inuenit eum quatuor dies.

sect. 2.

ANNOTAT. Erat autem Bethania. Stadium sexcentum pedum spatiũ est. Milium faciunt stadiorum septem semis, uel octo, inde duo milia, à Ierusalem hic uicus abfuit.

Martha ergo ut audiuit. Quã obseruarit soror utraq; Dominum, & Lucas 10. meminit.

Domine si fuisses hic. Nihil non pollicebatur sibi à Domino, quem amabat, & à quo redamari se non dubitabat. Hoc uero ingenium est ueræ fidei.

Ego sum resurrectio & uita

Ego sum resurrectio & uita, id est, author resurrectionis & uitæ, resurrectionis, quia credentes in me suscitabo in nouissimo die, ad uitam beatam. Sic & qui mortui sunt, uiuent per me, eo quod credunt mihi. Vitæ uero author sum, quia spiritum dono, quo in præsenti gustum alicuius D. bonitatis mihi credentes percipiunt, indeq; illi adducun-

adducũtur, ut donec plene illa fruantur, auelli ab ea nulla ui possint. Sic qui uiuunt & credunt in me, nõ moriuntur. De his supra 3. 5. & 6. plura.

Ego credo, Græce πεπίστευκα, id est, credidi habetur, significare enim uidetur, se pridem credidisse, hoc est, agnouisse qd' Dominus Christus, ille filius Dei esset, quẽ uenturum in mundũ, ut omnia instauraret, expectauerãt.

OBSERVAT. Animaduertẽdum sorores has, quod de obitu fratris dolerent, non esse à Domino increpitas, sed Dominum potius illis fuisse compassum, atq; condoluisse, ut in sequenti sectiuncula Euangelista memorat. Neque enim stupentem à nobis, sed uiuam & ardẽtem, quæ uiscera exaguet, totoq; se corpore prodat, dilectionem Deus requirit. Neq; alia, fuerit uera hominũ hic agentiũ dilectio. Hæc iam non potest nõ de morte, & qualibet aduersitate proximi quẽ amat indolere, quamlibet sciat electis omnia bono esse. Sic Paulus gratias agebat Domino, quod Epaphroditum à morte seruasset, ne dolor sibi, dolori fuisset adunctus. Philip. 2. Est quidem mors, ianua uitæ credentibus, unde & spiritus consolatione percepta, dolorem in uisceribus æstuantem, mitigat, ne delcant sancti, sicut ethnici, spe futuræ & melioris uitæ destituti, quod & Paulus Thessalonicenses monet, indolentiam tamen nequaquã adfert, dumq; uerus uiuit in cordibus sanctorum, amor fratrum, non possunt non dolere & lugere mortuos, aut alios afflictos. Nihil CHRISTO fingi potest, magis & spirituale et cõstans, attamẽ cum ue-

Christiana dilectio luget mortuos, sed modeste.

Ad rus homo

rus homo esset, uereq; homines diligeret, continere se non potuit, quin obortis lachrymis excidium Ierusalem deploraret, quã sciebat tamẽ iusto patris iuditio excindẽdam. Sed non poterat aliter uera dilectio in homine uero. Stoici igitur magis quam Christiani sunt, nostri Catabaptistæ quidam, qui nullum luctum, nullas lachrymas pro mortuis, uel aliás afflictis fratribus, ferunt. Sed non est mirum hic illos dilectionis iura ignorare, qui in totum dilectioni nuncium remiserunt. Confessio Marthæ, probat id cuius aliquotics monui, Dominum id tẽporis, passim pro Christo agnitum, idq; ita furentes contra eum pharisæos, & Iudæorum primores, reddidisse.

sect. 3.

Et cum hæc dixisset abijt.

ANNOTAT. Iudæi ergo qui erant. Vide ut mire occasiones, singula fiebant, quo quam plurimi ad sepulchrum conuenirent, uirtutemq; Domini conspicerent. Ad hunc uero modum ordinat Dei prouidentia singula, quare si quis modo animaduertat, semp uidebit unde Dei bonitatem admiretur. Martham uocare sororem, illam præpropere ad Dominum ire, Iudæos sequi, tum inter se de Domino disputare oportuit, ut tanto maiore cum admiratione exciperetur, quod futurum erat miraculum.

Omnia occasiones fiunt gloriæ Dei illustrandæ.

Infremuit.

Infremuit spiritu. Ita mouit eum, præsentium fletus, sic condoluit dolentibus, seq; & uerum hominẽ, & uera dilectione præditum declarauit, prius nota contra nouos Marcioni-

Marcionitas, de quibus supra 3. posterius contra Catabaptistas, contra quos iam in sectiuncula superiore. Cum nanq; plorantes omnes uideret, commota uiscera eius fuere, tum ut uiri solent constantioris animi, non sine fremitu dolorem animi testatus est, mox fudit & ipse lachrymas. Quæ omnia argumenta germani amoris, & Iudæi agnouerunt. Testatus siquidem & Euangelista est supra sect. 1. dilexisse Dominum, Martham sororem eius & Lazarum, quod & ipsum ueri hominis in eo iudicium fuit. Nam unde dilexisse illos peculiariter scribitur, qui omnes diligebat, nisi quia peculiariter amoris affectũ erga illos demonstrauit, singulariq; cum illis familiaritate uixit?

OBSERVAT. Vehemens ista Domini erga Lazarum & sorores eius dilectio, sororum sedulum erga Dominum studium, tum & Iudæorum minime stupens humanitas, doceant nos quam humana, affectuosa, & officiosa sit dilectio, ubi syncera & germana fuerit.

Erat autem spelunca & lapis impositus erat ei.

sect. 4.

ANNOT. Domine iã fœtet. Et si crederet Dominũ posse suscitare fratrem, dixerat enim, sed & nunc scio, quod quæcunq; petieris à Deo, dabit tibi Deus, nõ sciebat tamẽ etiam hoc uelle eũ. Nam quod dixerat, resurget frater tuus, de nouissime resurrectione dixisse eũ putauerat,

neq; Dominus tum eius opinionem aperte correxerat, licet enim in hoc dixisset se resurrectionem esse & uitam, ut moneret se præsente, & resurrectione atq; uitam præsentem esse, atq; in præsenti quoq; fratris resurrectionem sperandam, sic tamen uerba eius Martha non intellexerat, ut agnouisset uelle eum in præsenti fratrem in uitam reuocare.

Pater gratias ago. Iam certus erat patrem uelle, ad suam hominis uocem Lazarum uitæ reddere, pro eo igitur ut uideretur omnia uirtute patris agere, gratias illi agebat. Adiunxit autem, ego sciebam, quod semper me audis, quo indicauit eandem sibi, etiam hominis, cum patre uoluntatem esse, ut quicquid homo petat, pater audiat, hoc est, diuinitas perficiat. Hæc qui cognoscebat, uere missum eum à patre, eoq; & apud patrem ante fuisse, hoc est, Deum esse uerum, facile potuerunt agnoscere. Nam huc cognitionis ut et supra dixi nõ aliter peruenitur, quam dum homo Christus omnia diuina agere cognoscitur. Ideo gratias patri agendo, turbæ præsenti testabatur, patris se uirtute omnia perficere, seseq; à patre semper audiri, eoq; eandem se cum patre uoluntatem habere.

Voce magna clamauit. Nimirum ut omnes audirẽt, sola uoce sua Lazarum rediuiuum reddere, quoq; magis diuinitatem suam indicaret, imperauit mortuo ut & aliâs, non orauit patrem, ut ille eum in uitam reuocaret, patris enim uirtute ipse hæc agebat, idem cum patre Deus.

Et pro-

Et prodijt. Et hoc miraculum fuit, ut prodiret, qui manus & pedes habebat ligatos.

Solute eum & sinite abire, ut nimirum omnes uideãt eum uere uiuentem. Mysticos intellectus fingant hic, qui incertis delectantur. Nos hinc discamus Dominum, resurrectionem esse & uitam, idq; ut testari quoque libeat, hæc disci uoluit spiritus. Nugentur alij de uirtute absoluendi quæ uelint, utinam autem non in Ecclesia Christi, cuius pascua sunt, uerba uitæ, indubitata uerba Dei, non istiusmodi nugæ ociosorum. Contra inepitas allegorias.

Multi ergo ex Iudæis. Et apud sanctas has, Dominiq; studiosissimas sorores, mali cũ bonis admixti fuerunt, potuit id ferre, uera illarum sanctitas, falsa Catabaptistarũ non tulisset.

OBSERVAT. Obseruandum hic, ut sancti miracula fecerint, indubie sic ut hic uides fecisse Christum. Certi fuerunt antea quam quicquam tentarent, ita Dominum uelle, inde ergo acti spiritu eius, imperabant morbis, Dæmonijs, & morti, & succedebat, dante Domino uoci eorum, uocem uirtutis, id est, reddente uerba eorum efficacia, reliqua notata sunt.

Congregauerunt ergo põtifices, Sect. 5.

ANNOTAT. Si permiserimus eum sic. Ecquid tollet is ò prudentes, uerbo in uitam reuocantem mortuos? Vide ut demens sit impietas. Signa agnoscunt illum facere, Dementia hostiũ ueritati.

& eiusmodi, ut nemo inficiari posit, utæ & mortis esse penes eum arbitrium, neque cogitant nihil se contra eum profecturos.

Et ueniant Romani. Hoc in concilio, in quo nequaquã omnes mali erant, sicut supra interfuisse legimus Nicodemum, & in Actis 5. Gamalielem, prætexebãt, cum tamen nihil eos ita in necem Domini ageret, quam quod impij essent, natiq; ex Diabolo, eoq; ueram docẽtem pietatem, ipsorumq; impietatem detegentem ferre non possent. Sic & hodie impij, in concilijs ruinam rei pub. sæpe, dum testes Domini oppressos uolunt, prætexũt, cũ nequaquã eos huc agat amor rei pub. sed furor impellat Satanæ, à quo acti non possunt, non etiam cum pernitie sui ipsorum, nedum Rei. pub. ueritatem & Euangelion Christi execrari & persequi. Verisimilitudinem autem habebat in hoc Iudæorum concilio iste hostium Christi prætextus, quia iam multa à Romanis propter uarias seditiones & rebelliones fuerant passi. Videri igitur uolebant fore, ut omnis populus crederet in Dominum, id est, pro Christo recipe ret, regemq; costitueret, tum uenturos Romanos, & excisuros urbem, populumq; translaturos. Sic semper inuenit impietatis, quo sua consilia, aliquo utilitatis fuco obli ta, simplicioribus obtrudat.

Falsus prætextus Iudæorũ.

Vos nescitis. Indignabatur & stuporem interpretaba tur, quod inconsultationem uenire sinerent, quid faciendum esset, adeo putabat non latere, nihil prius curandum, quam

quam Dominum extinctum. Nulli enim esse dubium existimabat conducere, ut unus homo, quouis iure, quaue iniuria periret, ne totus excinderetur populus. Id uero ait Euangelista non dixit à semetipso, sed eo quod anni illius pontifex esset prophetauit, hoc est, instinctu Dei id locutus est, quanquam imprudens. Qui nanq; in magistratibus, præsertim sacris constituti sunt, ut in hoc sunt à Deo electi, ut multa & egregia per eos fiant, quare cum omnium corda in manu sua Deus habeat, peculiariter tamẽ id sacra prouerbia de regibus prædicant, ita sæpe numero imprudentes faciunt & dicunt, quæ longe alio spectent, atq; aliud efficiant, atq; ipsi unquam cogitarint. Organa Dei omnes sumus, at præcipue, qui alijs præfecti sunt, multo igitur plura per illos, quam alios Deus agit, unde & dij ipsi, filijq; excelsi omnes dicuntur, de quo iam capite superiore. Hoc itaq; est, quod Euangelista ait, ideo prophetasse, hoc est, ex spiritu Dei, non ex se ipso Caiaphã locutum, quod pontifex esset anni illius. Sicut autem ipse suam prophetiam non intellexit, sic & alij reprobi, per quos Deus sua mysteria promit, ea ipsa quæ loquuntur, haudquaquam pernoscunt, sed dant sine mente sonum, cum sancti de ijs quæ uaticinantur, tantum intelligant, quantum & ipsorum saluti, & muneri quod gerũt rite obeundo, satis est. Cæterum de prophetia plura dixi in Matth. 11.

In sublimitate constitutos, ad multa & mira sæpe agit spiritus Dei.

Porrò huius Caiaphæ prophetia, summa est omnium pphetiarũ, nimirũ p mortẽ Christi salutẽ electis omnibus,

non Iudæis solum, uerum etiam gentibus parandam. Electi enim ex his filij Dei sunt illi dispersi, quos supra oues uocauit, nondum ouili suo adductos. Hos spiritus Domini redigit tandem in unum corpus cum sanctis omnibus, eum spiritum, Christus morte sua meruit, recte ergo dicitur pro populo, et dispersis filijs Dei fuisse moriturus, ut congregarentur in unum, unum agnoscentes patrem, eodem uiuentes spiritu, ab eodem pendentes Christo, eadem spe futuræ uitæ subnixi.

Ab illo ergo die. Vicerat sententia Caiaphæ, sed non quia dicta ab ipso, sed quia esset prophetia à Deo, iamq; non consultabant amplius, quid de Domino statuerent, sed ut quam primum curarent interemptum. Vnde præceptum dederunt, ut quicunque resciret ubi esset, proderet eum, quo ipsi eum caperent. Sed quia nondum hora Domini erat, iterum declinauit furorem illorum, cumq; è gloria patris erat, ultro se conspectui eorum rursum ingessit, liberiusq; quam unquam in eos inuectus est, idq; impune, donec iuxta patris mandatum, sponte sua sese in manus illorum traderet immolandum.

OBSERVAT. Præter pugnantem sibi insaniã impiorum, qui dum odio contra ueritatem incaluerint, nihil uident, nihil cogitant, omnia perturbatissime dicũt & agunt, obseruandum quanti Deo sint magistratus, & ad quã magnifica utatur sæpe pessimis. Hinc legimus per impotentiss. reges præclare interdũ regna administrata, insignes uictorias de hostib. relatas, aliaq; multa utiliter et gloriose gesta.

Non

Non sunt autem ferendi, qui hinc uolunt colligere, quicquid statuerit pontifex Rom. & Episcopi id ilico, ut oraculum amplectendum. Neq; enim semper prophetant pontifices, ad hæc non est istorum ex instituto Dei dignitas, ut erat Caiaphæ. Christus dedit Ecclesiæ suæ alios Apostolos, alios Euangelistas, alios prophetas, alos pastores, & doctores, Ephes. 4. Pontifices autem, & principes sacerdotum non dedit. Neq; tamen & hos nostros, dum in magnam adeo potestatem illos Deus euexit, negauero prophetare, sed sicut Caiapham, ut longe aliud dicant sibi & impijs, atq; dicant pijs, quiq; uerbis eorum ad ipsorum intellectum & uoluntatem obtemperent, homicidæ fiant, & blasphemi in Deum, quales utiq; euaserunt, qui in hoc concilio Caiaphæ paruerunt, uolenti Christum sublatum, ut ipsi pro arbitrio tyrannidem in populum exercerent, cuius contrarium illis euenit. Sic multi iam pridem prophetarunt, Chalcographicam artem & cognitionem linguarum, turbas daturam imperio sacerdotum. Hæc uera non ex semet ipsis locuti sunt. sed prophetarunt. Verum ad quid? utiq; ut preclara illa Dei dona è medio tollerentur. Qui iam ad nepharium hoc eorum propositum illis consensit, sacrilegium admisit, qui autem ideo impensius promotas has artes & hæc studia, curauit, recte prophetiam intellexit. Prophetent igitur, id est, nõ ex semetipsis, sed Deo loquantur, quicunq; in potestate constituti sunt, ubi Dei ueritatem agnouerimus, libenter illos sequemur, sed pro uoluntate Dei, non arbitrio prophetantium. Dum

Quatenus impiorum prophetijs obtemperandum.

Ad 5 autem

autẽ ex se ipsis loquuntur, ipsis somnia sua relinquemus.

Postremo animaduertendum, per uices Dominum fugisse, & intrepide conspectui hostium sese ingessisse, eásque incertas, ne quis hinc leges fugiendi, & consistendi fingeret. Abnegare nos metipsos, & totos credere spiritui DEI, qui filios Dei agit in omnibus oportet, sic & nos in tempore, & fugiemus & stabimus, ut inde gloria Dei incrementum accipiat.

CAPVT XII.

Iesus ergo ante sex dies paschæ.

ANNOTAT. Appropinquante hora supplicij, ad locum quoq; supplicij Dominus accessit, sic ducit spiritus sanctus in tempore, summáq; cum oportunitate & commoditate filios Dei, ad ea, ad quæ diuinitus ordinati sunt. Tantum huic duci, nos committamus.

Fecerunt ei cænam illic. Hanc cænam & Matth. 26. & Marc. 14. describunt, nam quod illi unctos pedes Domini memorant, hic uero noster caput, cum eadem unctione utrumq; fieri potuerit, non est tanta dissonantia, ut diuersam fuisse, quam illi narrauerunt, ab hac, quam Iohannes memorat, euincat. Sicut neq; id, quod Iohannes solũ Iudã, alij discipulos scribunt murmurasse, nota eni est Synecdocha, qua tribuitur multis qd' unus fecit, quemadmodũ duo latrones blasphemasse Christũ scribuntur, cũ id unus tantũ fecerit. Loci demiq; et tẽporis nulla quoq; diuersitas est

Eadẽ hæc unctio est, cũ ea, quã describunt Matth. & Marc.

ut q̃busdã uidetur. Mat. enim & Mar. nullũ tempus exprimũt, Iohan. nullũ locũ, neq; cõuincit in domo Marthæ hãc cænam habitam, quod ipsa ministrauit. Inter discipulos Domini arctissima utiq; fuit familiaritas, et Martha in ministrando Domino tam fuit sedula, ut mirum non sit, eam & in Symonis domo, tam religione fratris, Domino ministrasse. Iam reliqua omnia conueniunt, ne quæramus igitur nodum in scirpo. Cui autem uerisimile illi facient, qui diuersa sentiunt, discipulos ausos fuisse factum reprehendere, quod Dominus tam grauiter ante paucos adeo dies defendisset, & committere, propter quod Iudas fuisset seuere adeo increpitus? Illi enim uolunt hanc, quam Iohannes conscripsit priorem factam, sexto scilicet ante pascha die, illam autem, quam alij narrant, pridie paschæ. Scilicet credemus intra quinq; dies discipulos fuisse oblitos, quæ Dominus contra Iudam tanta cum grauitate dixerat? Boni illi utri sibi nimium placent, ideo inconsulto mula & damnant, et probant, quæ secus habent. Scribunt certum esse, hanc unctionem non esse eam, quam Matth. & Marc. memorarunt, cuius adeo nullas tamen habent rationes, id uolui indicare. Cæterum hanc Mariam sororem Lazari, aliam fuisse, quam Mariam Magdalenam, quæ ex Galilæa cum Domino uenerat, item nulla scriptura probari, quod peccatrix illa mulier, cuius Lucas meminit, hæc soror Lazari extiterit, in Matth. pluribus monui.

Libram unguenti. Nardinum unguentum quomodo conficiatur Dioscorid. libro primo capite 72. docet, quàm

precio sum

preciosum uero hoc fuerit Iudas expreßit, cum dixit, po tuisse uendi trecentis denarijs. Trecenti uero denarij, fa= ciunt solatos Francicos triginta.

Vnxit pedes, sed postea fracto alabastro fudit, quic= quid reliquum erat unguenti, DOMINO super ca= put, ut Marcus habet.

Domus autem impleta est. Vehementißimæ enim fra grantiæ est hoc unguentum, ita ut uix ferri poßit.

Dixit igitur unus ex discipulis. Matth. habet, discipu los. Marcus quosdam indignatos fuisse, cum hæc uidissent, atq; cõtra unctricem infremuisse. Vtcunq; autẽ simul & alij fuerint hoc facto offensi, authorem tamen huius indi gnationis fuisse Iudam non dubito, ut & ipsum dixisse. Ad quid perditio hæc &c.? Pauperes, & delitiarum in= sucti erant discipuli, unde natura offendebantur, luxu & delitijs lautiorum, eoq; mirum non fuit, si Iudæ sententiã probarent, & simul cum eo contra mulierculam stoma= charentur, præsertim cum ille curam prætexeret pau= perum.

Iudas au= thor mur= muris con tra Mari= am.

Dixit igitur Iesus, sinite eam. Indubie per se, hoc of= ficij, Dominus haud magnopere probauit, quia seuerißi= mæ semper continentiæ fuit, sed ut doceret nihil temere damnandum, quod ex dilectione fieret, tum & rerum de= licatarũ aliquem usum esse, etiam sanctis, cum omnia dona Dei sint in usum hominum condita, tam diligenter illud ex cusauit. Opus bonum inquit, ut Matth. & Marc. habent, in me operata est, pauperes semper habetis et c. Quasi d. Mihi

Mihi bene fecit, quem nunc habetis præsentem, & corpo reis officijs utentẽ, nolite hoc grauiter ferre, instat hora, ut à uobis corpore abeam, neq; poßitis bonum opus in me operari, id est, me beneficijs uestris afficere, pauperes au tem semper habetis, in quos bona opera uestra, & omne genus officia poßitis conferre. Sinite & me semel rebus huius uitæ uti, permittite semel delitiari, etiam unguenti huius, esse bonis aliquis usus potest. Si recte illo uteren= tur, qui ipsum à nobis emerent, recte & nos illo utimur. Pauperes interim non pereunt, & adhuc multa uobis sem per materia erit, illis qui nunquam certo uobis deerunt, benefaciendi. Ne igitur ita indignamini huic mulierculæ, quæ cum summe me amaret, id isto uoluit officio testari. Quantumlibet uero graui id uobis uidetur reprehensio= ne dignum, amen amen dico uobis, apud Deum tanti est, ut ubicunq; posthac in toto orbe, hoc Euangelion, hæc hi= storia eorum quæ in carne feci & paßus sum pro salute electorum, prædicabitur, prædicandum sit & hoc huius mulieris, qualecunq; uobis illud habeatur officium, atque ita cum laude apud omnes sanctos illa celebrabitur ob hoc ipsum factum, contra quod uos nunc infremuistis. Si ista autem uobis non satisfaciunt, agite instat iam mors & se= pultio mea, & puto si iam diem meum obijssem ferretis me more iudæorum inungi mortuum, ferte igitur & ui= uum inungi. Huic mulieri me mortuum inungere non dabi tur, in diem igitur sepulturæ meæ seruauit illud, hoc est, in locũ unctionis sepeliẽdo exhibẽdæ iam me unxit, quod enim

Quibus Dominus Mariã ex= cusauit.

quod enim unguentum hoc misit super corpus meum ad sepeliendum me fecit. Matt. Quod potuit fecit, præuenit ut ungeret meum corpus ad sepulturam. Marc. Liquet ergo defensionem Mariæ, tribus niti argumentis. Primum: Bonum opus fecit in me, si iam diligitis me, cõdonate illi quod mihi benefecit, haud quaquam diu istiusmodi officijs usuro, cum pauperes semper habituri sitis, quibus illa impendatis, si tantum uoluerit is. Bonum opus siquidem pro beneficio more scripturæ accœpit. Germanice dixisset, Si hat myr guots gethon. Alterum, Deo hoc mulieris officiũ tam gratum est, ut facturus sit, prædicari ipsum in memoriam & laudem eius per totum orbem, non est igitur uobis culpandum. Tertium, ferretis me inungi mortuum, in locum ergo illius unctionis mortuo præstandæ, hanc tolerate exhibitam uiuo. Paulò enim post sepeliar, tum me hæc non poterit ungere, perinde igitur habetote quod fecit, ac si uoluerit præuenire unctionem sepulchri.

OBSERVAT. Diligenter hic obseruandum, quàm non uelit damnari usum ullius creaturæ Deus. Multæ res delicatæ, ac pretiosæ sunt, attamẽ bonus Deus hominibus illas in usum condidit. Quàm ingens luxus uideri possit, tanta, florum, rosarum, uiolarum & lilliorum aliarumq; odoratarum herbarum & fragrantia, & colorum uarietas? His tamen non tam iuuare nos, quàm oblectare indulgentiß. pater uoluit. Deum ergo luxuriæ accusabit, qui usum harum rerũ indignum Christianis censuerit. Neq; etiam nõ licebit istis uti, nisi sit ante omnibus pauperibus prouisum.

Quatenus uti liceat delicijs pretiosioribus.

prouisum. Cui dubium, cũ Christus tam pretioso unguento perfunderetur, ut tota domus odore impleretur, multis pauperibus, multa defuisse, quorum inopia precio illius unguenti subleuari potuisset, perfundi tamen illo se sustinuit, qui nihil potuit admittere iniqui. Sic cũ Dauid, Schlomoh & reges alij sancti, multis ad delicias tantũ paratis rebus abundarent, quis dubitet, fuisse quàm plurimos, necessarijs etiam indigentes, splendorem tamen illorum, & gloriam, scriptura non damnat.

Sed quid dicemus? Si non libero hic nos ductui spiritus permiserimus, & quod Paulus monet, ex nostra copia, inopiam aliorum sarcire simpliciter studuerimus, & si quis diues sit opibus huius sæculi, ut quærat diues esse bonis operibus, id est, officijs erga inopes, qd' idẽ Paul. hortatur, sed ex indigentia pauperũ uoluerimus metiri usum, rerum quas nobis uel alijs Deus concesit, ut nulla re non summe necessaria uti nobis licitum putemus, nisi nemo apud nos necessarioribus egeat, cuius quidem indigentiã, detrahendo nobis, quibus sine incommodo carere possumus, liceat subleuare, aliud certe nihil efficiemus, quàm ut nostras, & aliorum conscientias frustra perturbemus, & excarnificemus, & si quid etiam à nobis ipsis, uel alijs extorquemus, id absq; animo simplici & lubenti fiat, coq; ingratum sit DEO qui hilarem datorem postulat. Quotus enim quisque est nostrum, etiam qui tenues sumus, qui sibi nõ cottidie indulgeat, quibus possit absq; graui incommodo carere, et contra illis, si sibi ea detraheret,

alios

alios insigniter iuuare? Bibis enim tu sanus & corpore uegeto uinum, qui posses aqua sitim restinguere, & uendito uino uestire aliquot, aut pascere, qui inopia cibi & uestitus grauiter laborant, rebus multo magis necessarijs illis, quam tibi uinum sit. Sic uides sæpenumero, qui medicâ cura opus habeat, tu substernis corpori tuo molles plumas, qui posses dormire in strato uiliori, & lectum tuum uendere, ut curaretur frater. Si autem tu tibi hic permittis, uti non adeo necessarijs præterita inopia fratrum, in ijs, quæ illis plurimum necessaria sunt, cur non & holosericarũ, & aliâs preciosarum uestium, auri gemmarum unguentorum, lautitiarum, & id genus rerum nõ necessariarum usum permittis ijs, quibus illa suppeditauit optimus omnium dispensator Deus? Proinde legibus in his, ne excarnificemus conscientias, neq; metiamur usum nostrum, ab aliorum inopia. Tot enim egent passim, ut necesse sit & sanctissima sæpe uasa DEI damnare, si nemini licere censeas, rebus uti non summe necessarijs, nisi nemo apud nos egeat uere necessarijs. Certe hic uides, isto iudicio te damnare & Christum, neq; hic solum, sed & dum uinum illud quod in nuptijs ex aqua fecerat optimum, patiebatur conuiuas bibere, quod utiq; uendi poterat, et multorũ eius precio necessitas longe grauior, quàm erat illorum conuiuarum, releuari.

Vera ratio exigendi eleemosynas.

Ita igitur rationem horum ineamus. Domino nihil placet, nisi quod ex lubenti proficiscitur dilectione, hæc non meum, nõ tuum, sed spiritus sancti opus est, excitare eam uerbo

uerbo adhortationis, si tamen cooperetur Deus, poteris, id cura sedulo. Diuites mone, ut Paulus iubet, ne fidant opibus, ut diuites studeant esse bonis operibus, hortare ut copia sua, fratrum sarciant inopiam. Modum ne præscribas, neq; ab horum opibus, neq; ab aliorum indigentia. Liber spiritus sine modum præscribat, qui solus potest hilarem datorem efficere.

Si interim impariter uiuant fratres, ne hoc indignum adeo putes. Paulus et in eo Christus, heros amplectitur, qui fratres seruos habent, tantum hortatur ut eos tractent humaniter, & tu non feres lautius alijs uescentes, & edentes? Cui dubium haudquaquam uulgares opes fuisse Marthæ, Lazaro & Mariæ, nam indubie quod unguentum Domino infudit, nõ fuit supra eorum facultates, iam si illi quorumlibet tollere inopiam uoluissent, tam opulẽti haud quaquam fuissent. Sed sicut alios liberos, alios uero seruos, sic alios uult Deus diuites, alios inopes, hos ut ne negligas requirit DEVS, ut autem pares tibi reddas, tam non requirit, quàm non exigit, ut seruum manumittas. Diuitẽ illũ in Luca non legis reprehensum quod purpura & bysso uestiretur, lauteq; uiueret, sed quod in tãto luxu, Lazaro ne micas quidem de mensa sua decidentes curauerit exhibendas. Ergo ut feruenter se mutuo diligant Christiani, hortator constantissime, ita si syncera uiguerit dilectio, modus eleemosynæ iustus statuetur, si id minus obtineris, & tamen aliquid extorseris, scito te, si ea in re tibi placeas, Paulo multum dissimilem.

Voluit Deus homines inæqualiter uiuere.

Ad certa nõ omnia officia Deus suos uocat.

Denique si non agnoſces Chriſtianos, qui non omnes, quibus poſſe uidentur, proximos iuuerint, quot ſunt omnino quos tu de pietate docere poſsis, cur tam non omittis omnia alia, & abis domatim, doctum quæ Dei ſunt rudiores? Dices forte te huc nõ uocari, At non eſt & uocatio Dei, ut alijs officijs fratres demereare? Agnoſcito igitur & fratres tuos non uocari ad ea, quæ in illis deſideras. Neque enim uulgare Dei donum eſt, poſſe fœnerari Deo, id quod faciunt, qui largiter adminiſtrant pauperibus. Habet quodlibet membrum ſuum actũ, & niſi agnoſcas Chriſtianos, in quibus imperfecta dilectio ſit, ne dum qui utuntur, quibus alij in maiore neceßitate iuuari poſſent, quod & Chriſtus fecit, cum perfectam tamen dilectionem habuerit, nullos profecto Chriſtianos agnoſces. Sed nõ licet hic quidem de his dicere plura, ſi tamẽ quis quæ dixi recte expendat, multum uariabit iudicio, à Catabaptiſtis, qui ex litera, & rebus externis, omnia metientes, multos damnant ipſis infinito meliores. De ijs ſcribo, qui hæc committunt.

Cæterum in Maria exemplum eſt ſeduli & ardentis amoris. In Iuda hypocritarum, qui ſemper ſancta, prauis affectibus ſuis prætexunt. In alijs diſcipulis, eorum, qui illo offenduntur, ſi alios ſe ditiores & lautiores conſpiciant. In Domino denique ſinceri iudicij & ueræ dilectionis, dum & quod ex dilectione proficiſcebatur, bonum agnouit, & diligenter contra calumniatores defendit.

Quod autem Deus uoluit hoc factum tam celebre fieri per uniuerſum orbem, partim inde factum puto, ut in eo mira-

in eo mirabile iudicium eius appareret, qui dedit mulierculæ huic tam ardenter Chriſtum ſuum amare, optimos autẽ Iudæorum ita abiecit, ut nihil odirent peius, partim ut nemo damnaret ullum creaturarum uſum. Vere enim obſeruabile exemplum eſt iudicij Domini, quod hic contra iudicium tam diſcipulorum innocentium, quàm Iudæ falſo pauperum curam prætexentis Chriſtus fecit.

Cur Iudæ pecuniam Dominus crediderit.

Mirum poſtremo uideri poſsit, cur Iudæ furi Chriſtus pecuniam crediderit, hupo ouem. Sed ita ſuam reprobis materiam perditionis DEVS adminiſtrat, uti & electis materiam ſalutis, & conueniebat ut in iniquo, ac non proprio Mammona, infidelem Iudas ſe oſtenderet, ut palã uideretur eum ueris & proprijs bonis fuiſſe indigniſsimum. Reliqua annotaui in Matth. 26.

Cognouit ergo turba multa ex Iudæis.

ANNOTAT. Appetebat tempus gloriæ CHRISTI, omnia igitur huc ſeruiebant, Lazarus non ignobilis, cum quartum diem in ſepulchro egiſſet, reduuius, urbis Ieruſalem uicinitas, inſtans feſtum paſchæ, denique & flagrans principum contra DOMINVM odium.

Poſtero die turba multa. Vide quàm multi Dominum ut Chriſtũ agnouerint, id quod acclamatione illa, hoſanna benedictus qui uenit in nomine Domini, ex Pſalm. 118. mu-

tuata, satis declararũt, præsertim adiecto illo, rex Israël, ea enim Antonomasia, Christum significarunt. Psalmus iuxta ueritatẽ Ebraicam habet. Obsecro Domine, saluum fac quæso, obsecro Domine libera quæso. Benedictus qui uenit in nomine Domini. Illa uero, hos anna, Ebraice ita legũtur הושיעה נא, id est, Ana hosciah. Porrò in nomine Domini uenit Christus, quia nihil nisi Domini uerba attulit, uirtuteq; Domini præ omnibus præditus uenit, seruator omnium sibi credentium.

Hos anna.

Cum ramis palmarum uerunt Domino obuiam, quo uictoriam ei ominarentur, alij uestimenta, & ramos de arboribus euntí substernebant, cupientes ita, quàm augustissimam facere pompam, qua in urbem ueheretur. In his specimẽ quoddam futuri regni sui ostendere Dominus uoluit, ut nihil omitteret, quo Iudæis esse se Christũ probaret.

Rami palmarum.

Nactus autem Iesus asellam. In infirmitate, ut Paulino uerbo utar, hoc est, in humilitate & abiectione, uirtutem suam Christus, dum hoc sæculum est, ut in seipso, ita & in suis declarare semper placuit, id & in eo adumbrauit, quod cum Christus excipi, et salutari in hac pompa uellet, tam abiecto iumento insedit. Ex mysticis autem factis & hoc esse arbitror, nam pullus fuit, ut Marcus habet, super quem nemo sedit, quo significatum accipio, eos duntaxat, qui coram mundo abiecti, & ad crucem nati uiderentur, quique neminem adhuc toto corde, magistrum essent secuti, Christum sessorem, & moderatorẽ, accœpturos.

Quid asini pullus adũbrarit.

Certe

Certe oues Christi alienorum uocem pleno nunquam animo sequuntur, et in eo pullus sunt, super quem nemo hominum sedit. Iugalis asina simul adducitur, ut Matth. habet, sed Dominus non sedet super eam, hæc typus eorum fuit, qui alieno iugo sese subdiderunt, apud quos princeps mundi adhuc regnat, ij tametsi per Euangelion Domino adducantur, hoc est, et si uideatur interdũ illis ueritas placere, Dominus tamen non sedet super eos, Christo uere non subduntur, quare tandem resiluunt.

Sicut scriptum est. Zacariah 9. De hoc loco, & reliquis in hac historia memoratis, plura si libet lege in Matthæo 21.

OBSERVAT. Obseruandum ut in manu Christo fuerit glorioso esse, cum uellet, gloriæ tamen sibi noluerit plus sumere, quàm esset ex uoluntate patris & hominum salute, sic in solidam gloriam suam, antea in cruce humiliatus, introuit, ita & nobis placeant humilia, quæ ordinarit nobis, Deus. In eo quod hic tam magnifice Christum plebs excœpit, & post tam paucos dies passa fuit crucifigi, udemus omnia in nobis bona opera esse spiritus sancti, ubi ille agit nos, ardemus, ubi minus, frigemus. Nihil enim boni uel cogitare ex nobis possumus. Quod discipuli post resurrectionem primum, scripturas, & illis facta DOMINI collata, recte cognouerunt, obseruemus iterum omnia salutis, dona Dei esse, tum & certo nobis ordine dispensari.

Turbas ad glorificandum Christum, Lazari resuscitatione

tatione fiuisse excitas, monet usum uerorum miraculorum esse, gloriam illustrare DEI, hinc facile uidere licet, quæ impostura sint Satanæ.

Sect. 3. Pharisæi ergo dixerunt inter se.

ANNOTAT. Quo magis Dei regnum sese exerebat, eo necesse fuit magis furere Satanam in suis.

Erant autem quidam græci. Instabat ut in signum salutis cuncheretur per Euangelion Dominus in gentibus, huic Græci isti præluserunt, unde cum desiderium eorum resciuisset, dicebat: Venit hora ut filius hominis glorificetur, hoc est, Christus, quàm late orbis patet agnoscatur. Sed quia ad hanc gloriam non nisi per mortem, sibi ueniendum esset, addebat: Amen amen dico uobis, nisi granum frumenti &c. Quasi di. Aduenit tandem tempus, ut qui hactenus ut filius hominis, cõtemptus inter meos uersatus sum, Christus mundi seruator ab electis per uniuersum orbem adorer, sed certo affirmo id nõ posse fieri, nisi ante mortem obiero. Hinc est, quod huius tempore appetente, uidetis gloriam meam, magis quàm antea unquam illucescere, uidistis ut me magnifica pompa populus excœpit Iudaicus, nunc uidetis mei studiosos adesse & græcos, discite igitur, & uobis per mortem, uitam & salutem quærendã esse, sicut nanq; granum frumenti, nisi decidens in terram ante moriatur, solum manet, & nullum fructum adfert, ita si nõ morerer ego, nullũ fructum adferrem, ubi autem mortuus fuero, in toto orbe fructũ faciam, patri adductis quàm

Paraphrasis sermonis hic Domini.

quàm plurimis, fructũ feret Euangelion meũ, apud omnẽ creaturam quæ sub cælo est. Sic cum uobis tum alijs, & uestra mors fructifera erit, igitur uitæ huius ne sitis æquo amantiores, sed eam exemplo meo, uoluntati patris libenter impendite. Ita enim comparatum est diuinitus, ut qui amat uitam suam hic, & non uult pro patris uoluntate in discrimen eam adducere, uere sit eam perditurus. Dum nanq; uitæ authorem contemnit, qui non perderet, quàm ab ipso uitam accœpit? Et qui odit uitam suam in hoc mundo, hoc est, pro gloria Dei, tanquam odiens eius, in periculum adducit, custodiat eam in uitam æternam, quia in manum Dei optimi patris nostri, qui eam dedit, solusq; seruare potest, collocat. Confidentes igitur me sectamini, etiã in mortem usq;, dum ita patri usum fuerit, polliceor fore, ut qui mihi ministrauerit, annunciando orbi meam redemptionem, & intrepide in quoduis me discrimen secutus fuerit, indubitato eò perueniat, ubi ipse ero, indubie in gloriam patris. Nam & patrem honoraucrit, quisquis mihi ministrauerit, et secundũ iussa mea, uitam, nempe ut alijs uerbo & factis, me Christum esse testetur, instituerit.

OBSERVAT. Christus quo magis inuisus huic mundo fiebat, eo magis glorificabatur à patre, quoq; propius ei præsentis uitæ finis appropinquabat, eo magis illucescebat immortalitas, idem & nobis usu ueniet si ipsum sequamur. Animaduertenda quoq; allegoria grani est, ut enim primum à morte Christi aparuit, qui fuerit, ita et nos, post fata, solida gloria & fœlicitas manet, si modo

ministri eius fuerimus, id autem erimus, si in eo cui ipse incubuit operi sedulo incubuerimus, nempe ut Dei bonitas quàm plurimis ita innotescat, ut æmulari illam studeant. Huiusmodi ministri erunt, ubi ipse est, in gloria patris. Id utinam nobis eius spiritus persuadeat.

Sect. 4.

Nunc anima mea turbata est.

ANNOTAT. Per allegoriam grani, mortis suæ meminerat, hinc anima eius, hoc est, uis sensibilis, ut uerus homo erat, et affectibus tenerrimis, commota fuerat, patrē igitur inuocat, ut se saluet ex ea hora, quæ tū appetebat supplicij. Sed propter hoc inquit ueni in hanc horā, pater illustra nomen tuum. Concisæ sententiæ, & non sine reticentia, quæ perturbatis animis familiaris est, dictæ. Mihi uidetur, cum dixit, sed propter hoc, illustrationem nominis paterni, quā continuo precatus fuit, intellexisse. Vbi enī petierat, ut se pater ex ea hora liberaret, hoc est, donaret supplicīū imminens fortiter superare, ilico cogitauit de quo iam dixerat, quod nimirum à morte sua gloria patris esset quàm clarissime illustrāda. Subiecit igitur. Sed propter hoc, ut morte mea efficiam, ut ubiq; ō pater nomen tuum celebretur, ueni in hanc horam, hoc fac igitur ueniat, sicut tua bonitate omnino euenturū est. Glorificari, hoc est, celebrari nomē Dei, est passim ipsum Deū et patrem esse, prædicari atq; agnosci. Id post mortē Domini, misso spiritu sancto, magnificentius quàm unq̄ antea, fieri cœpit, sic nanque apparere oportuit, quid mundo mors Christi attulisset. Venit

Propter hoc ueni in hanc horam.

Venit uox è cælo. Glorificauerat nomen suum pater, dum tam insignia per Dominum agentem in carne bonitatis suæ testimonia ædiderat, rursum illud glorificaturus erat, misso paracleto, qui usq; ad extremū terræ Euangelion gratiæ erat inuulgaturus, & credere hinc, quā plurimis daturus. Hæc uox, propter adstantem turbam, cælo uenerat, ut agnoscerent Dominum, cum patre unum esse, ab eoq; seruatorem mundo missum.

Nunc iuditium est mundi. In iuditio mutari & corrigires solent, in mundo tyrannidem suam quietus exercuerat Satan fortis ille armatus, qui atrium suum diligenter custodiebat, hic iam ex plurimorum cordibus, qui pulso illo, Christo nomen daturi erant, ejiciendus erat, recte igitur iuditium mundi esse, id est, tam iam faciendum hic Dominus testatus est.

Iuditiū est mundi.

Et ego si exaltatus fuero. De morte crucis hac quidē allogoria dixit, sed quia per hanc in gloriā suam ingressurus erat, magis adeo hanc ipsam gloriam significauit. Id indicat, quod adiecit, omnes traham ad me ipsum. Hoc utiq; tum fecit, quū ad dexteram patris fuit exaltatus, unde spiritum misit. Voluit ergo dicere: Vos exaltabitis & & in ueram gloriam agetis, cum sustuleritis in crucem. Vos à terra attolletis corpus ut summa cū ignominia moriatur, atq; sic non modo uos deiecturos me, sed penitus extincturos arbitramini, id tam non efficietis, ut ea ipsa morte, me sitis uere à terra exaltaturi, & in cælum ad dexteram patris transmissuri. Vnde misso paracleto, id primum quod

Ego si exaltatus fuero.

mum quod uos interimendo me conamini auertere, efficiam, nempe ut totus mundus, hoc est, omne genus hominũ me sequatur, traham siquidẽ omnes ad me, fide facta illis per spiritum meum, quod seruator sum mundi. De hac exaltatione & supra pauca fol. 86.

Nos audiuimus ex lege, id est, scriptura psal. 7. Erit nomen eius in æternum &c, & psal. 89. Et thronus eius sicut dies cæli. Idem paßim in uaticinijs prophetarum legitur. Rogant igitur cur dicat se à terra exaltandum, cum uellet Christus haberi, intellexerant siquidem allegoriam, sed non penitus. Quis est, inquiunt ille filius hominis? Si de te ipso loqueris, cum Christum esse te prædices, & nos id credimus, quare dicis te exaltandum à terra? Si regnum Christi uere æternum scripturæ prædixerũt, oportet ut nobiscum semper maneas, & timearis dum sol & luna lucebunt, in generatione generationum, ut iam citatus psal. habet. Neq; enim intelligebant, ut æternum regnaret, ideo opus esse, ut corpus mortale immutaretur.

Christus æternus.

Ad huc ad breue tempus. Lumen non corporis sui, sed Euangelij præsentiam intellexit, quæ ad breue tempus in Iudæa fulsura erat, ex eo autem potuerunt discere, quo pacto esset abiturus, carne scilicet, quoue pacto apud suos usq; ad consummationem sæculi mansurus, hortatur ergo eos, ut ambulent in luce, dum lucem habeant, eamq; allegoriam mox ipse explicans dicit: Credite in lucem, ut filij lucis sitis. Lux utiq; CHRISTVS est, is præsens exhibetur, dum per Euangelion annunciatur.

Quomodo Christus lux nobis.

Ei qui

Ei qui credunt, filij lucis, id est, ueræ lucis, & ueritatis participes euadunt. Dicuntur enim filij lucis, sicut filij uitæ, filij benedictionis, filij mortis, filij perditionis, quos ita scriptura uocat, quod uitam & benedictionem habeant, quod morti & perditioni obnoxij sint.

OBSERVAT. Quod anima Christi turbata fuit, argumentum ueri hominis fuit, quod obserues contra eos, qui Martionis dogma pestilentiß. postliminio reuocant, de quibus supra 3. Animaduertamus etiam, nõ esse Christiani, ut nõ doleat, sed ne dolore à recto disturbetur, patrem Christus orauit, ut liberaret eũ à supplicio, non ne illud perferret, sed ut perferret fortiter, hinc discamus perturbati dum sumus, consolationẽ à Deo petere, à quo solo, certa ueraq; nobis ueniet. Obseruandum præterea ibi eiectum Satanam, ubi Christus regnare cœperit, ideo qui Christum semel uere receperũt, nunquã excident, de uictus enim est hostis eorum Satan, & eiectus. Laceßet igitur sanctos quidem, deuincet nunquam.

Circa id quod dixit Dominus, ad se omnes tracturum se, postquam eßet exaltatus, obseruandum, quid nouum, Christi litatio orbi attulerit. Etenim & ueteres sancti, per Christũ saluati sunt, utiq; quod ex gratia patris, & ipsius futura satisfactione, spiritus. donati fuere, ut diuina cognoscerent & amarent, atq; sectarentur. Quid iam præter hæc sancti acceperunt, dum DOMINVS redemptionem ipsorum perfecit? Hæc certe, traxit ad se omnes, quæ DEI gratia tantum apud Iudæos celebris erat, diuulgata fuit in uniuersum orbem,

Quæ noua Dei beneficia, mundus à morte Christi acceperit.

donato electis spiritu, multo quam ante sancti habuerant ampliore, quo sicut in uita Dei grādiores prudentioresq; facti sunt, ita liberati quoq; sunt à pædagogia cerimoniarum legis, non secus atq; à præceptore elementario liber fit, qui sublimiori doctrinæ cœpit esse idoneus.

Quid legis abrogatum.

Quicquid sane externorum rituum præceptum ueteri populo fuit, ad hoc præceptum fuit, ut tanquam rudiores illis uel ad aliquod pietatis & honestatis studium formarentur. Vbi igitur spiritus donatus est, quo multo perfectius ad omnem cum pietatem, tum uiuendi honestatem simul & decentiam, quam ullis unquam institutionibus externis fieri potuerit, electi formantur & impelluntur, non est utiq; ratio, ut elementis illis, externis scilicet obseruatiunculis etiamnum alligentur. Sicut profecto absurdum esset eius manum, qui iam scribendi artem egregie teneret, ad pingendas literas ab alio duci, aut præceptori elementario addicere, qui iam loquendi scribendiq; perfectum usum esset consecutus, aut uirum iam & uiro dignis moribus ornatum, ad illas morum formulas, quas pueris præscribimus, adstringere. Cum uenit quod perfectum est euacuatur, quod ex parte est. Vnde in futuro sæculo, cum magister spiritus omnia obtinuerit, cum Deum sicuti est cognouerimus, hoc est, cum in uirum perfectum, plene adultæ ætatis Christi euaserimus, etiam ea facessent externa, quorum in Christianismo quoq; usus est, nimirum usus externæ doctrinæ atq; monitionis, atq; inde cum sacramentorum, quibus externa societas Ecclesiæ, quo

siæ, quo commodius doctrina exerceatur, innitur & instauratur, tum ordinis ministrorum, quos propter docendi monendiq; officium hic habere nos Deus uoluit. Sic certe cum Ecclesiæ, tanto quam ueteribus amplior spiritus contigisset, & sancti ultra puerilem ætatem, in adolescentiam quandam & iuuentutem, cælestis uitæ essent euecti, iure abolita fuit pædagogia legis, quæ tamen utilis fuerat, dum populus Dei puer erat, hoc est, spiritu nondum libertatis, sed timoris tantum præditus. Vt autem hunc libertatis spiritum alij alijs opulentius, etiam in Christianismo accipiunt, ita alijs alij iure maiore quoq; libertate ab externis institutis fruuntur. Aetate sane minoribus & spiritu rudioribus utile est, elementarias nonnunquam præceptiones dare, sed quæ ex fonte totius sanctæ præceptionis, ijs scilicet præceptis, diliges Deū ex toto corde &c. & proximum sicut te ipsum, recta dimanent. Nullis aūt in uniuersum Ecclesia grauanda est, nisi quas Dominus dedit, qui solas dedit, quas dixi. Vsum externi uerbi, studiū externæ societatis propter cōmode percipiendū uerbum, baptismum & Eucharistiam, quibus commode istam societatem, & auspicamur & seruamus, deniq; ordinem ministrorum, qui docendi, monendi, & alia Ecclesiæ negotia curandi, muneribus fungantur.

Quæ elementa habeat Ecclesia.

His sane quamuis elementaribus, si futuram Ecclesiæ libertatem & perfectionem spectes obseruationibus, ij quoq; dedere se debent, qui eas uideantur spiritus diuitias consecuti, ut ab elemētis illis per parum fructus expectēt, qui ea

Elementa Ecclesiæ etiam obseruanda sunt præfectioribus.

qui ea scientia Dei creduntur præditi, ut ab Ecclesiæ ministris nihil queant doceri, sic ardentes spiritu, ut à nemine moneri opus habeãt, propter quæ sola utiq; externam Ecclesiæ societatem & sacramentorum usum, Dominus nobis commendauit. Quo enim maior unitas perseueret inter fratres, sicut sanctos in ueteri lege, qui adultiorẽ habebant spiritum, quam ut aliquid commodi à multis ritibus legis perciperẽt, adhuc tamẽ propter alios quibus illi ritus utiles erant, oportuit eosdem ritus obseruare. Sic oportet & hodie perfectiores, quam ut utilitatẽ queant percipere à nostris elementis quæ dixi, id est, abolendis olim institutis, illa studiose obseruare, quo uel suo exẽplo ijs quibus necessaria sunt ea cõmendent, & unitatẽ Ecclesiæ conseruent. Quod utinam sanabiles quidam, quos Catabaptistæ ab Ecclesiæ unione seduxerunt, animaduerterent, publicos certe Ecclesiæ conuentus sanctius colerent. Sed nouit Dominus suos, quos tandẽ ab omni errore reuocabit. Hæc quæ hic dißerui, cũ omnis scriptura, tũ clarißime Paulus paßim docet, peculiariter uero Rom 8. 1. Cor. 10. 11. 12. 2. Cor. 3. Gal 3. et 4. Ephes. 4. Philip. 3. Colloss. 2. & 3. 1. Timoth. 1. Prophetæ sparsim eadem habent, & Dominus infra quoq; 13. & 14. & alibi ea in summa quoq; precæpit. Fusius ista explicare, & exemplis illustrare, angustia temporis in præsenti uetuit. In Matth. tamen 5. & Epistolã Ephes. cap. 2. sect. 5. pluribus ista tractaui. Commodius fortasse dißeruißem de his, infra 13. uel 14. dum tamen hic fuit occasio dicendi quomodo Christus

Christus ad se omnia attraxerit, nimirum effuso spiritu ampliſsimo & in gentes, dicendum simul fuit, quid hic spiritus noui attulerit, præ ijs, quæ attulit & priscis sanctis. Ea ergo cum sint, amplior Dei cognitio, atq; inde studiosior bonitatis Dei æmulatio, unde & legis facta libertas est, de ea quoq; fuit aliquid adijciendum. Hunc iam abunde liquet hæc, super ea quæ prioris fœderis sancti habuerunt, Christi lutationem nobis attulisse, primum spiritum ampliorem, deinde hũc gentibus cum Iudæis communem, postremo, ut natura consentaneum erat, à legibus tot cerimoniarum & rituum, libertatem.

Christum lucem esse, idq; cum per fidem Euangelij habetur, unde omnem sapientiam præter Euangelion oportet meras tenebras esse, id multis iam locis obseruandum uenit.

Hæc locutus est Iesus ac digressus. Sect. 5.

ANNOTAT. Vt uicißim & humilitatem hominis, & uirtutem Dei in se exhiberet, per uices & fugiendo Iudæorum furorem declinauit, & animose ingerendo se illis uim Satanæ in eis occulta quadam uirtute repreßit.

Cum autem tam multa signa feciſſet. More suo, cum Euangelista ait, quasi loquens de omnibus, non credebãt in eũ, intellexit perpaucos in eũ credidiße. Hoc Ieschaiah prædixerat, ideo oportuit ita fieri, & uaticiniũ prophetæ impleri. Nam id ille nõ prædixißet, niſi sic futurũ à patre fuiſſet

fuisset definitum. Vaticinium hoc legitur Ieſcha. 53. Non forma, neq; decor, qui Chriſtũ referret, in Domino apparuit, ideo nullius quoq; fuit iudæis æſtimatus, niſi quibus brachium Domini, id eſt, diuina in eo uirtus reuelata fuit, id autem datum fuit pauciſſimis. Eam ergo paucitatem futuram uates ſignificans, dixit: Quis credet ſermoni noſtro, cui reuelabitur brachium Domini?

Propterea nõ poterant credere. Quid quæſo potẽtius & apertius dici poſſit contra liberũ arbitriũ, & pro Dei omnia ordinantis prædeſtinatione? Reprobi hi fuerũt, quibus in hoc uerbum Dei prædicari debuit, ut magis excæcarentur, & impietatis ſuæ modum implerent. Diximus aliquoties ſupra quo propius ſe Deus mentibus impiorum inſinuat, eo magis illorum impietatem exagitari, ut blaſphemantes conditorem ſuum, peccatum, in quo mori, & æternum cruciari eos oportet conſument. Euangeliſta ſimpliciter, quid Dominus fecerit impijs, prædixiſſe prophetam memorat, quod nimirum excæcauerit oculos eorum &c. Vates autem nõ abſq; ſchemate hæc ſcripſit, introducit enim Deum dicentem ſibi: Vade dicesq; populo huic, audiendo audite, & non intelligetis, uidendo uidete, & non cognoſcetis. Fac craſſum cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius contege, ne uideat oculis ſuis, & auribus audiat, & corde intelligat, & conuerſus ſanitatem accipiat. Ex his prophetæ uerbis ſignificatum uidemus fore, ut tum reprobi excæcentur, & in pernitiem indurentur, cum ueritas eis quam patẽtiſſime prædicaretur.

Locus Ieſcha. 6.

Propheta

Propheta ergo Chriſto præmiſſus, & ex eius ſpiritu loquens, cum reprobis iudæis ueritatem ſalutis prædicaret, tam non reddidit eo illos meliores, ut blaſphemare eos ueritatem iam cognitam, ac ita in ſpiritum ſanctum peccare efficeret, unde conuerti nunquã potuerunt, & ſanitatẽ recipere. Idem cũ illis Chriſtus ipſe, patris doctrinã attulit, tanto clarius euenit, quanto reuelatius ipſe & potentius illam cum uerbis, tum ſignis oculis reproborũ intulit, multo uerius igitur hoc uaticiniũ ipſe impleuit. Vtiq; poſt Chriſti prædicationẽ ea iſraëlicæcitas accidit, qua nulla ante ea maior. Hac in re igitur Ieſchaeiah Chriſti typus fuit, & quam ipſe reprobis ſua prædicatione excæcationẽ inuexit, eius quæ poſtea inflicta reiectis per Chriſtũ fuit, tantum umbra quædam extitit. Et omnino id uates intellexit, eoq; non tam de ſe iſta, quam Chriſto uaticinatus eſt. Id Euãgeliſta recte adſcrit dicens: Hæc dixit Eſaias, quando uidit gloriam eius, & locutus eſt de eo.

Quomodo Chriſto competat hoc uaticinium.

Cuius autem gloriam uidit, de quo locutus eſt? In anno, quo moriuus fuit, Vzitahu regis, ſcribit uates ſe uidiſſe Dominũ ſedentem ſuper ſolium excelſum et eleuatum, & fimbrias eius replenſſe templum. Tum Seraphim ſtetiſſe ſuper eum, & fuiſſe unicuiq; ſex alas, duabus illos texiſſe faciem ſuam, duabus pedes & duabus uolaſſe, clamaſſeq; alterum ad alterum, ſanctus, ſanctus, ſanctus Dominus exercituum, plena eſt omnis terra gloria eius. Hac uiſione, ſpecimẽ regni Chriſti oſtenſũ uati fuit, unde ſcribit Euangeliſta, uidiſſe eum gloriam CHRISTI.

Quomodo Ieſchaiah uiderit gloriã Chriſti.

Vtiq; Christus sedet super solium celsum, cui pater omnẽ dedit potestatem in cælo, et in terra, simbriæ eius replent templum, cum omnium electorum corda, per Ecclesiam ab eo, quod homo pro nobis mortuus est, uiuunt & saluãtur. Astantes illi Seraphim, repræsentarũt angelos Domino ministrãtes. Ii duabus alis faciem, duabus pedes, a q; ita totum corpus contegebant, tum duabus uolabant, eo significatum puto, diuiniore & cælesti uirtute undique illos amictos esse, tum eadem omnia quoq; agere, attamen Christo homini iure inseruire, ut omniũ Domino. Vnde & Seraphim, id est, ardentes, utiq; illo igni, qui Deus est dicũtur. Geminatio alarum, plenitudinẽ diuinitatis, quæ in illis & superna, et inferna, tegit tũ & opera efficacia reddit, adumbrasse uidetur. Sic & Ioseph his uisum somnium eiusdem rei, significasse interpretabatur maiorẽ certitudinem. Hi super Dominum steterunt, quo adumbratum existimo, quod breui tempore, nempe quo egũ hic in carne mortali, imminutus fuit à dignitate Angelorũ. Adstiterunt tamen Domino, licet in sublimiori loco, quia semper ei ministrauerunt, & super eum, quamlibet filium hominis descenderunt & ascenderunt, de quo supra 1. Sanctum trina, hoc est, perpetua confessione cum celebrant, יהוה צבאות, id est, Dominum exercituum, hoc est, authorem & Dominum omnis uirtutis & ornatus, qui uel in cælo est, uel in terra, cuius gloria omnis terra plena sit, prædicant, quia ministerio angelorum, per quos sua Deus opera exercet, Christi diuina maiestas, qua uere

sanctus

sanctus & adorandus omnibus existit, cum efficaci sermone, tum signis & prodigijs per Apostolos, hominibus per uniuersum orbem ostensa, factaq; illustris & celebris fuit. Hanc Domini IESV gloriam, in hac uisione prophetã uidit, & dum se dixit missum, ut uerbo ueritatis populum excæcaret, de ipso potissimum locutus fuit, quem scilicet ut Dei ueritatem & bonitatem apertius atq; potentius prædicaturũ Iudæis intellexit, ita præsensit per eum, plus quoq; quam unquam antea illos excæcandos & indurandos. Quanquam et ipse uates, reprobis inter Iudæos, qui ipsum audierunt, etiam occasio fuerit, ut excæcarentur & perirent, sed non nisi quatenus Christi minister, Christi item uerbum illis annunciabat.

OBSERVAT. Obseruandum, ut recte de Christo prophetæ prædixerint, non dum enim erat tempus, ut reuelaretur. Spiritus autem filijs Dei omnia facile retegit, reprobi debent undiq; habere occasionem ut pereant. Diligenter autem animaduertendum, quod hic Euangelista ait: Vatem de CHRISTO locutum, cum ipsa uatis uerba testentur illum, de se ipso locutum. Hinc confirmatur, quod supra 3. de typis Christi dixi. Typus Christi & hic propheta fuit, eoq; quæ in Christo implenda erant, in se tantum adumbranda sibi tribuit, dum tempus nimirum nondum esset de Christo palam loqui. In eo autem quod Euangelista scribit, propterea non potuerunt credere, notanda prædestinationis certitudo est, & lib. arbitrij uanitas.

Sect. c.

Veruntamen ex principibus.

ANNOTAT. Quia de obstinatione iudæorũ Euangelista dixerat, quod non potuerint Domino credere, recte hoc subiecit, quo ostendit nõ omnes ita fuisse reiectos, sed etiam ex principibus multos in Dominum credidisse, quanquam infirmiores adhuc, & gloriæ huius mundi amantiores essent, quam ut id palam auderent confiteri, quo pacto gloriam nacti fuissent apud Deum. Vt ergo hos Dominus animaret clamabat & dicebat, qui credit in me

Clamabat.

& c. Volebat siquidem & exemplo suo, ita edita uoce de se prædicans, quo nihil molestius audiebant pharisæi, excitare eos, ut secum pharisæos præ Deo contemneret. Tum addidit rationem uehementiß. sane, adserens in Deum credere, qui crederet in ipsum, quiq; ipsum uideret, hoc est, rite cognosceret et puideret, de quo & supra, ὁ θεωρῶν enim dixit, Deum uidere & cognoscere, quæ utiq; æterna uita est. Adiecit uero. Ego lumen in mundum ueni, ut omnis qui credit in me, non maneat in tenebris, hoc est, qui me Christum recipit, à peccatis & omni ignorantia liberetur, ut plene tandem cognoscat Deum, indeq; æternum uiuat. His cum se Dominus palam Deum esse, & cũ patre unum prædicaret, abunde satis principes istos pro uocauit, ut susq; deq; habentes quid de ipsis pharisæi statuerent, palam se DOMINO dedidissent unico mundi seruatori.

Ego non iudico eum, nimirum homo tantum, quem me esse

esse uidetis. In hac siquidem conditione mortali non ueni in mundum, ut iudicem, hoc est, condemnem mundum, non est enim hoc, propter quod præcipue adueni, non hoc spectato, licet multi nihil nisi condemnationem à me, sed sua culpa accipiant, de quo & supra 9. Præcipua causa cur adueni, est ut mundo, hoc est, omne genus hominibus salutem adferam, impetrato & donato eis spiritu solidæ iustitiæ.

Sermo quem locutus sum. Hic sermo, ipsa ueritas est, & mittentis patris de æterna uita promißio, Euangelion regni. Id ita tandẽ reprobi agnoscent, ut nihil poßint contradicere, & si simul nequeant eũ sermonem ueritatis et amplecti pietatis, nati scilicet ex Diabolo. Hinc autẽ cum quibus nunc occupati sunt carnis oblectamenta olim euanuerint, contra se ipsos pronunciabunt, qui ultro oblatam ueritatem, & sermonem æternam uitam adferentem contempserint, atq; ita ipse sermo CHRISTI, hoc est, ipsum Euangelion gratiæ, damnabit olim contemptores sui, dum clare demum illi agnoscent quantam Dei bonitatem reiecerint, indeq; tum condemnabunt semetipsos. Sicut si quis salubre amici consilium contemneret, & diceret ille, consilij sui contemptori, contemnis modo quod tibi consilium dedi, ob id ego nihil mali tibi faciam, sed ipsum quod dedi tibi consilium, ubi id olim recte cognoueris cruciabit te, & pœnitere faciet uecordiæ qua illud iam reijcis. Ita fingi modo non potest, quanta sit im-

Sermo Christi condemnabit impios.

piorum in die nouissimo carnificina futura, quanti eorum cruciatus, quando apertissime uidebunt eum Christi sermonem & Euangelion quod orbi attulit, quod ipsi tanquam DEI blasphemiam totis uiribus persecuti sunt, esse ipsum Dei sermonem, & quo uitam æternam orbi obtulit. Hoc uero est, quod ait, ideo sermonem suum, iudicaturus eos, qui eum non susceperint, quia ex se ipso, homine scilicet nihil locutus sit, sed sicut ipsi pater mandatū dedit, hoc est, loqui iussit seq; scire ad uitam æternam esse, hoc est, uitam æternam adferre credentibus. Idem est, quod Paulus scripsit Romanis, Euangelion esse potentiam Dei ad salutem omni credenti.

OBSERVAT. Obseruandum iterum sermonem CHRISTI, semper suos habere auditores, eos q; in quouis ordine & uitæ genere, & à nemine magis damnari, quam ab ijs qui uolunt uideri sanctitati & ueritati addictissimi, tum infirmos DOMINVM nequaquam abiecisse. Vides enim hic & principum multos credidisse, licet infirmi adeo essent, ut Dei gloriam, humanæ nondum possent præferre, pluris q; calculum phariſæorum hostium Dei, quam DEVM ipsum facerent, neq; tamen abiecit illos CHRISTVS, sed quantum licuit cohortatione confirmare, & prouehere est conatus. Id & nos curemus, ne qua Dei uasa, si non confringamus, lædamus tamen, quos enim misericordiæ uasa esse DEVS uoluit, destinata ad usus honorificos, exer-

cos, exercere homines inconsulti possunt, confringere non possunt. Væ autē illi dixit DOMINVS, qui unum ex minimis eius offenderit. Postremo animaduertendum quoq; Domini cum patre æqualitas, quum dicit uidere patrē, qui ipsum uiderit. Hinc enim certo colligitur cum ipsum DEVM, & cum patre unum esse. Sed uidere hic est, ut dixi peruidere, atq; certa fide contemplari cum, ut quid sit, plane pernoscas.

CAPVT XIII.

Ante festum autem paschæ. Sect. 1.

ANNOTAT. Quum fractione panis et calicis distributione, quam reliqui tres Euangelistæ factam in hac nouissima cæna CHRISTI conscripserunt, Dominus nihil aliud uoluit, quam discipulos suos certos reddere, in eorum salutem paulo post corpus suum tradendum, & sanguinem suum fundendum, tum dare ritum, quo hoc tantum beneficium, identidem memorarent, & hic Iohannes quomodo caro DOMINI uere cibus, & sanguis eius uere potus est, ad æternam uitam, supra ex narrato sermone Domini, quem Capernaū habuit, satis ostēdit, ad hæc ritus ille Eucharistiæ, cū scriberet, pridem omnibus Christianis cœpisset esse familiariss-

Ordo historiæ.

miliariß. non duxit operæ precium, eundem hic repetere, sed prætermißis quæ ad Eucharistiam attinent, memorat, quæ ut mihi uidetur, cæna iã absoluta, à Domino facta sunt & dicta, quæ scilicet alij Euangelistæ præterierant.

Vt transiret, hoc est, transferret in lucem inaccessam carnem suam, oculis hominum subductam. Verus homo fuit, unde cum ad patrem ex mundo abijt, in mundo iam ut abijt, non est, tametsi sit pater ubiq;. Quanquam enim pater sit ubiq; & omnia impleat, non tamen ubique inaccessam suam & beatam lucem reuelat. Superiori capite dixit Dominus, ibi fore & ministrum suum, ubi esset futurus ipse. Iam ipse ad patrem abijt, eodem ergo peruenient omnes quoq; ministri eius. Sic iam probat ubiq; esse cum, qui apud patrem est omnibus rebus præsentem, sequetur, & ministros CHRISTI ubiq; fore. Id putare quum apertus & grauis error esset, agnoscent nihil aliud esse, & quod corpus Christi illi, de quibus supra 3. & 6. hinc colligunt esse ubiq;, quod sit apud patrem, qui est ubiq;.

Pater est ubiq;, ergo et Christus ut homo paralogismus.

Ad finem dilexit eos, hoc est, usq; in finem nihil omisit erga eos, quod dilectionis esset. Paulo ante porrecto pane & poculo affirmauit, se illis donare corpus & sanguinem suum imolanda pro ipsorum salute, quo nouum fœdus DEI ipsis confirmaretur, modo uolebat lauare illis pedes, ita & exemplo suo ad summißionem

Ad finem dilexit eos.

summißionem & mutuam dilectionem eos prouocaturus. Cui facto sermonem quoq; subiecit, incredibiles dilectionis flammas ex se eiaculantem. Ob hæc ergo scribit Euangelista, dilexisse Dominum suos in finem.

Cum Diabolus iam. Vt mendacij, ita omnis peccati author & suggestor Satan est, prætera tam infandum scelus Iudæ fuit, ut non esset humanæ menti tribuendum. Videtur autem hoc in præsenti Euangelista ideo memorare, ut Domini summißionem, mirámque lenitatem, & in eo prædicaret, quod tam scelesto proditori suo sustinuisset, lauare pedes.

Diabolus misit in cor.

Sciens Iesus quod. Sensus. Quanquam sciret Dominus sibi omnium potestatem traditam, & uere Deum esse, qui à patre uemisset homo factus, & nunc etiam homo, diuinam maiestatem repeteret, attamen adeo se demisit, tamq; fuit seruulorũ suorũ amans ut etc. Vt enim Domini dilectionem in suos, Euangelista maximam fuisse ostenderet hæc de Domini diuina celsitudine prænusit.

Surgit à cæna. Memorabile factum, more suo quàm diligentißime singula persequens, memorat, utiq; ut diligenter quoq; à nobis perpenderetur.

Venit ergo ad Simonem. Omnino uidetur ad hunc uenisse, cum iam alijs aliquot discipulis pedes lauasset. Neq; mirum si Petrus reclamauerit, cum alij lauari sibi pedes à Domino sustinuissent, indicant enim & alia, quæcunque ferè de eo Euangelistæ memorant, cum Domini amore et admiratione, admodum arsisse.

Quod ego facio, tu nescis nunc. Neq; enim ut discipuli mundos haberent pedes, sed ut discerent mutuam dilectionem, hanc lotionem Dominus instituerat, id tum ignorabat Petrus, postea à Domino audiuit, sed uere demum intellexit, cum accepto paracleto, & reliqua Christi gesta uerbaq; cognouit penitus.

Si non lauero te. Rustice magis quàm pie officium suum recusantem Petrum, deterruit Dominus, facta anagoge ab externa, ad internam lotionem. Neq; enim cum Domino quisquam commune aliquid habere potest, nisi renatus, hoc est, spiritu eius lotus. Hanc allegoriam tametsi tũ Petrus non intelligeret, quia tamen audiebat se non posse cum Domino partem habere, nisi ab ipso lotus, illico manus & caput, simul cum pedibus lauanda Domino obtulit. Dominus autem altera usus allegoria, desumpta ex cõmuni hominum usu, respondit, tantum opus ei esse, ut lauet pedes. Sicut nanq; loti, solent tamen pedes, quos contactu terræ continuo inquinãt, uel etiam cum primum balneas egrediuntur, abluere, & mox & identidem, sic & ei, cui aqua illa munda, de qua Iechezkel, spiritu DEI, lauari, hoc est, renasci, datum fuerit, non est opus, nisi ut pedes, quibus terram contingit lauet, hoc est, carnem hanc, mortificando continuo affectus eius prauos, expurget, cætera est mundus totus, fide cor purificante. Hinc mundos discipulos Dominus pronunciauit, quia hoc filiorum Dei spiritu, qui quos semel apprehenderit, nunquam donec omni mundatos macula, reddat undequaq; puros, donati erant

Mũdus totus est, qui lotus semel.

erant, Iudam excœpit, quia hunc spiritum nunquam percæperat, reprobus, & Deo odio habitus cum adhuc in utero esset matris. Spiritum quidem, id est, uirtutem habuerat, ut uerisimile est, pellendi dæmones & uirtutes alias faciendi, sed ea animum eius non immutauit, unde audiuit à Domino, quod illi de quibus Matth. septimo. Amen dico tibi, non noui te. Sic & Schaul spiritum aliquandiu habuit נדיבה, id est, principalem, quo egregie regnum potuit administrare, spiritum autem, quo uera imbutus fuisset pietate, non habuit, alioqui filius Dei perseuerasset. Sanctificãtur enim tantũ, qui uocati et prædestinati sunt.

Quid spiritus Iudas habuerit.

OBSERVAT. Obseruanda ingens Domini & ardentissima dilectio, qui adeo nihil in finem usq; omisit, quo plenc iustos & beatos redderet suos, quemq; non piguit, ad quoduis se demittere ministeriũ, quo nos dilectionem, qua ut lex completur, ita homo DEI absoluitur, commendaret. Hinc discamus, & quàm tuto nos ipsi credamus, & quàm sedulo deceat, in proximorum nos dilectione exercere, quamlibet uel ipsi magnisimus, uel illi humiles, adde etiam hostes. Nam DOMINVS omnium cum esset seruator, Iudæ tamẽ proditoris sui lauare pedes ut creditur, discipulorum enim pedes scribitur lauasse, neque quisquam excipitur, nequaquam dedignatus est.

Prædicata hic amplissima DOMINI, & potestas & dignitas, moneat ut totos nos illi dedamus, & uerbum eius, rebus omnibus anteferamus.

Obser-

Obseruandum item, non posse partem cum Domino habere, nisi totum ab ipso, & totum prorsus mundum esse, tantũ opus habere, ut lauet pedes. Docemur his enim, spiritum iustificationis à solo Christo dari, tum datum nunquam auferri, quia totum, non opus est, lauari, sed est mundus totus, denique externam tamẽ semper conuersationem emendandam, donec membra quæ super terrã sunt, penitus mortificauerimus, Colossen. tertio, & carnem cum uitijs & concupiscentijs prorsus crucifixerimus. Gala. quinto.

Denique notandum usum Dominum allegorijs hic, quæ Petro cum audiret ænigmata fuerunt, sed postea intellectæ, cum ipsi tum alijs suum fructum nihilominus attulerunt.

Postquã ergo lauisset pedes eorum.

Sect. 2. ANNOTAT. Quod uelut ænigma Dominus hoc facto discipulis exhibuerat, nunc explicat, monẽs ut quandoquidem ipsum magistrum & Dominum recte salutarent, nollent se Domino, magistro, & leganti suo seruuli, discipuli & legati præferre, quodq; uidissent ipsum ædere exemplum, uellẽt studiose imitari, ut nimirum alij alijs inuicem lauare pedes nequaquam grauarentur, quando ipse eorum pedes lauisset, eorum magister & Dominus. In eo autem quod dixit: uos quoq; debetis alij aliorum inuicem pedes lauare, nequaquam pedum tantum lotionem exegit,

exegit, sed ueræ dilectionis officia quæuis. Synecdoche enim est, ut ex eo quod seruilissimũ uidetur omnia officia intelligas. Qui nanq; eo demiserit se, ut ex syncera dilectione, etiam hosti, nedum fratri, lauet pedes, quid ille ministerij, quid officij detrectet? Nihil minus igitur quàm Christum imitantur, Episcopi & Satrapæ, dum quotannis semel aliquot pauperum pedes, sed eos ante nõ lotos solum, & odorata simul aqua perfusos, abluunt & deosculantur. Non fucis, sed ueris Christum imitari oportet, nempe ut nemo quamlibet eximius, indignum se ducat quibusuis & quamlibet humilibus & sordidis officijs, non modo fratres, sed & inimicos demereri. Cum Abigail diceret nuncijs Dauid, ecce me famulam tuam, quæ sim in ancillam, ut lauem seruis Domini mei pedes, nequaquam ad talem ficum, qualem exhibent præpostericristi æmulatores, sese obtulit, sed significauit usq; adeo morigeram fore se Dauidi, ut ne quidem lauare pedes seruulorum eius detrectatura esset. Sic et Paulus accepit, lauare pedes, cũ uiduam requirit quæ lauerit pedes sanctorum, id est, quolibet ministerio, illis inseruierit 1. Timoth. 5. Quid sit lauare pedes.

Si hæc nouistis. Hoc est, si hæc recte intelligatis, ita ut libeat ea præstare, beati estis. Nam quo Deo euadimus similiores, eo sanè & beatiores reddimur, iam nulla re magis Deo similes euadere licet, quàm perpetua in omnes beneficentia, sic perfecti euadimus, uti ipse est qui tam malis quàm bonis benefacit, Matth. 5. ac est bonitas ipsa, qua omnia uiuunt & fouentur.

Obseruat-

OBSERVAT. Obseruemus diligenter, quam deceat nos seruulos & discipulos, Dominum & magistrum æmulari, cum igitur ille pro nobis inimicis suis mortẽ etiã obijt, nihil putemus esse, quod nõ subire debeamus pro fratribus. Hinc certe uere beati euademus, indubie miseri futuri, si uxerimus nobis ipsis. Beatius est dare, quã accipere.

Sect. 3.

Non de omnibus uobis loquor.

ANNOTAT. Ne plures se inter immundos numerari putarent, palàm dixit unum esse duntaxat immundũ, simul explicans quàm immundus ille esset, nempe adeo, ut ipsum magistrum & seruatorem suum proditurus esset, & in manus impiorum traditurus. Ista uero ita quæstus, ademit omnem scelerato proditori excusandi ansam, & ostendit, quã nihil possit profici erga eos, qui spiritu filiorum destituti, in potestate sunt Satanæ.

Scio quos elegi. Vide neq; malos posse esse, quos elegit, neq; bonos quos non elegit. Iudam enim significat se non elegisse. Huic uero non pugnat, quod supra 6. in fine dixit. Nunquid ego uos duodecim elegi, & unus ex uobis diabolus est. De externa enim ibi electione in cœtum Apostolicum, hic autem de interna, & æterna in numerum filiorũ Dei, locutus est.

Vis electionis.

Sed ut impleatur scriptura. Hæc Psalm. 41. legitur, Ebræa sic habent. Etiam amicus meus, de quo confisus eram, qui uescebatur pane meo, sustulit calcem suum contra me. Hæc de quolibet sancto, qui à domesticis suis adsitgitur

gitur uere intelligas, uti Dauid de se illa cecinit, sed quia nemo hoc indignius unquam & grauius Christo pertulit, optime, & in eum, imò in eum, præ aliis hoc dictum competit, hinc igitur dixit, ut impleretur scriptura, id est, in me quoq;, ac ideo plenè uera ostenderetur. Cæterum scriptura, per magnificare supplantationem, uelleuare plantam, uel calcancum, oppressionẽ intelligit. Quẽ enim calcanco truseris, & supplantaueris, prorsus habes prostratum. Imperfecta autem est hæc Domini oratio, sed ut scriptura impleatur &c. & impletur, si subaudias, ideo ferendum est, aut quid eiusmodi. Similem sanè fieri Dominum fratribus oportuit, per omnia tentatum, cum igitur & hoc in fratrum tẽtationibus, & eorum, qui typum eius gesserãt fuisset, à domesticis scil. opprimi, idẽ pati & Dominũ oportuit, ac ita et in ipso, hãc scripturã Psal. impleri.

Leuare calcaneum quid.

Nunc dico uobis. Vtiq; cum uiderent cum omnia præsciuisse, & tamen pati ea uoluisse, facile potuerunt agnoscere, uere cum Christum et Deum esse. Quanquam hæc omnia tum fuerint illis rite perpensa, atq; intellecta, cũ spiritu ampliore fuerunt donati. Adeo præter doctrinam spiritus, nihil horum potest homo percipere.

Amen amen dico uobis. Et hæc oratio imperfecta est, siue omiserit aliquid Euangelista, siue Dominus ipse, ut solet fieri, cum animus perturbatus est, aliquid reticuerit. In hoc enĩ uidetur Apostolicã dignitatẽ hic Dominus extulisse, ut significaret, quantũ Iudæ honoris contulisset, atq; in ic, quam ingratus & sceleratus ille esset, qui in mortem

posset

posset tradere, qui se eo euexerat, ut qui ipsum recepisset, Christum & Deum ipsum recepisset. Vnde cum hæc dixisset turbatus fuit spiritu, utique ob atrocitatem tanti sceleris, quæ perturbatio quoq; eum compulit, ut apertius de proditore loqueretur, cumq; solita sua adseueratione testaretur, unum esse ex ipsis suis selectioribus discipulis atq; Apostolis, qui esset se proditurus. Quasi dicat: Videte in quantam uos duodecim dignitatem extulerim, amen amen siquidem dico uobis, tales ac tantos uos feci, ut qui uos excœperit, me & patrem meum excœperit. sed ô scelus, ô inauditam crudelitatem, unus ex uobis, uobis inquam duodecim, uobis Apostolis, quos qui audierit, me & patrem audiuit, quibus qui benefecerit, mihi & patri benefecit, me tradet in mortem.

Ille est cui ego intinctum. Hæc sanè uidentur indicare, Iohannu proditorem porrectione buccellæ proditum, sed cum sequitur, neminem discumbentium intellexisse, ad quid Dominus dixerit Iudæ. Quod facis fac citius, uidetur ueri simile, mentem Iohannis ita fuisse detentam, ut licet audisset à Domino, eum esse proditorem, cui dedisset intinctum panem, ac mox uidisset, Iudæ panem porrigere, non tamen planè intellexerit Iudam illum proditorem esse, aut si intellexit, nõ existimauerit tamen tum instare, ut scelus suum ille perficeret. Certe nihil tale dixit aut fecit Iohannes, quod quidem scriptum sit, unde coniectura esset, eum proditorem ex hoc Domini indicio planè agnouisse. Vtcumq; autem sit, siue planè agnouerit eum, siue minus,

minus, sic certe secretum hoc Dominus cõtinuit, ut adhuc quidem nihil tale à Iuda discipuli expectarẽt, quo certe super alia beneficia innumera, et incõparabilia, bonitatẽ suam scelesto mirifice declarauit, satisq; ostendit, sua illum culpa perijsse.

Et post offulam. Satan possedit mentem Iudæ iam ab initio, sed uim suam nunc magis, quàm ante cœpit exercere, hinc scribit Euangelista, ingressum in eum Satanam, cum & paulò ante scripsisset immisisse Satanã in cor eius ut Dominum proderet. Vt enim homines ad pietatem sancto aguntur spiritu, ita ad impietatem, malo, qui est Satan. Et sicut bonum spiritum recipere sancti dicũtur, quoties insignius eo afflantur, ita dicuntur et mali inuadi à Satana, quoties apertius ab illo impelluntur ad scelera. Apostoli tum certe spiritu sancto donati fuerunt, cum Christo credidcrunt, attamen spiritum sanctum, & post resurrectionem, cum Domini adflatu, & post ascensionem, in linguis igneis leguntur iterum accepisse. Significat enim spiritus, uim arcanam & energiam, qua aguntur mentes, si ad sancta, spiritus sanctus, spiritus Christi & Dei, si ad impia, spiritus malus, ἄτη Diabolus & Satan. Quid spiritus.

Cum ergo accepisset ille offulam, exiuit cõtinuo. Hoc uidetur Euangelista adiecisse, ut indicaret perditi hominis inuictam omnibus officijs crudelitatem. Simul tamen cum Dominus porrigendo offulam Iudæ diceret, quod facis fac citius; occasionem illi dedit continuo egrediendi, ut sic ne Iohanni quidem constaret, an ipse is esset, quem

Dominus uoluisset, porrigendo offulam, indicare suum esse proditorem. Mihi quoque uidetur, porrecta offulæ simul & DOMINI uerbis, uelut ui quadam bonitatis Iudam electum esse, ut qui neque propositum posset mutare scelestum, neque ferre iam omnia superantem Christi lenitatem.

OBSERVAT. Notandum primum mysterium electionis, cum ait DOMINVS se scire quos elegerit, inde quomodo scripturæ in CHRISTO implentur ex adducto loco Psalmi, tum perpendenda est & CHRISTI diuinitas præscientis omnia futura, dum de Iuda prædicit. Post hæc Apostolorum obseruanda dignitas, dum testatur se & patrem recipi ab eo, qui receperit Apostolum suum, ueritas autem humanæ naturæ, cum spiritu turbatur ob scelus Iudæ, eadem notatur & in eo, quod familiaris dilectionis affectum, erga Iohannem ostenderit, unde ille, discipulus cognominari cœpit, quem diligebat Iesus. Incredibilis denique notatur Domini lenitas, quod Iudam toties monere, & nunquam uoluit prodere, bonitatéque tam mirabili, cum impietate illius usque certauit. In Iuda autem in quem post offulam totus ingressus Satan fuit, notatur id quod aliquoties iam monuimus, reprobos tanto magis in furorem agi, quanto præsentius illis diuina bonitas illuxerit. Iudæ euenisse in pharisæis, uides hic euenisse & in Iuda.

Sect. 4.

Cum ergo exisset, dixit Iesus.

Annot=

ANNOTAT. Nox erat cum egrederetur Iudas, eoq; proximum erat, ut ad supplicium Dominus raperetur. Inde dixit: Nunc glorificatus est filius hominis, hoc est, aduenit tandem tempus, ut morte finiam tempus humilitatis meæ, & auspicer tempus gloriæ. Hoc tam prope acceßit, ut nunc uidear mihi glorificatus, nunc uidear mihi CHRISTVS per uniuersum orbem adorari, quo pacto & Deus in me glorificabitur. Tum enim recte demum Dei gloria illustrabitur apud homines, cum electi ut patrem suum, per me agnouerint, consortes diuinitatis facti. Sic ergo cum res habeat, ut per me patris gloria illustrãda sit, necesse est, ut ipse me glorificet in se ipso, hoc est, esse me DEVM declaret, sic ipse in me, DEVS in Deo, sed homine facto, in eáque natura, ad diuinitatis consortium exaltato, recte cognoscetur. Hanc itaque gloriam mox mihi conferet. Hæc de glorificatione sua DOMINVS disserut, ut animos suorum confortaret, quos sciebat suo supplicio mire consternandos, testatus igitur est, illud certamen ad diuinitatis gloriam, uiam esse.

Nunc filius hominis glorificatus est.

Filioli adhuc paulisper. Blandientibus uerbis abiturum se dicit, quo minus putarent illi se ab ipso desercndos. Dilectionem mutuam eis quando nequibant adhuc sequi ipsum, per supplicium in gloriam patris, diligenter commendat, germanum signum, quo agnosci queant ipsius discipuli. Nam ut ueram pietatem, legisque solidam implc=

Cur dilectio signũ Christianismi.

tionem, suos non tam docet CHRISTVS quam etiam largitur, ita necesse est inter eos unice uigeat dilectio mutua, quæ legis scilicet impletio est, & ideo omnis pietatis colophon, quicunque uere ipsum magistrum audiunt & obseruant.

Præceptum nouum uocat, noua enim præcepta ab ipso nouo magistro, & orbis instauratore expectabant, non quod per se nouum esset, & antea non auditum. Nihil siquidem aliud omnis lex requirit, quàm ut quisque proximum suum, perinde atq; seipsum diligat, impletur siquidẽ tota lex in hoc uno uerbo ut Paulus Gal. 5. scribit. Vere autem nouum hoc præceptum, & Christi peculiariter, ideo dicitur, quod ut Iohannes scribit in Epistola sua cap. 2. in Christo uerum est, nemo enim illud plenius unquam implenit, cum animã suam pro nobis posuerit inimicis, tum ab ipso datur, ut idem uerum sit & in nobis, hoc est, uigeat in nobis minime fucata, sed solida & officiosa dilectio. Tenebræ namq; per ipsum abactæ sunt, omnis nimirum sensus carnis, & proles huius amor nostri, uerum iam lumen lucet, utique ipse Christi spiritus, docens nos nostra patri in cælis committere, & curare quæ sunt proximorum. Hactenus ergo, dilectionis præceptum, nouum Christi præceptum dicitur, quod CHRISTVS ut in se perfectam dilectionem nobis exhibuit, ita donat omnibus suis, eandem synceram habere, & amplam adeo, ut illi omnium externarum rerum moderatio sit permißa, atq; remotum

remotum onus tot cerimoniarum legis, quæ antea erant pijs obseruandæ, de qua liberatione supra in caput duodecimum Sectiun. quarta. Cæterum si ipsam doctrinam, & mandatum spectes dilectionis, uetus sane præceptum est, ut & ipsum Iohannes uocat, ab initio enim conditi hominis, id præcepti DEVS dedit, ac etiam in cordibus omnium gentium, ne dum in libris scriptum, semper ante omnia proposuit, & exegit.

Dicit ei Petrus. Miro ardebat studio CHRISTI, sed quia suas uires nondum habebat perspectas, in bonum suum cadere eum oportuit.

OBSERVAT. Animaduertamus, sicut per mortem CHRISTVS, & in eo Deus glorificatus est, ita & in nobis non posse bonitatem DEI plene relucere, nisi caro hæc, in qua nihil bonum est, fuerit immutata. Regnum siquidem DEI hæreditare non potest.

In primis autem obseruandum erat, solam dilectionem germanã esse Christianismi notã, hoc si agnoscerent Catabaptistæ, nequaquam ita pro elementis digladiarentur, si Artocreatistæ, haud temere ita fratres suos Satanæ traderent, si omnes nos pariter, nequaquam essent inter nos tam faciles offensæ, non tam tenuia pauperum subsidia, in totum longe ampliore in nobis gloria regnum CHRISTI fulgeret. In Petro inconsultæ audaciæ exemplum est, neque inde discendum, ut nihil nobis

boni arrogemus, sed omnia à benignitate patris expectemus.

CAPVT XIIII.

Et ait discipulis suis: Ne turbetur cor uestrum.

PARAPHRA. Dixerat se Dominus paulisper futurum cum discipulis suis, & abiturum, quo ipsi nondum possent uenire, inde quod consequens erat, illi admodũ erant perturbati, ut qui eximio Domini amore flagrarẽt, cõsolaturus igitur eos, dicebat: Ne turbetur cor uestrum, tantum ut cœpistis, mihi credite, siquidem Deo ipsi creditis, uere enim Deus sum, & uos saluos reddam. In domo patris mei mansiones multæ sunt, ut omnibus locus futurus sit, qui à me pendetis. Quod si aliter esset, dixissem utiq; uobis, qui fallere neminem possum. Persuasum ergo habete, uos omnes apud patrem beatas mansiones expectare, quas ut olim adeatis, nunc morte mea efficiam, tum à patre misso uobis spiritu, idoneos uos illis mansionibus reddam. Quod ergo abeo, in bonum uestrum abeo, nimirum paratum uobis locum, in quo mecum beati olim acturi sitis, indeq; reuersurus sum & ad me uos traducturus. Vt namque dixi, uos meos ministros esse oportet ubi ego sum, eò itaq; uos mea uirtute perducam, tantum in me credite.

Mansiones multæ.

dite. Scitis iam igitur & quo uadam, ad patrem nimirum, idq; uestræ salutis ergò, et uiam, qua me sequamini, scitis, nimirum fidem in me. Mittite igitur omnem, propter abitum meum ex animis uestris tristitiam, bono uestro abeo.

ANNOTAT. Quod si secus esset, dixissem uobis. Hic in græcis perfectus punctus est, igitur et absoluta sententia, qua confirmare Dominus uoluit, quod dixerat multas mansiones esse in domo patris sui, atque ita significare apud patrem & discipulis esse locum. Quod autem subijcit. Abeo ut parem uobis locũ, eo significauit, effectuũ iam se suo abitu, ut illas in domo patris mansiones suo possent tempore adire, id uero impetrata per mortem suam, plena cum patre reconciliatione, & misso spiritu, qui illos plane reddit cælestes, apertáque demique immortalitatis ianua per resurrectionẽ suã, præstitit. His certe parauit ipsis & electis omnibus, in beatis illis mansionibus locum, in quo æternum beati agant.

Abeo parare locũ.

Et uiam scitis: Quia consolari uoluit discipulos de abitu suo, de uia conuenit intelligamus hoc, qua ipsum discipuli sequererentur, ad patrem, non qua ipse ad patrem ibat. Quod autem dicebat DOMINVS discipulos scire, quo iret, & uiam scire, quod Thomas negabat, sicut & paulo post, cognoscere & uidisse eos patrem, cui Philippus contra dixit, de initio fidei, quam ut in ipsum, ita & in DEVM habebant, intelligendum est. Vtique credebant in DOMINVM, ut Christum & seruatorem, iam igitur agnoscebat ipsum, ut æter-

nam sapientiam, iustitiam & uitam, uere itaque & Deum in ipso cognoscebant, & uiam perueniendi ad Deum, sed imperfecte utrumque atque obscure adeo, ut ipsi nescirent, quod sciebant. Quid enim sint & habeant electi, non solum mundo, sed & ipsis, licet non in totum ut mundo, sæpe incognitum est.

OBSERVAT. Christi notanda humanitas est, in eo quod tam diligēter suos consolatur, tum fidei in ipsum uis & præstantia, ea enim uia est, ad patrem & eadem Christi & patris cognitio. Obseruandum quoq; licet ab æterno mansiones multæ sint in domo patris, pro multis electis, parari tamen illas, hoc est, illis parari electos, per Christum oportere, quod ille præstat, cum suo spiritu electos repurgat, & prorsus diuinos efficit. Atque ut hoc curaret, hinc abijt in gloriam patris, ut apud eum pro nobis summus noster pontifex intercederet, atque spiritum sanctificatorem mitteret, hoc est, instauraret omnia. Neque prætereundum denique sanctos plus scire Dei, quàm ipsi sæpe agnoscant. Sensus utique Dei erat in Apostolis, quo ita Domino alligabantur, ipsi tamen id haudquaquam plane cognoscebant, sic in multis sæpe DEI cognitio uiget, quod non modo alijs, sed et ipsis parū perspectū habetur.

Sect. 2. Dicit ei Thomas: Domine nescimus.

PARA. Rudes etiamnū spiritu discipuli, nesciebant, quod sciebant, in Domino, Deū uiderant, et cognouerāt. ideo illū ut seruatorē sectabantur, attamē cū hæc dei cognitio ad-

tio admodū obscura adhuc esset, nō agnoscebant se habere, quod habebant. Hinc Thomas dicebat: Domine, dicis nos scire & quo abeas, & uiam, qua te sequamur, nos uero neutrum scimus. Nescimus quo abeas, inde consequens est, ut & uiam ignoremus qua te sequamur. Respondit Dominus: Iam dixi ut si in Deum crederetis, & in me crederetis, sic fore, ut mecum locum omnes apud patrem haberetis, meq; modo abire, ut cum uobis locum parem, reuersurum suo tempore, & uos eodem deducturum, quid igitur dicis Thoma, uos & nescire quo abeam, & qua uia me sequamini? Credite tantum in me, & in uia iam estis. Ego siquidem sum uia, per me & solum ad patrem uenire uobis licebit, ueritas sum quoq; & uita, unde qui in me credunt, iam solidam pietatem & salutem ueram nacti sunt, iam habent uitam æternam. Quomodo igitur uiam ad patrem istiusmodi ignorarent, qui in ipsa uia iam consistunt, hoc est, in certa uiuunt expectatione beatæ immortalitatis? Iam tales uos estis, creditis enim mihi, per me itaq; ne dubitate, ad patrem peruenietis, neq; enim alia ad patrem uia est, nemo nisi per me ad illum perueniet, id est, iustus & saluus euadet. Certe si me recte cognouissetis, qui æterna sum sapientia, iustitia, & uita, utiq; & patrem Deum scilicet ipsum cognouissetis, qui nihil aliud est, quā quod in me uidere licet. Sed bono animo estote, nūc cognoscitis eum, & uidistis eum, dum qualicunq; me fide estis amplexi. Nisi enim patrem Deū in me agnouissetis, non ita mihi adhæreretis. Hactenus ergo uidistis Deum, & in

Dominus uia.

uia ad eum ſtatis, manentq; uos beatæ in domo eius manſiones, in quibus nunc abeo, paratum uobis locum. Ne igitur turbetur cor ueſtrum. Cum autem ne ſic quidem caperent, quæ Dominus loquebatur, dicebat Philippus: Domine dicis nos cognoſcere & uidiſſe patrẽ, id nos non agnoſcimus, fac oſtendas eum nobis, & ſatis erit. Tum & quo abeas, & uia qua te ſequamur, ſciemus. Hinc ergo Dominus reſpondit: Tanto iam tempore uobiſcum ſum, & nihil niſi patris & uerba & opera uobis exhibeo, & nondum cognouiſti me, ut agnouiſſes & me in patre, & patrem in me eſſe, meq; uiſo, patrem te uidiſſe & cognouiſſe? Philippe qui uidit me, & cognouit qui ſim, patrem uidit, quandoquidem omnia in me patris ſunt. Quomodo igitur tu dicis, oſtende nobis patrem? Non credis quod ego in patre, & pater in me eſt, hoc eſt, ego totus à patre pendeo, & ille in me agit omnia? Conſidera quæſo, & quæ dixi, quæ geſſi inter uos. Certe à me homine, nihil locutus ſum, nihil feci, pater, ipſe Deus, in me omnia & locutus eſt, & fecit. Credite igitur mihi, quod ego in patre ſim, & pater in me, hoc eſt, quod Chriſtus & indubitatus ſim ſeruator mundi. Id teſtantur de me opera mea, uel ijs ergo fidem habete, ſi mihi diffiditis.

ANNOTAT. Digreßio quædam eſt, quod Thomæ & Philippo Dominus reſpondit, ſed inſtituto accommoda. Probare enim Dominus inſtituerat diſcipulis ſe in bonum eorum ad patrem abire, ut ita æquo animo ſuum abi

Digreßio ſed inſtituto ſeruiẽs.

tum ferrent. Hoc iam confirmauit id, quod ſe uiam ad patrem, & ipſam tum ueritatem, tum uitam, deniq; in patre ſe, & ſe in patre eße adfirmauit, idemq; per dicta factaq; ſua, certißimos teſtes, comprobauit.

Ego ſum uia. His uerbis idem de ſe prædicauit, quod ubiq;, nempe ſe Chriſtum Deum, & unicum eſſe omnium ſeruatorem. Neq; aliud eſt, quod hic dixit, quam quæ ſupra cum nunc panem uitæ, nunc lucem mundi, nunc oſtium in ouile Dei, nunc bonum paſtorem, nunc reſurrectionem & uitam, & id genus alia eße ſe teſtatus eſt. Via utiq; ad patrem eſt, quia per eum ſolum ad patrem peruenire, hoc eſt, iuſtitiam & ſalutem conſequi poſſumus. Veritas eſt, quia per ipſum, ut ſupra primo, ueritas facta eſt, id eſt, uera iuſtitia omnibus contingit. Vita eſt, quia ſolus uiuificat, ut æternum & beate uiuamus.

Ego ſum uia ueri.

Qui uidit me, uidit patrem. Neque enim niſi in filio, pater uideri poteſt. Quantum igitur unquam Dei, mundus uidit, utiq;. Apoſtoli in Domino uiderant, nec tamen agnoſcebant ſe DEVM uidiſſe, propter cognitionis huiuſce tenuitatem, & ſpiritus adhuc ruditatem.

OBSERVAT. Præter Domini diuinitatem, qui cũ patre unum eſt, quem ut baſim totius ſalutis ubique prædicat, obſeruandum, unde ipſa cognoſci queat. Indubie enim qui ſpiritu Dei non deſtituti ſunt, & uerba geſtaq; Domini recte conſiderant, Deum ipſum eße, haudquaquam dubitare poſſunt.

Vnde diuinitas Domini cognoſcitur.

Amen

Amen dico uobis qui credit in me.

PARAPHR. Vt redeam ad consolandum uos, & ostendendum bono uestro me abiturum, amen amen dico uobis, si tantũ credideritis mihi, ad quod & semper, & nunc uos hortatus sum, uidebitis me à discessu meo, uobis multa plura, quã præsens carne, præstaturum. Modo ad monui uos operum meorum, ex quibus certo cognoscere potestis me Deum esse, iam hæc ipsa & maiora dabo & uobis facere. Ego minister circunciſionis, Iudæis tantum prædicaui Euangelion regni, uos illud ad fines usq; orbis proferetis, sanaui ægrotos multos, mortuos aliquot in uitam reuocaui, uos plures sanabitis & in uitam reuocabitis. Hæc profecto per me poterunt, qui in me credũt, quia ego uado ad patrem. Quàm angusta enim sint adhuc pomeria regni Dei uidetis, quã obscura adhuc sit & in uobis patris cognitio ipsi sentitis, at tempus est, ut ego in patre & pater in me undiq; cognoscatur & adoretur. Ad hoc uos mihi seruietis, igitur maiora per uos quã per me ipsum, in hac humilitate uersantem efficiam. Nihil prorsus est, quod in nomine meo petieritis, quod ego non sim facturus, siue morbidis bonam ualetudinem, siue mortuus uitam, siue ignorantibus deniq; cognitionem uitæ æternæ petieritis, omnia ego efficiam, ut in me filio, pater glorificetur, dum me suum seruatorem homines ex dictis & factis, per uos illis exhibitis, agnouerint. Si igitur diligitis me, mitti-

Maiora Domino faciẽt post abitũ eius.

Omnia impetrabũt.

te, me Christũ agnoscite, ac ita sedulo ijs, quæ uobis mandaui incumbite. Sic uerius uos mei amantes comprobabitis, quam uano isto dolore propter meum abitum, qui uobis utiq; profuerit. Rogabo enim patrem & alium dabit uobis paracletum, alium doctorem et patronum, in cuius fide tutissimi sitis. Is nunquam à uobis discedet, ut ego nũc carne à uobis migrabo, sed mancbit apud uos inæternũ. Is spiritus est ueritatis, qui in omnem uos ueritatem inducet, uere pios et beatos reddet. Tam certe eximius, ut mundus, id est, homines nõdum renati, cum nequaquã possint accipere, quia neq; uidere quicquam eius, aut cognoscere ualẽt. Vos autem qui sit hic spiritus cognoscitis, utcunque nondum uideamini id agnoscere, apud uos enim manet, et in uobis est, mihiq; ita adglutinat, ut diuelli à me haud possitis. Ne igitur ita animos deijcite, quia dixi me abiturũ, quo in præsenti uos non possitis me sequi. Abibo quidem, sed sic ut melius uobis affuturus sim. Carnem subducam oculis corporis, sed adero interim mentibus uestris, per paracletum spiritum, ut longe alij sitis futuri, aliaq; facturi, quam hactenus. Neq; enim ita abeo, ut uos relinquam orphanos, etiam carne redibo ad uos, post paululum, sed tum mundus me non uidebit, uos autem me uidebitis, quia ita uiuo, ut mors quam subiturus sum, uitam meam haudquaquam sit extinctura. Vitam Dei uiuo, ea intercipi nequit, unde etiam sepultus resurgam, in immortalem & beatam uitam. Huius uos dum mihi credidistis, facti

Paracletũ alium & æternum accipient.

Post resurrectionem redibit.

partices

participes estis, me igitur non uidebitis tantum, sed ita quoq; contemplabimini, ut in illo die, sitis plane cognituri me in patre, id est, cum patre unum, & uos in me, & me in uobis esse, ut & uos mecum unum sitis, toti nimirum à me pendentes, & meo spiritu uiuentes, quæ omnia nunc subobscure cognoscitis. Sic igitur cum res habeat, ut post abitum meum longe melius, quam nunc habituri sitis, mihi in opere, gloriæ patris illustrandæ successuri, maiora quam ipse fecerim, mea uirtute opera patraturi, omnia per nomen meum impetraturi, atque hæc ideo, quod à patre alium paracletum spiritum, qui omnem ueritatem doceat, sitis accepturi, quo freti cum reduiuum me uidebitis, uere simul cognoscetis, me totum in patre esse, totumq; ab eius uoluntate pendere, omnia eius uirtute perficere, tum & uos in me esse, assumptos nimirum à me, ut olim mihi similes euadatis, & in quibus meus spiritus uiuat, & cuncta administret. Sic inquam cum res habeat, non est causa ut illum mœrorem mei discessus causa admittatis, qui nihil minus quam orphani à me relinquemini. Si ergo me diligitis alia in re, id declarare uos oportet, quam lugendo propter meum abitum. Qui habet mandata mea, meam doctrinam, & huic ut uiuat dat operam, is est qui me uere diligit, & eum uicissim diliget pater meus, & ego diligam eum, & manifestabo ei me ipsum, in me tum is & patrem cognoscet, atq; uitam habebit æternam. Hoc igitur misso uano isto mœrore studete, quæ præcepi uobis ut mihi credatis, & uos

Epilogus.

In quo uere diligere se Dominum declarent.

& uos inuicem synceriter diligatis, ea totis uiribus curate, ijs uos addicite. Sic experiemini infinito præstare uobis, ut carne à uobis nunc abeam, quo plenius adueniam uobis spiritu meo, quam ut illam uestris sensibus relinquerem.

ANNOTAT. Qui credit in me, opera: Satis constat, statum huius orationis Domini ad discipulos esse, nõ dolendum eis de discessu eius, quia bono ipsis futurus esset, sed magis dandam operam, ut muneri Euangelico fortiter & diligenter obeundo sese accingerent, liquere ergo puto, quæ hic credenti sibi Dominus pollicitus est, maiora scilicet facturum, quam ipse fecerit, potissimum discipulis suis pollicitum esse, qui utiq; maiora, quam Dominus ipse, præstiterunt, sed Domini spiritu, præter enim prodigia & signa in quibus supra DOMINVM claruerunt, etiã Euangelion latius propagarunt. Natura etenim maiora facere non potuerũt, quid enim maius fecissent, quam sit uerbo pellere morbos & Dæmones, & mortuos reuocare in uitam? numero autem & efficacia maiora fecerunt, idq; ideo quod abierat iam DOMINVS ad patrem, hoc est, glorioſius regnabat, qui antequam crucifigeretur, non debuerat adeo inclarescere & glorificari. Vnde tantam ipse in sua carne mortali potentiam, quantam postea in discipulis exercere non debuerat. Vt itaque gloria CHRISTI per illos erat illustranda, & nomen eius per uniuersum orbem celebrandum, ac ita quod cœperat ipse in corpore mortali,

Qui status huius orationis.

Quomodo maiora Domino fecerint discipuli.

mortali, per illos opus perficiendum, nimirum ut undiq; Dei bonitas cognosceretur, necesse fuit, ut maiorem uirtutem & potentiam in Apostolis suis exereret, quam exeruisset in se ipso adhuc mortali. Nam quemadmodum Iudæis legem, ita toti orbi Euangelion cum signis & prodigijs initio uoluit commendare diuina prouidentia, quæ postquam illa Iudæis, & hoc omnibus gentibus satis innotuit, non tam frequentia apparuerunt, ob id tamen ouibus Christi nihil quod ad salutem ipsorum faceret, defuit. Neq; enim miracula fidem dare possunt, id quod in pharisæis Christi hostibus, satis declaratum est. De qua re pluribus in Matth. cap. 7. in illud: Multi dicent mihi in illo die. Quod igitur hic Dominus dixit credentem in se, maiora se facturum, accipiendum est, ut illud Mar. ult. Signa uero, eos qui crediderint hæc sequentur. Vtrunq; de credentibus sæculo Apostolorum, in quo signis & portentis gloria Christi illustrari debuit, & non de credentibus, quibuslibet. Hic consolari de suo abitu uoluit Apostolos, ergo quæ præstantiora ab ipso carne absente, essent accœpturi quam à præsente accœpissent, commodum prædixit. Sic Mar. ult. mandabat eos in uniuersum orbem Euangelion prædicatum, recte igitur de glorioso successu quem experturi, & uirtute qua iniunctum munus essent obituri, eos præmonuit. Reliqui credentes usq; in finem mundi, in Domino uitam æternã habent, facitq; & quæcunq; ipsi in nomine eius petierint, ut omnia oporteat ipsis ad salutem cooperari.

Et quic-

Et quicquid petieritis. Prosapodosis est eius, quod dixerat credentes in se maiora se facturos, quod scilicet ut monuimus discipulis præsentibus tum præcipue promisit. Sensus ergo est. Nolite putare incredibile, quod uobis pollicitus sum, etenim quæcunq; demum petieritis in nomine meo ego efficiam, quia glorificari patrem Deum, in me filio oportet, idq; per uos, quare quicquid demum fuerit, quod inuocato meo nomine petieritis, ego præstabo. Intellexit autem de ijs operibus & miraculis, quibus pater in filio glorificaretur, hoc est, per quæ ipse seruator orbis ex patris bonitate donatus, agnosceretur, ne quis hanc promissionem trahat ad quiduis. Gloria Dei, salus sanctorum est, ideo ante omnia sanctificari nomen Dei, & aduenire regnum eius precantur, neq; quicquam precantur, nisi ad quod eos spiritus patris qui nouit quid gloriam eius promoueat, impulerit, perfacile igitur est agnoscere, Christum quæcunq; petierint sui præstare, etiam hodie, cum perpauci miracula orent, quia ad ea oranda spiritus nõ impellit. Id uero, quia modo gloriã Dei nõ pmouerẽt.

Quicquid petieritis. Primaratio qua consolatur.

Si diligitis me. Ex eo quod plurimum Dominum diligerent, de abitu eius dolebant, monet ergo, in quo potius argumentum dare amoris erga se debeant, nempe ut studiose obseruent, quæ ipsis mandauerat, hoc est, ut sibi fortiter fiderent, mundum contemnerent, se animose coram mundo Christum confiterentur, mutuam inter seipsos dilectionem haberent, & reliqua quæ in his tamen continentur.

Quæ Christi mandata.

Secunda ratio.

Et ego rogabo. Secunda ratio est, qua probare discipulis Dominus uoluit eis profuturum, quod carne abiret, quia pro carne accepturi essent spiritum, omnis ueritatis doctorem, patronum & defensorem certissimum, eumq; æternum posessuri. Id quod certe optabilius illis erat, quàm habere Dominum carne usq; præsentem. De paracleti nomine in sequenti cap. sect. 3. Rogaturum aũt se patrem pro hoc spiritu dicit, quia ut homo mediator noster & pontifex est, apud patrem.

Quem mundus non potest accipere. Vt magis consolaretur discipulos, præstantiam huius spiritus indicat, atq; simul incõparabilem patris ergò ipsos dignationẽ, qui eis daturus esset spiritũ, quẽ totus nequiret mũdus capere.

Vos cognoscitis eum. Cognoscebant eum, ut paulo supra diximus obscure, attamen cum ab hoc spiritu esset, ut nequirent à Domino auelli, quem Iudæi eo spiritu destituti, exitiali odio persequebantur, & Iudas erat proditurus, certe aliquatenus ipsum cognoscebant, quem in se agentem tam potenter sentiebant.

Venio ad uos. Quædam exemplaria hæc ita ordinata

Adhuc pusillum.

habent. Non relinquam uos orphanos, sed uenio ad uos adhuc pusillum, id est, post pusillũ. Mundus amplius me nõ uidebit, uos aũt uidetis me etc. Vt intelligas dixisse uenturum se iterum ad eos à resurrectione, à qua utiq; discipuli eum uiderunt, mundus nequaquam. Sic quod hic Dominus dixit, cum eo conueniet, quod infra 16. habetur. Et rursum pusillũ &c. Plurima tamẽ exemplaria, illud ἔτι μικρόν

μικρόν, id est, adhuc pusillũ, cum sequẽtibus ordinant, sic. Adhuc pusillũ, id est, post pusillũ mundus me nõ uidet etc. Nõnus sic legit ut uideatur ἔτι μικρόν, id est, adhuc pusillũ ad præcedẽtia & sequẽtia retulisse. Sic enĩ habet. ταχυνὸς δὲ ὡρὸς ὑμέας ἄυτις ἱκάνω, ϑαιος ἐτι χρόνος ἐσιμ ἐμὲ μὴ ὁτε δέωσιδα μοςφὴν ὀυκέτι κόσμ ἄπισος ἐσόψεται, id est. Celer uero ad uos rursum uenio. Breue adhuc tempus est, quando diuinam meam formam, mundus incredulus haudquaquã amplius uidebit. Quod enim celerem se uenturum ad discipulos dixisse Dominũ facit, uidetur istud ἔτι μικρόν cũ ἐρχομαι quoq; coniunxisse. Vtcunq; aũt ista ordinemus & legamus, promisisse hic Dominus uidetur discipulis à resurrectione se illis rediuiuum ostensurum, non aũt mundo, atq; ita tertia ratio est, qua eximere illis de suo abitu mœstitiam uoluit. Minutulum hoc quod præsentibus hic uerbis pro futuris abusus est, uenio pro ueniam, uidet & uidetis, pro uidebit & uidebitis.

Tertia ratio.

Quia ego uiuo, id est, uitam habeo perpetem, quã Iudæi non auferent, uiuo semper, ut idem sit, atq; illud supra, priusquam Abraham erat ego sum. Vtiq; uoluit his probare, se ad discipulos rediturum, igitur cum mortem iam adiret, commodum significauit eis, se eam uitam uiuere, quæ nulla posset morte extingui.

Quia ego uiuo.

Et uos uiuetis, hic à uita corporali, ad spiritualem & æternam anagogen fecit. Nisi enim spirituali, eoq; & æterna discipuli uita donati fuissent, tam non po-

tuissent uidere Dominum rediuiuum, quam mundus. Etenim ut Petrus inquit, non manifestauit ille se toti populo, sed sibi & suis collegis tantum, testibus ad hoc diuinitus præordinatis. Act. 10.

In illo die cognoscetis. A resurrectione enim Dominũ, Christum & Deum esse, uere cognouerũt. In patre enim esse, est patris nutu & spiritu, uiuere & agere omnia, sic sancti uiuunt nutu & spiritu Christi, toti ab ipso pendentes. In his itaq; est quarta ratio, qua Dominus utilem discipulis suum abitum probauit, quia post resurrectionem suam essent, rite demum & perfecte ipsum uisuri & cognituri.

Quarta ratio.

Qui habet præcepta. Redit Dominus ad monitionem, ut discipuli misso mœrore potius curarent, se mandatis ipsius accõmodare, sic probaturi germana se erga ipsum dilectione flagrare. Sic quoq; fore, ut à patre & ipso uicissim diligantur, & ipse se plene eis manifestet, quo utiq; patrem simul essent cognituri, atq; inde æterna & beata uita perfruituri.

Monitio ad discipulos.

OBSERVAT. Primum obseruandum potentiam Christi primum post mortẽ eius plene exertam, ut liberat & nobis pro uolũtate Dei mortẽ oppetere. Deinde quanti credentes sibi Christus habeat, in ijs utiq; suam uirtutẽ magnificentius, quam in sua propria carne uoluit declarare. Præterea ea nos debere petere in nomine Christi, caq; nos impetraturos, quibus in ipso Deus glorificetur, hoc est, Dei per ipsum bonitas elucescat. Notandum quoque ut dilectionem, ita & fidem in Dominum, idem siquidem est in CHRISTVM credere, hoc est, pro Christo ipsum amplecti, atq; eũ diligere, nos nulla re alia posse testari, quam si mandatis eius, id est, doctrinæ eius, ex animo nos addixerimus. Eius autem doctrinæ summa est, ut credamus ipsi, & diligamus proximos. Animaduertendum & discrimen electorum atq; reproborum in eo indicatum, quod spiritum sanctum mundus non potest uidere, sancti autem uident eum, quia habent eum, perpetuo apud ipsos manentem. Hic spiritus ueritatis est, in quo notatur uanum esse, quicquid non ab hoc spiritu fuerit profectum. Obseruandum deniq; Christum à resurrectione uere demum cognitum, quia tum demum debuit glorificari, & Dominus omnium lingua prædicari. Reliqua ex dictis pia mens ipsa obseruabit, plurima sane, nec minus salutifera.

Dicit ei Iudas non ille Ischariotes.

Sect. 4.

PARAPHR. Quia spiritum ueritatis discipuli nondum acceperant, parum intelligebant, quæ Dominus dicebat omnia, unde nõ magis apposite hic Iudas, quam supra Thomas & Philippus interrogauit. Dominus ostenderat eis suum abitum magis, quam præsentiam carnalẽ profuturum, ideo non esse admittendum mœrorem, sed potius dandam operam, ut præcepta ipsius studiose obseruarent. Iam Iudas uelut nihil horum audisset, dicebat:

Quālis Iudæ interrogatio.

Domine cur te nobis & non mundo es manifestaturus, de quo tantum obiter dixerat, ut ostenderet, quam charos illos haberet, quos toti mundo esset prælaturus. Vt igitur intempestiua erat Iudæ interrogatio, ita Dominus ab ea, ad id quod unice referebat, discipulos reuocare magis, quàm ad eam respondere uoluit, quanquam simul ex ijs quæ dixit, & ad Iudæ interrogationem colligi responsio posßit. Si quis diligit me, inquit, sermonem meū seruabit, huc intendere ò discipuli mei animos debueratis, in his sa lus uestra sita est. Vultis siquidem uideri mei discipuli, meiq; longe amātißimi, uestrū ergo erit, omnibus omißis hoc dare operam, ut sermones mei à uobis seruentur, id est, fide syncera percipiantur, ut uiuere illis totis uiribus studeatis. Qui enim sic comparatus est, cum pater quoq; diliget, & non solum non discedo ego ab cuſmodi, sed cum patre meo ad eum uenio, & apud eum habitamus æternum. Videtis quo pacto non solum me, sed & patrem retinere apud uos posßitis, ratione profecto multo, quā uobis modo adsum, optatiore. Mihi ergo fortiter credite, & uerbis meis uos addicite. Nam qui sermones meos non obseruat, is neq; diligit me, iam quos uobis sermones tradidi, præcepta quæ dedi, haudquaquam à me homine, quod sæpe dixi profecta sunt, sed à patre Deo, qui me misit, & in os meum sua uerba posuit. Hinc iam licebit colligere, & quare me mundo non sim manifestaturus. Is me non diligit, quia sermones meos seruare non potest. Hæc

test. Hæc locutus sum apud uos manens, hæc summa est, omnium quæ uos docui, nimirum ut meum sermonem tanquam Dei amplecteremini, & mißum ab ipso ne dubitaretis, sed tardi nimium estis, ad hæc percipienda. Paracletus autem spiritus ille sanctus, uereq; diuinus, quem mittet uobis pater in nomine meo, id est, per & propter me, is tandem docebit uos omnia, quæ scire referat, & suggeret, hoc est, intelligere faciet quæcunq; dixi uobis, quæ uobis multis præcepi, uos aūt ob inopiam huius spiritus non potuistis hactenus plane percipere.

ANNOTAT. Si quis diligit me. Credere in Christum & diligere CHRISTVM, hoc est, ex animo ut præceptorem amplecti, idem est ut paulo ante dixi, hinc iam facile intelligitur non posse non seruare Domini sermones, id est, doctrinam, qui ipsum dilexerit, qui ei crediderit & CHRISTVM Magnouerit. Si enim hoc habet, certo cum Petro nouit uerba eius, esse uerba uitæ æternæ, quis iam non addiceret se uerbis uitæ æternæ, quis non studeret totis uiribus ei doctrinæ, quæ æternum reddit beatum? Nam seruare sermonem Domini, hic nihil aliud est, quam credere uerū & saluificum, eiq; toto corde studere. Id certe & aliâs in scripturis seruare, & custodire mandata DEI significat, q. uel ex illo 5. Moscheh 5. intelligas. Audi Israël statuta & uditia, quæ ego in auribus uestris hodie propono, ut discatis ea, & seruetis uel custodiatis, ad faciendum ea. Seruare enim DEI mandata, si proimplere accipias,

Quid seruare sermonē Domini.

nemo illa seruabit, at si prostudere illis, ut impleas, seruant illa omnes pij. Neq; poterit enim uerbis Dei se non addicere seruandis, qui ea Dei uere esse, plane nouerit.

Quæ mansio Dei.

Mansionem apud eum. Mansio patris & CHRISTI apud sanctos, est certa utriusque cognitio, quæ non potest, non esse perpetua, ut sæpe dictum. Hanc enim qui nacti fuerint, hi perpetuo & bonitate patris, & CHRISTI redemptione perfruuntur, ut æternum & beate uiuant.

Hæc locutus sum. Hæc si cũ sequentibus recte perpendas, non potes non agnoscere, per hæc quæ locutũ se manentem apud discipulos Dominus testatur, omnia ea intellexisse, quæ eos in carne agens cum eis, docuerat, quorum summam iam ante exposuerat, nimirũ ut agnoscere mus ipsum Christũ, & dilectione proximorũ æmulari eũ studeremus. Sed cũ spiritu nondũ essent opulente satis donati discipuli, nõ potuerũt hæc plane cognoscere, promittit ergo iterum spiritum sanctum, qui omnia eos sit doctu rus, quæ scilicet saluti ipsis esse possent, & suggesturus, id est, ad mentem ac intelligentiam reuocaturus, ut omnia plane intelligerent, quæcunq; ab ipso audiuissent, nec tamen capere hactenus potuissent. Cum autem dicit, quæcunq; dixi uobis, non est intelligendum, quod singula uerba CHRISTI eis spiritus sanctus suggesserit, sed omnium uerum intellectum, qui situs in eo est, quod CHRISTVS ipse uere agnoscatur, unde continuo sequitur & studium æmulandi eius. Hæc qui probe

Quid doceat & suggerat spiritus.

Hæc qui probe intellexerit, is quæcunq; Christus unquam docuit, intellexit. Vanius est, quàm ut refutari debeat quorundam commentum, qui dicere audent, spiritum sanctũ suggessisse discipulis pleraq; cerimonias, quas tradiderit Dominus, quanquã nullam earũ Euangelistæ fecerint mentionem, & eas postea illos Ecclesijs tradidisse. Toties Dominus dixerat uitam æternam habere, sibi credentem, et omnibus præteritis dandam operam, ut alijs prosimus, hæc discipuli non satis percœperant, sicut neq; nos probe ea sine doctrina & suggestione spiritus sancti percipimus, ideo promisit spiritum, qui ea illos penitus doceret, suggereret q;, ut planè intelligerent, & uita studiose exprimerent.

OBSERVAT. Obseruandum iterum nos absque doctrina spiritus nihil salutare posse capere, tum quæ nobis quærenda sit Dei & Christi præsentia, utiq; quæ per fidem, & spiritum est, & in quo illa appareat, nimirum, si uerbis Dei, toto pectore studuerimus.

Pacem relinquo uobis.

Sect. 5.

PARAPH. Vt redeam uero ad consolandum uos charissimi discipuli, mouerat enim Iudæ non satis apposita interrogatio, ut quid potissimum quærendum uobis sit, magis infigere animis uestris operæprecium duxerim. Pacem relinquo uobis, ueram salutem & prosperitatem & si corpore à uobis sim abiturus, pacem inquam meam do uobis, hoc est, solidam ac æternam fœlicitatem, non

qualem mundus dat, euanidam & fallacem. Ne igitur turbetur cor uestrum, nihil formidet, audistis enim quod dixi me quidem abiturum, sed iterum ad uos redituru. Certe si me uere diligeretis, quod uideri uultis, & non potius uestra in me spectaretis, gaudere sanè debueratis, cum me dixi abiturum ad patrem, in gloriam diuinitatis. Pater siquidem Deus, me homine infinito & modis omnibus maior est, apud eum igitur in luce inaccessa me beatũ regnare, & uestram salutem multo quàm in carne præsens possim potentius operari, optare debebatis, & uel propter me gaudere, quod hæc tandem hora aduenisset. Sed hæc est infirmitas uestra. Volui tamen ista, quæ uobis à meo discessu futura sunt, longe quàm attulerit uobis carnis meæ præsentia præstantiora prædicere, ut cum euenerint, tanto firmius credatis me esse Christum, orbis saluatorem. Iam non licebit multa uobiscum loqui, accedit enim princeps mundi huius, qui imperium habet in reprobos, & mox me potestate sua urgebit immissis satellitibus suis, qui me ad necem rapient. Id uero patiar, non quod ille iuris quicquam in me habeat, nihil enim unquã peccaui, sed in eo declarabo orbi, quàm patrem Deum diligam, in gratiam cuius immeritam mortem obibo. Surgite igitur, eamus illi obuiam, iam enim hora mea aduenit.

ANNOTAT. Pacem relinquo. Pacis nomine scriptura, prosperitatem intelligit & fœlicitatem. Significat ergo hic Dominus se non caducam, nõ fluxam & uanam mundi, sed suam, id est, certam & diuinam fœlicitatem relinquere

relinquere atque dare, non frustaneis tantum uerbis precari, uti homines solent. Ea uero sita est, in fide solida, quam suppeditat spiritus paracletus, quem suis erat missurus. Hæc pax amplior est, quàm agnoscere queat mens hominum Philipp. 4. Quid pax Christi.

Quoniam pater maior me est. Hoc cũ Emphasi legendum est, uoluit enim significare patrem Deum, se homine infinito maiorẽ, eoq; summa fœlicitate apud eũ se futurũ, quam discipuli sibi gratulari debuerant, non inde turbari.

Et nunc dixi uobis. Quid dixit? Omnia profecto quæ dixerat de paracleto, & uera, quam per hunc habituri erant fœlicitate, incredibiliq; uirtute, qua maiora facturi erant, quàm Dominus ipse fecerat. Hæc ubi omnia euenerunt, in fide erga Dominum eos confirmarunt. Hoc est, quod ait: ut cum factum fuerit, credatis.

Et in me non habet quicquã. Ius est Satanæ in obnoxios peccato, agit enĩ in incredulis Ephes. 2. Cũ ergo Dominus omnis peccati purus esset, nihil habuit in eum iuris Satan.

Vt cognoscat mundus, uel subaudiendum est, ideo cedam potestati Satanæ, traditurus me in manus peccatorum, aut certe coniungendum est, cum eo quod præcesserit, nempe: Venit princeps mũdi, ut intelligas ideo uenit, ideo datũ est illi, ut mihi mortẽ per suos inferat, q. mandatũ uolo facere patris, nõ qd' ius aliquod in me habeat. Posset & iungi his, id qd' postremo dixit: Surgite eamus, ut sensus esset. Venit princeps mũdi, cũ tamen nihil cõtra me habeat, sed ut

ſed ut totus mundus uideat quod patrem diligo, & facio, ut mãdatum dedit, ſurgite et eamus obuiã ſatellitibus eius. Vtcunq; autem legas, intelligi Dominus uoluit, ſe in gratiam patris, & ob nullum ſuum peccatum ſeſe iam traditurum principi mundi, ac poteſtati tenebrarum.

OBSERVAT. Obſeruandum quæ uera pax & fœlicitas, deinde tũ nos à poteſtate principis mũdi liberos fore, cum peccatis liberi erimus, quam libertatem ſolus filius largitur, de quo ſupra 8. Deniq; mundũ, id eſt, omnes non renatos malos eſſe, ut in quos imperium habeat Satan. Poſtremo diſcamus à Chriſto, uitam & omnia, gratiæ patris poſthabere.

CAPVT XV.

Sect. 1.

Ego ſum uitis uera.

PARAPHRA. Ardentiſſime amabat ſuos Dominus, eoq; cum omnis eorum ſalus penderet ab eo, ut ipſi eſſent quàm addictiſſimi, omnia ab ipſo expectarent, ipſi us iuſſa ſummo ſtudio capeſcerent, huc igitur & cum iam hoſtibus ſuis iret obuiam hortari longe diligentiſſime illos, ſicut & accumbens fecerat, uoluit, præcipue autem, ut proferendo Euangelio regni, ſtudioſiſſime, ad quod peculiariter delecti erãt, ſeſe dederent. Eleganti ergo uſus allegoria, quàm & clare explicuit, dicebat illis: Ego ſum uera

uera uitis, omnino ita me habeo ad cæleſtia, ueraq; bona, uti ſe habet uitis ad ſuum fructum. Agricola uero meus pater eſt, à quo nimirum ſum quantus ſum. Is omnem in me infrugiferum palmitem, id eſt, omnes qui nulla mihi fide ſe adiungunt, tollit & abijcit, qui autem electi ad hoc, certa mihi fide inſiti ſunt, eoq; frugiferi palmites, hos purgat, ſuo donatos ſpiritu, ut plus fructus adferant. Iam uos mundi & purgati eſtis, quod & paulò ante uobis dixi, ſermonem enim quem uobis dixi, doctrinam quam tradidi, uera fide, uobis datum eſt amplecti. Vt igitur frugiferi palmites mihi inſiti eſtis, ueræ uiti, ita in me manete, mihi forti fide adhærete, & ego manebo in uobis, ſuccum ſuffecturus uobis, unde botros cæleſtes, doctrinam ſalutis, hominibus adferatis. Quemadmodum enim palmes à ſe ipſo nequit fructum ferre, ſed oportet ut maneat in uite, ſi frugifer eſſe debeat, ita niſi uos in me manſeritis, toti à me pendentes, & meo ſpiritu uiuentes, nullum adferetis fructum, nihil ſalutare præſtabitis, nemini frugi eritis. Ego ſiquidem uobis ſum id quod uitis palmitibus, uos mihi quod palmites uiti, per uos uitæ ſuccus, ad electos meos peruenire debet, id autem tum erit, cum in me manſeritis, toti à me pendentes, et ego in uobis omnia meo ſpiritu perficiens. Sic fructum multum adferetis cum uerbo tum opere, adregnum Dei quàm plurimos adducturi. Nam ſine me, ſine meo ſpiritu & uirtute, uos nihil prorſus boni præſtare poteritis. Proinde qui in me, non ſolida fide perſteterit (ſunt enim qui mihi accedant, et acceſſuri ſint, citra

Allegoria uitis et palmitum.

citra ueram in me fidem, unde in me nequaquam perseuerabunt, is eijcietur tandem è meo grege, sicut defractus abijci solet palmes, qui ilico aresc̃t, fitq; fomentum ignis, sic & isti hypocritæ arescent, fictus ille uigor euanesceet, demumq; abijcientur in gehennam ignis inextinguibilis. Vos igitur manete in me, mihi firmiter credite, à me omnia expectate, & fructum plurimum adferetis, maiora, ut antea promisi quàm ipse fecerim, opera facietis. Siquidem in me manseritis, & uerba mea in uobis manserint, ut illis fidem certam habeatis, quicquid omnino uolueritis id petetis, & accipietis, quod & ipsum antea quoq; uobis pollicitus sum. Quod uel ex eo futurum credere poteritis, pater meus in eo demum glorificatus fuerit, si uos plurimum fructus attuleritis, & multos regno meo adduxeritis, in eo declaraturi, uos germanos meos esse discipulos, cum redemptionẽ orbis, à me prædicari cœptam, ad fines usq; orbis proferetis. Vt ergo pater gloriæ suæ illustrandæ, quando modo tempus huius instat, deesse non potest, ita certo fient, quæcunq; uobis polliceor.

ANNOTAT. Ego sum uitis uera, hoc est, in ueris & cælestibus bonis id sum, quod uitis in suo genere. Neq; enim nisi per metaphoram Dominus, eoq; ob similitudinem se uitem uocauit. Vitis si simpliciter accipias, arbor est uinifera, non Christus Deus & homo. Nihil enim est, quod dicunt Artocreatistæ, Dominum se uitem uocasse, non quod se uiti similem, sed quod esse uitem ueram, uerũ spiritualem, uoluerit significare. Quid quæso est uitis spiritualis?

Christus metaphoricôs, nõ simpliciter uitis dicitur.

Nunquid res spiritualis id in suo genere, quod est in suo uitis corporalis? Logodædali fiunt isti ex Theologis. Quandoquidẽ Christus ut homo, quia mediator Dei & hominũ est, is per quem gratia & ueritas omnibus electis fit, de cuius plenitudine omnes accipiunt, uitis recte assimilatur, quem agricola pater plantauit, dum ipsum Verbum suum carnem fecit, ut idem esset Deus uerus & uerus homo. Huic certe qui insitus est, ut uuit uitam Dei, ita pro sua uocatione fructum adferat necesse est, & salutarem.

Omnem palmitem in me. Quomodo est in Christo, qui non fert fructum? Sicut zizania in regno Dei, & putres pisces in reti Euangelico, carens ueste nuptiali, in nuptijs Christi. Nominetenus scilicet, & secundum externa tantum, non etiam uera fide, quare tolluntur isti tandem, & uelut resecti arefactiq; palmites, gehennæ addicuntur.

Vos mundi estis propter sermonem meum, id est, perceptam doctrinam meam, ea enim renati estis, & in eam recepti sortem, ut prorsus mundi olim continuis auctibus spiritus, quos pater donat, euadatis. Mundi itaque sunt, qui Euangelio credunt, & purgantur tamen ut fructum copiosiorem adferant, quia in fide qua filij DEI facti sunt, dono patris proficiunt, in qua quanto plus profecerint, tanto magis ut DEO similes, ita & frugiferi reddantur alijs. De hac munditie & supra capite uigesimo tertio, in Sectiun. prima.

Quomodo mundi purgãtur.

Quia sine me nihil potestis. Hac gnome fateor probare

Sine me nihil potestis.

probare Christus uoluit, discipulos nullum per Euangelicam prædicationem fructum allaturos, nisi in ipso per certam fidem manerent, quia ideo palmitibus eos similes fecit, quod per eos succus uitæ, doctrina salutis perferri ad multos deberet. Sed quia non manentem in Christo palmitem, pater tollit, & arefactum in ignem abijcit gehennæ, ut hic simul testatus est, quis nō uidet sine Christo neminem quicquam boni posse? Si autem hoc dederis, ubi manebit lib. arbitrium, qualemcunque denique conatum illi des, aut cooperationem? Quæ enim libertas, per se nihil posse boni? Tantum ergo per Christum & uera libertas, & boni facultas nobis contingit.

Et colligunt eos. Idem de palcis Matth. tertio, & zizanijs decimo tertio dicitur.

Si manseritis in me, & uerba mea manserint in uobis. Hic Dominus ipse explicauit, quid sit in ipso manere, certa utiq; uerbis eius fide adhærere. Hæc fides ubi est, æterna est, & spiritum Dei semper præsentem habet, qui docet & uelle & petere, quibus gloria Dei promoueatur, quare omnia quoq; impetrat. Cæterum hic rationem reddidit, eius, quod dixerat fructus facturos, qui in ipso manerent, hoc est, multis Euangelion persuasuros. Si enim erāt omnia, quæ uellent, impetraturi, facile potuerunt Euangelio efficere quiduis. Omnia autem exoraturos, eo probauit, qd' subiecit. In hoc est glorificatus est, id est fuerit, pater meus, ut fructum copiosum afferatis, & efficiamini mei discipuli, hoc est, opus quod cœpi proferatis, et regno

Quid manere in Christo.

patris

patris quàm plurimos adducatis. Neq; enim poterat pater deesse gloriæ suæ, quādo iam aduenerat hora illustrandi eam apud homines.

OBSERVAT. Obseruandum omnium Christianorum esse, ut fructum adferant, id est, alijs ad salutem prosint & inseruiant, id autem tum poterunt, cum Christo fide syncera fuerint addicti. In quo si nō hæreant, quæ quid sint et uideātur, olim è sanctorum consortio abijcientur in gehennam.

Sicut dilexit me pater. Sect. 2.

PARAPH. Ostendi unde accœpturi sitis, ut fructū adferatis, ad quod delecti estis, nimirū à me solo, cui solida fide uos adhærere oportet, nunc hortor ut libeat uel meo exemplo fructum adferre, & proximis seruire. Pater me dilexit, ideo uicißim dilexi & diligo eum, idq; declaro, dū mandatis ipsius studiosißime obtempero, manete igitur & uos in dilectione mei, idq; studio quoq; mandatorum meorum demonstrate. Hæc uobis locutus sum, & hinc uos hortor, ut gaudium meum in uobis maneat, quandoquidē adeo de meo abitu cōturbamini. Si enim ita mandatis meis studendo, dilectionē mei declaraueritis uos habere syncerā, prædixi, patrem & me mansionem apud uos habituros, neq; unquam deserturos, hinc erit, ut de me longe melius & salubrius uobis præsente gaudeatis, quàm si carne apud uos subsisterem. Quod igitur uobis hæc de dilectione mei, & studio mandatorum meorum loquor, uestri

cauſſa facio, ſic ſanè gaudium ueſtrum complebitur, iuſtum & ſolidum erit, quia uerum, & de me, uere uobis præſente futurum eſt. Ne autem dubitetis, quæ mea mandata ſint, quanquam id & antea uobis expoſui, omnia in hoc uno uerbo ſummata ſunt, ut diligatis uos inuicem, ſicut ego uos dilexi, quos ſanè ita dilexi, ut maiorẽ dilectionem nemo præſtiterit. Ita dilexi ſiquidem uos, ut animam meam pro uobis ponam, quis maiorem amicis ſuis dilectionem exhibeat? Agnoſcite igitur, me uos uere amicos habere, tantum ſtudete ijs, quæ uobis mando. Etenim quod certum germanæ amicitiæ argumentum eſt, quæcunq; à patre audiui, quorum cognitio uita æterna eſt, ea nota uobis feci, recte igitur uos amicos meos uocaui, non ſeruos, quandoquidem ſeruis indicare ſua arcana heri haud ſolebant. Sed & hinc uidetis, quàm amicos uos habeam, nõ uos me, ſed ego elegi uos, et ad munus ſanè diuiniſſimum. Conſtitui ſiquidem uos, ut abeatis in uniuerſum orbem, & fructum, adducendo quã plurimos regno Dei, adferatis, fructus q; ille mancat, futuris uſq; ad finem mundi, qui in doctrina, quam uos ſpargetis, permaneant. Denique huc euexi uos, ut q; in ſummam dignitatem, ut quicquid omnino patrem petieritis, id ſitis ab eo accæpturi. Id quod tertio iam, quia maximum eſt, uobis polliceor. Quid quæſo amplius potuiſſem uobis præſtare, quid præterij, quod non uel ſummo uos inter amicos meos haberi loco probet? Certe proximos mihi dignitate uos feci, & quotquot antea fuere ſanctis regibus & prophetis longe prætuli. Myſteria

Argumenta dilectionis Chriſti.

ſteria patris ſaluifica nemo unquã apertius uobis audiuit, nemo unquam maiorem orbi ſalutem attulit, atq; uos adferetis, nemo unquã maiora Dei opera & miracula, quã uos ædetis, ne à me quidem uidit. Hæc tanta tam q; diuina uobis præ uniuerſis cælitibus & terrigenis, morte mea cõparabo, qd' quæſo amoris ſummi argumentũ præterea quæratis? Diligite igitur uiciſſim & me, atq; mandatis meis ex animo ſtudete, quæ nihil aliud à uobis requirunt, quã ut uos ipſos inuicem diligatis, ut uobis ipſis inuicem benefacere ſtudeatis, & quiſq; proximum ſuum regno Dei, adducere laboretis. Nam ſic demum, ſi uera obtinuerit apud uos proximorum dilectio, munus ueſtrũ, ad quod uos delegi, ut uelut palmites è ſuccu uitis uuas, ita uos ex meo ſpiritu doctrinam Euangelicã, uuas cæleſti & ſaluifico uino plenas, orbi adferatis, diligenter & ſtudioſe obibitis.

ANNOT. Omnia quæ audiui à patre. Hæc ſunt, q; ipſe Chriſtus eſſet ſeruator mundi, & iudex ommũ, quod morte ſua redempturus eſſet ſanctos, q; ad gẽtes quoq; ſalus peruenire debebat, & Iudæi excæcari, quod per ipſos Apoſtolos, ſua & patris gloria mire eſſet reuelanda, et id genus alia regni Dei myſteria, quæ ſanè reges, & prophetæ optauerant uidere & audire, nec tamen uiderunt & audierunt.

Quæ à patre audita, diſcipulis prædicarit.

Ego elegi uos. Apoſtolos elegerat Chriſtus, ut ſummo beneficio orbẽ afficerent, et dij alijs hominib. eſſent, dũ Euãgelion uitæ fecit per eos inuulgari, recte igitur huius eos admonuit, dum uolebat ad redamandum ſe illos excitare.

Certe minimus eorum, maior Iohanne factus erat, qui tamen omnes retro prophetas, imò quicunq; è mulieribus nati erant excelluerat. Hæc & si parum, tum cum ea audirent perpenderent, postea tamen, ubi spiritu ampliore donati fuere, mirifice eos accenderunt, ut uocationi suæ, summa cum diligentia, summóq; cum studio, hoc est, ut Paulus loqui solet, cum timore & tremore incumberent. Eodem certe argumento, ad ambulandũ digne Deo, Paulus suos ubiq; hortatus est, ut testantur eius Epistolæ.

Et fructus uester maneat. Manſit certe hactenus, & manebit usque ad consummationem sæculi, quia semper electi erunt, qui in in doctrina Apostolorum uiuent. Multis proh dolor in nationibus fructus Apostolorum diu admodum obscuratus fuit, at q; etiamnum est, nequaquam tamen extinctus.

Fructus Apostolorũ manſit.

Vt quicquid petieritis. Et hoc cum uerbo, elegi uos, coniungendum est. Quia enim in hoc delecti fuerãt Apostoli, ut primum orbi Euangelion annunciarent, oportuit ut plurima & maxima miracula ederent, & exorarent, quicquid orassent. Idem & alijs sanctis, pro sua uocatione datum quidem est, hic autem præcipue de ijs miris operibus Dominus loquitur, ad quæ patrãda Apostoli fuerãt delecti, id totus hic ad eos habitus sermo testatur.

OBSERVAT. Obseruandum ut nostri erga Deum dilectionis, certum argumentum est, si mandatis eius, id est, dilectioni proximorum ex animo fuerimus dediti, spectantes quisq;, ut proximis pro sua facultate inseruiat, ita Dei

ita Dei erga nos amoris manifestum indicium esse, si nobis sua mysteria reuelet, & in hoc constituat, ut plurimos regno suo adducamus. Debet siquidem omne omnium Christianorum studium esse, ut alijs sic inseruiant, ut illi D E I bonitatem agnoscant, eáque syncera fide perfruantur.

Si mundus uos odit. Sect. 3.

PARAPHRA. Hortatus sum, ut ante omnia dilectioni studeatis proximorum, quæ impellet utique, ut gnauiter munus ad quod uos elegi, ut Euangelion salutis ubiq; prædicetis, obeatis, sed scio mundus id non minus grauiter feret à uobis, quàm à me tulit. Vos igitur cum mundus pro tanto beneficio, quod illi adferetis, uobis exitiali odio respondebit, considerate quod me quoque, qui princeps uester sum, & uobis multo præstantior, odio habuit. De mundo uos selegi, & ereptos tyrannidi Satanæ, cui mundus subiectus seruit, regno cælorum donaui, ideo contra uos tanquam defectores & transfugas ille ita insaniet. Quid autem non ferre ab illo debeatis, potius quàm cum illo Satanæ seruire, cum æterna uestri pernitie? Memento sermonis quem uobis dixi, non esse seruum præstantiorem domino suo. Cum igitur meum illi serui Satanæ, sermonem contempserunt, méque ob salutem quam eis obtuli, dire persecuti sunt, idem ab illis & uos expectate. Id autem interim consoletur, quod propter nomen meum, uos illi persequentur. Me enim in uobis odiunt, me petunt,

eo quod nec Deum noſcant, qui me miſit. Ex Diabolo nati ſunt, ideo ueritatem & iuſtitiam non poſſunt non oppugnare. Quàm optabile autem uobis pro iuſtitia Dei perſecutionem ab illis ferre, quamq; pernitioſum & exitiale illis, ſic contra illam furere? Nam præcipui hoſtes, à quibus uos pati oportebit Iudæi, nequaquam ex ignorantia, quæ excuſari poſſet, uos perſequentur. Ea enim locutus illis ſum, ea opera oſtendi, quibus maiora ante mundus non uiderat, ut aperte ſatis in me Deum agnouerint, quare nullam prorſus excuſationem poterũt prætexere, præterturi ſanè, ut nullum ob repulſam mei peccatum illis imputaretur, ſi non ueniſſem, et locutus illis fuiſſem, operaq; patris exhibuiſſem. Nunc ita in me patris uerba & opera agnouerunt, ut uere non tantum me hominem, ſed in me patrem quoque Deum odio inſectati ſint, ut uerum ſit factum illud ſcripturæ eorum. Abſq; cauſſa me odio habuerunt. Nam nihil uel dixi uel feci illis, quod non, ſi ſuſtinuiſſent id recipere, ſalutare eis fuiſſet. Sed ferendum hoc mihi fuit, uos igitur cum eadem inciderint, et uobis illa æquis animis ferenda ducite. Vt namq; mihi, ita & uobis omnia tandem bono cedent, cum apparuerit qui ſimus. Odio illorum & perſecutioni hactenus obnoxius fui, ſed cum aduenerit uobis paracletus, ucrus ſanctorum patronus, & adhortator, regniq; Dei legitimus moderator, ſpiritus ueritatis, qui ueram & ſolidam iuſtitiam ſuppeditabit meis, quem mittam à patre, ex luce inacceſſa, ex abdito diuinitatis, cum illò iam me recœpero, hic inquam ſpiritus, cum aduenerit

aduenerit teſtimonium perhibebit de me, dum faciet ut per uniuerſum mundum electi me ſaluatorem agnoſcant & adorent, quem ut D E I blaſphematorem illi cruci ſuffigent. Tum & uos illo inſtincti, mihi idem teſtificabimini, idq; eo certius, quod ab initio prædicati à me Euangelij, à quo tempore cœpi Chriſtum me profiteri, mecum conuerſati eſtis.

ANNOTAT. Mundus quod ſuum eſſet diligeret. Licet mundi homines nunquam ſe inuicem uere diligant, quia omnes tantum ſua quærunt, attamen nihil prorſus adeo deteſtantur & intolerabile ſibi ducunt, atq; ſyncerum ſtudium Dei, huc agit eos princeps eorum Satanas, hoſtis uetus Dei. Vnde ſi Apoſtoli non fuiſſent è mundo electi & donati ſpiritu, qui mundo & principi eius ſemper aduerſatur, & ſi non magnopere dilecti fuiſſent ab hominibus ſæculi, tolerati tamẽ fuiſſent, & dilecti ab aliquibus, ſic autem, dum gloriæ Dei ſtuduerunt, contra ſe concitarunt totum mundum, id eſt, quicquid D E I bono ſpiritu non erat donatum, quia principem eorum detorbare tyrannide ſua conabantur. Mundum hic Dominus præcipue pro mundanis Iudæis accœpit, id quod ſequentia ſatis teſtantur. His enim ipſe locutus erat, & abſque cauſſa odium eorum pertulit. Neque ab alijs & diſcipuli plura perpeßi ſunt. Vt mũdus ſuos diligat.

Scitis quod me prius quàm uos. Græca habent, γινώσκετε ὅτι ἐμὲ πρῶτον ὑμῶν μεμίσηκεν, quod et ſic legi poteſt. Scitote, id eſt, perpendite, quia me primũ

uestrũ, hoc est, principẽ odio habuerit. Hæc mihi interpretatio magis arridet, eo quod sic hoc dictũ conueniat, cũ eo qd' sequitur: Non est seruus maior Domino suo. Sic quoq; πρῶτος, & in testimonio Iohannis, cum dicebat de Domino, ante me factus est, quia πρῶτός μου ἦν, id est, primus meus est, pro primo uel principe accipiendum puto, id quod supra 1. Sect. 5. indicaui.

Quia non nouerunt eum. Id est, non pernouerunt, ita ut amare possent, alioqui audierunt isti ea uerba, uiderunt ea opera patris in DOMINO, ut nihil sit illis relictum, quod peccato suo prætexerent, utiq; quia satis um duinam in ipso perspexerãt. De hac cognitione DEI, quæ quidem omnem ignorantiæ prætextum tollit, nec tamen animum immutat, DEI q̃; studio inflammat, diximus iam sæpe, fusius supra 1. cap. fol. 17. Diligenter autem notandum, quod Dominus hic ait Iudæos non habituros fuisse peccatum, si non uenisset, & fuisset eis locutus, feciſſetque ea coram illis opera, quæ nemo fecerat alius. Neminem ergo damnabit DEVS, qui ex sola ignorantia peccat, quique abiecti sunt, eos oportebit tandem ita ueritatem cognoscere, ut iam non sint ignorantes, sed spiritus DEI blasphematores, & scientes hostes Dei, ut in spiritum sanctum peccent, peccatum irremißibile. De his & in fine Noni cap.

Vt impleretur. Quod in Psalm. 35. scriptum est, in lege scriptum dicit, quia legis nomine totam scripturam sacram intellexit, ut & supra 10. Vndiq; enim illa docet & erudit

erudit ad salutem, quare הוֹרָה recte dicitur, quod cum græci νόμον, latini legem uerterunt, forte melius doctrina uerteretur.

Cum autem uenerit paracletus. Cum hoc nomen ducatur à uerbo παρακαλῶ quod aduoco & adhortor magis quam consolor significat, hoc enim græcis ferè παρα μυθοῦμαι dicitur, quẽ græce παράκλητον hic Dominus uocauit, aduocatum uel patronum, aut etiam adhortatorem dicere mallem, quàm consolatorem. Angustius siquidem est hoc nomen, quam ut spiritui paracleto conueniat, cui Dominus scilicet multo plura, quam consolari tribuit. Vt enim uel solus sit adflictarum mentium uerus consolator, dum spiritui nostro, testimonium infallibile perhibet, nos filios & hæredes esse Dei, attamen cum Dominus supra 14. sect. 3. dixerit, rogabo patrem, & alium paracletum dabit, qui maneat apud uos, talẽ utiq; uidetur promisisse, qui omnia discipulis præstaret, quæ ipse antea in carne eis præsens præstiterat, & quidem perfectius, iam non solum mœstos discipulos Dominus consolatione erexit, sed magis in omnibus ad salutem erudijt, & ad grata patri opera excitauit, impulitq;, defendit eos, fuitq; eis doctor & patronus, cuius dum clientes fuere, nihil prorsus eis defuit, nihil eos læsit. Cum itaq; hæc omnia melius & efficatius præstare debuerit hic paracletus, quia spiritus Domini est & patris, uirtutem siquidem suam Dominus post mortem gloriosius exerere uoluit, patronum rectius, & ducem atq; doctorem et adhortatorem dicemus Paracletus patronus.

quam consolatorem. Spiritus siquidem est ueritatis, qui in sanctis omnia iusta & uera efficit, glorificat Christum, dum solus animose confiteri eum saluatorem donat, docet omnia, & quæcunq; Christus dixit, suggerit ut intelligantur, ducit deniq; in omnem ueritatem, ob hæc utiq; patronus melius, quam consolator noster uocabitur.

Et uulgo Græci παράκλητον pro patrono & aduocato accipiunt.

Quem ego mittam à patre. A patre missurum se hũc spiritum Dominus promittit, & addit eum à patre profisciſci, eo uero nihil aliud significauit, quam cum & de se dixit, missum se à patre, & uenisse à patre, nempe quod hic paracletus uere Dei spiritus sit, neq; docturus nisi diuina, sicut & ipse uere Dei filius & preco, nihil nisi diuina, uereq; patris, & uerba prædicauit & opera fecit.

Paracletus à patre.

Ille testimonium perhibebit de me. Id factum est, cum hoc spiritu afflati Apostoli, animose Euangelion Christi prædicarunt, & mirificis signis confirmarunt. Tum siquidem & ipsi Domino testimonium perhibuerunt, & spiritus paracletus, ipsi ut ministri, spiritus paracletus, ut author & impulsor. Neq; enim ipsi, uel loquebantur, uel prodigia edebant, sed loquens in eis & agens omnia, hic spiritus patris paracletus, id est, patronus ille sanctorum, qui Christo in carne præsenti succesſit, quo deniq; ipse Christus, uirtus enim eius est, & arcana potentia, perfectius & diuinius suis adest, quam cum carne adesset. De hoc spiritu & supra primo.

OBSERVAT. Obseruandum mundo nos, si uere Dei sumus, & negotium agimus, non posse non haberi odio,

odio, & esse intolerabiles, quando ille nulli unquam magis infensus fuerit, quam Christo Domino omnium optimo. Deinde Christum non nisi spiritu Dei, ipsi testimonium perhibente posse cognosci. Postremo eos non habere peccatum, quod scilicet maneat & condemnet, qui peccãt sola ignorantia, sed cum Paulo ueniam tandem consequi, aut ostensa satis ueritate peccare in spiritum sanctum, iam scientes.

CAPVT XVI.

Hæc locutus sum uobis.

PARAPHRA. Hæc uobis ideo prædicere uolui amantiss. discipuli, à mũdo, cũ illi Euangelion salutis annunciaueritis, relaturos uos odiũ eius, & persecutionẽ atrociss. ne offẽdamini, cũ ita euenerit, néue indigna uos pati arbitremini. Futurũ siquidem est, ut è consortio suo homines sæculi uos eijciant, atq; ita deuoueant, ut qui uos interemerit, putet se Deo admodũ esse gratificatum. Id ita facient, quod ut dixi, neq; me, neq; patrem, cuius uos uerbum illis adferetis, uere agnoscant. Volui ergo de his uos præmonere, ut cum acciderint, memores sitis, ea me uobis prædixisse, atq; ita fieri oportere, sed indubie ut ad gloriam patris, ita & uestram salutẽ, deniq; inde, quod ista uobis prædixi, Christum me esse agnoscetis. Ab intio cum uos mihi discipulos adlegi, ista uobis nõ dixi, erã enim cum uobis, & tanquã infirmiores ita foui, ut nihil horũ adhuc

adhuc experiremini, nunc autem abeo carne à uobis, ad eum qui misit me in gloriam diuinitatis. Inde mittam uobis paracletũ, quo instructi, testimoniũ mihi corã uniuerso orbe perhibere uos oportebit, tum quæ iam prædixi experiemini, iam igitur de eis potiss. præmonere tempestiuum duxi. Vos autem adeo stupetis, ad hæc, ut nõ interrogetis quo abeam, de qua re præcipue rogandũ uobis erat, ut cognita gloria & potentia, quæ me apud patrem manet, tanto firmioribus, atq; lætioribus animis ista excideretis. Tantum hoc consideratis, quod dixi me abiturum & uos à mundo persecutionem passuros, atq; hinc corda uestra tristitia exanimat. Sed utcunq; uos afficiamini, & ista excœperitis, uere è re uestra est, ut carne à uobis abeam, eo quod ille paracletus, alius & melior, quam sit hæc mea caro, patronus, non sit uobis aduẽturus, si nõ abiero, certo autem uenturus, & semper apud uos mansurus, si abiero.

ANNOTAT. Hæc autem uobis ab initio. Quanto enim propius accedebat, ut Apostoli suum munus obirẽt, tanto apertius muneris eius rationem illis Dominus exposuit. Cum enim primum amandauit eos ad Israëlitas tantum, de qua amandatione Matth. 10. & Luc. 9. atq; 10. specimen tãtum eis exhibuit futuri Apostolatus. Dumq; carne cum eis egit, nihil eos adflugi passus est, ut sponsus enim illis aderat, neq; conueniebat, ut aduersa adhuc experirentur. Mihi quoq; dubium non est, quæ de persecutione prædixisse discipulis Dominũ Matth. 10. legimus, neq;

neq; ab initio uocationis illorum, neq; cum primũ amandaret eos prædicatum, eis prædixisse, sed cum iam instaret, ut ea experirentur. Neq; enim ut sæpe dictum est, eo ordine Euangelistæ omnia memorarunt, quo dicta sunt & facta. Confirmant uero hæc & quæ Lucæ 22. illis dicebat, instare ut etiam uendita tunica, gladium emerent, cum antea nihil eis defuisset, quando absq; saculo & pera amandati fuerant ad prædicandum, de quo inferius, et in Mat. 10. in illud: Ne possideatis aurũ, neq; argentũ.

Et nemo uestrũ rogat quo abis. Id est, quod de regno meo & futura gloria prædico, nihil uos mouet, nihil de eo estis soliciti, nihil rogatis, unum id consideratis, quod sum uos carne deserturus, mundus uero etiã persecuturus, indeq; corda uestra tristitia opplentur, quæ contra consolarentur atq; erigerẽtur, si potius rogaretis, quo nam abiturus sim, de gloria scilicet & potentia, quã ad patrem concedens, accepturus sum, eaq; uestram & omnium electorum salutem perfecturus. Vt ergo eos à consideratione discessus sui, ad cogitandã indicibilẽ felicitatẽ instantis regni spiritus reuocaret, adiecit. Sed ueritatẽ dico uobis &c.

Si enim non abiero. Toties Dominus dixit se abiturũ, quis tam impius ut neget eum abijsse? Marcionis uero est, non Christiani, decree eum nõ uere abijsse, sed tantum se reddidisse inuisibilem. Inuisibiliter enim adesse, non est abire. Etenim cum Deus ipse, qui nusquam tamen abesse potest, in scripturis nusquam abire dicatur, nisi unde se certo aliquo & perceptibili suo opere auertit, ut secundũ id operis,

id operis, neq; uisibiliter neq; inuisibiliter adsit, quomodouere è mundo abijsse Domi nũ, & non nisi ad iuditium rediturum uerum hominem, uerumq; corpus habentem dicemus, si corpore perpetuo sit in mundo, uel adueniat unicuiq; cũ uelit sacrificulo, ubi quinq; super panem uerba murmurarit? Sua uirtute saluifica, id est, paracleto spiritu, adest suis usq; ad cõsummationẽ sæculi, cuius & carne atq; sanguine pascuntur sancti, dũ docti à spiritu credunt illorum se imolatione redemptos, ipse autem interim corpore non est nisi in cælis, immortalis, non latitat commestibilis in pane. Dum hæc ita, ut res habet docemus, Artocreatistæ desiderant in nobis candorem, & se interim candidos uideri uolunt, cum nobis falsissime impingunt nos Christum ipsum, hæc docentes, sanctis aufferre. Quẽ & nos prædicamus ideo corpore abijsse, ut melius suis adesset, nimirum per spiritum suum uiuificantem. Nostra calumniantur imposturas esse, quæ ipso Dei irrefragabili uerbo nituntur, cum ipsi toti orbi pernitiose imponere laborent, infausto illo suo dogmate, & Dei gloriæ nimirũ deroganti, distribui in cæna corpus & sanguinem Domini, in cruce imolata. Diximus supra eum mortem à cæna Dominica referre, qui non antequam illam adeat, probãs seipsum, deprehenderit posidere iam se corpus & sanguinem Domini, id est, credere se illis redemptum. Admonere nos uerbis inuicem & sacramentis possumus, idq; sine fructu tamen, si non eadem spiritus exhibeat credenda mentibus, distribuere aũt dona spiritualia, tam non possumus,

mus, quam non esse Deus ipse. Plantans & rigans nihil est, qui incremẽtum dat Deus est, ò Artocreatistæ. Sed de his supra 6. plura.

Sin autem abiero. Quia paracletus spiritus glorificaturus Christum erat, non potuit aduenire, nisi Domino ante mortuo, & ita in gloriam patris exaltato.

OBSERVAT. Obseruandum, sic à patre esse comparatum, ut cum propter ipsius gloriam patimur, mundus existimet se nos, tanquã hostes Dei in gratiam ipsius maclare. Sic & Christus ipse, non filius, sed ut hostis fuit, cruci suffixus. Deinde quam uere Dominus dixerit supra carnem suam nihil prodesse, quando si ea nobis, ita ut aderat, relicta fuisset, spiritus nobis paracletus nõ adueniisset. Deniq; colligitur hinc eos alium paracletum, spiritum S. scilicet nondum recte agnouisse, qui Christum uolunt habere corpore præsentem.

Et cum uenerit ille arguet mundum. Sect. 2.

PARAPHR. Quo autẽ tolerabilius ò discipuli ferratis, ut corpore à uobis migrem, cum ubi migrauero, spiritus paracletus certo uobis aduenturus sit, uolo huius uobis spiritus uirtutem latius exponere, quanquam & antea satis eã indicarim, cũ testatus sum uobis, cũ uos omnia docturũ, & omniũ quæ uobis dixi, intelligentiam suppeditaturũ, esseq; spiritũ ueritatis, tũ de me testificaturũ. Istis hoc addo, cũ aduenerit hic spiritus, uosq; adflarit, efficiet ut mundũ

Spiritus mundum arguit de peccato et iustitia &c.

ut mundū nequaquam amplius timeatis, sed ut indies eiūs eū arguatis & pditū esse demōstretis. In peccato enim detineri totū, & nescire cū quæ sit uera iustitia, tū cuius sit iuditiū & omniū potestas, detecto eo peccato quod solū condemnat, ostensa iustitia quæ uere & Deo iudice iusti tia existit, demōstrato deniq; uero in omnes iuditio, quod penes me est, conuincetis. Peccatū uero quod mundo indicabitis aliud non est, quam quod in me omnes homines sæculi, quibus non est datus hic innouatior spiritus, non credunt. Sic necesse est eos, in quibus nati sunt peccatis, etiam mori. Iustitiam autem ueram, quæ in eo sita est, ut mihi electi credant, palam facietis, quia uado ad patrem, in gloriam meā, nec uidebitis me in hac humilitate deinceps, tempus igitur est, ut uera demum iustitia, quæ fide in me constat reueletur. Iuditium quoq; indicabitis cui pater dederit, & penes quem sit rerum summa, quia princeps mundi iam iudicatus & condemnatus est, ut eiiciatur ex pluri morū, quā late orbis patet, cordibus, in quibus ita regnabo, ut omnem illis cedere oporteat potentiam mundi. Ne morte siquidem illi à me diuelli poterunt, quare ridebunt cunctam uim Satanæ, à me illos auellere conaturi. De his autem mysterijs, ut reprobi solo eo perituri sint, quod mihi non credunt, quod contra omnis iustitia & salus inde solum ueniat, quod mihi fides habetur, quod deniq; mihi omnis potestas data sit in cælo & terra, quam & mirifice contra Satanam declaraturus sum, ut paulopost ubiq; meā trophæa sitis, eliminata omni tyrannide Satanæ, ere

cturi,

cturi, multa sane habere, quæ uobis dicerem, sed nondum ualetis ista capere. Differam igitur donec patronus uester ille aduenerit spiritus ueritatis, is in omnem uos ueritatem inducet. Nam ut & ego feci, à se nihil, sed tantum quæ audierit loquetur, quicquid suggeret meum & patris uerbum erit, uentura deniq; de Antichristo et eius destructione, deq; altera nominis mei illustratione sub finē mundi, de Iudaicæ gentis conuersione, & extrema deniq; resurrectione, & uita sæculi futuri, uobis annunciabit. Hic demum me glorificabit, Christumq; et Deum esse palam faciet. De meo nanq; accipiet, meam sapientiam uobis impartiet, meum uerbum adferet. Quæcunq; enim pater habet mea sunt, Dominus & instaurator omnium à patre constitutus sum, quare à me accipi oportet, quicquid sapientiæ aut iustitiæ, cuicunq; contigerit, ideo dixi de meo accepturum paracletum, & uobis annunciaturum, quia meum demum erit, quicquid ille uobis attulerit. Condita sunt per me omnia, igitur & instaurari per me cuncta oportet.

Arguet mundum, id est, palam prædicari faciet, quam perditus sit. Arguet autem cum de peccato, & eo quidem, quod æternam adfert pernitiem. Id est, CHRISTO non credere, qui solus peccato liberat. De iustitia arguet mundum, utiq; quod ea careat. Iustitiam enim par est pro uera iustitia accipiamus, sicut & peccatū hic pro uero peccato, & iuditium pro uero iuditio accipitur. Vtiq; quam nudus sit mundus uera iustitia, tum de-

mum plane apparuit, quando uera iustitia Dei per Euangelion ubiq; reuelata fuit, iustitia de qua lex testata est, & prophetæ, iustitia quæ per fidem IESV Christi peruenit in omnes credẽtes. Rom. 3. Totus siquidem mundus iustitiam inquisierat, studiosissime autem sub aduentum Domini, Iudæi per legem, gentes per philosophiam, uerum uolente Domino demonstrare non esse, nisi per CHRISTVM iustitiam, utroſq; & Iudæos & gentes, quanto plus uidebantur studere iustitiæ, tanto in grauiora prolabi sinebat iniustitiæ dedecora, ut posteà tam eximia & uere Dei, atq; cælesti iustitia florentibus ijs, qui Christo nomen dedissent, totus orbis agnosceret, non esse nisi per fidem CHRISTI iustitiam petendam. Hæc ergo uera solidaq; iustitia, quæ à fide Christi contingit, ut homo totus Deo & proximo, in admiranda sanctitate uiuat, tum demum cœpit reuelari, cum ad patrem Dominus abijsset, & iam à discipulis non uideretur. Vnde & Paulus Rom. 4. scribit, eum propter iustificationem nostram resurrexisse. Ideo tum paracletus in Apostolis de iustitia mundum arguit, id est, palam iustitia mundum esse conuicit, cum fulgeret in credentibus uere solida & diuina iustitia. De iuditio etiam tum arguit mundum, qua tum demum apparuit filio omne iuditium datum esse, ubiq; uerbo eius cedente Satana, qđ item mundus ignorabat.

De iustitia quia uado ad patrem.

Adhuc multa habeo. Hæc multa cerimonias, quæ in Ecclesias

Ecclesias irrepserunt, ij intelligendas contendunt, quibus illæ lucro sunt. Sed quid poßit dici stultius? Scilicet non potuerunt portare, id est, capere discipuli præcepta de cerimonijs, quibus assueuerant à puero, & opus fuit doctore alio, quam esset CHRISTVS ipse in carne mortali, ut illæ traderentur, quarum tam multas Moscheh tradiderat, Christo longe inferior? Deniq; paucu las cerimonias, easq; ferè mutuatas ab ethnicis, erũt, si CHRISTO placet, omnis ueritas in quam inducit spiritus paracletus. Sed sic sapere debent ueritatis hostes. Hæc multa igitur sunt, quibus explicatur uis peccati, discrimen electorũ & reproborũ, uera Christi iustitia, & æterna potestas. Ea sunt quæ Paulus orabat Ephesijs cum scribit. Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem &c. lege Ephes. 3. Quæ & Colossensibus ac suis omnibus precari solitus fuit, ut & in exponendis illis multus semper fuit. Ista siquidem plene nouisse, est uita æterna. Reliqua in paraphrasi satis explicui.

Multa hæc quæ non poterant portare non sunt cerimoniæ.

OBSERVAT. Obserua quid sit mundum arguere, nimirum omni eum iustitia & cognitione ueri, nudum ostendere, peccatoq; exitiali esse oppressum, id quod nemo faciet, nisi spiritus paracletus. Deinde hunc solum docere, quid Christus sit & poßit.

Pusillum & non uidetis me. Sect. 3.

PARAPHR. De paracleto spiritu, uel ideo uerba uobis libenter facio, à quo nimirum posthac doceri uos omnia oportet, quod per pusillum temporis sit, quo uobis carne adero, iam iam enim rapiar ad mortem, à qua quidem iterum ut dixi uidebo uos, sed id quoque exiguo tempore, quia tempus aduenit ut ad patrem, in gloriam diuinitatis concedam. Hæc discipuli non intelligentes, uolebant eum interrogare. Sed præuenit eos & quid uellet, apertius indicabat dicens: Amen amen dico uobis, plorabitis & lamentabimini uos, & mundus gaudebit, me scilicet interempto, sed breui mœror uester in gaudium uertetur, cum scilicet rediuiuum me uobis exhibuero. Sicut enim mulieris parturientis dolor omnis euanescit, cum uidet se peperisse hominem, ita uobis iste mœror, quo nunc propter abitum meum grauati estis, & magis grauabimini cum uidebitis neci me dedi, omnis euanescet, cum iterum uidebo uos, tum gaudio corda uestra per
Vnde uerũ gaudium. fundentur, quod nemo à uobis tollet. In illo die nihil me interrogabitis, adeo omnia clarissime docebit uos spiritus paracletus, quem penes uos habebitis. Sic agetis quoq; feliciter, ut quicquid omnino patrem petieritis, sit uobis daturus, quod iam quarto uobis polliceor. Hactenus nihil in nomine meo petiuistis, contenti ea uitæ commoditate, qua mecum estis fruti, iam autem futurum est ut petatis, ad diuiniora scilices mentes uestras spiritu paracleto accendente, tum petite tantum confidenter, omnia accipietis & implebi-

implebitur & perficietur gaudium uestrum, cum me & patrem plene cognoueritis. Hæc credite futura, & inde consolamini, dum præposterus iste de meo abitu mœror corda uestra occupat.

ANNOTAT. In illo die me non interrogabitis. Hoc significauit fore, ut omnia abunde adeo à spiritu docerentur, & à patre acciperent, postquam per ipsum, hoc est, in nomine ipsius ab illo petissent, quod in nulla re essent hæsituri, nullius q; boni inopia laboraturi, atq; ita nulla interrogandi ipsum caussa futura.

Hactenus non petijstis. Vt enim spiritualia parum intelligebant, ita neq; petere ea poterant.

OBSERVAT. Obseruandum unde sit uerum ac solidum gaudium, utiq; à sola cognitione CHRISTI inde est, quod ipsum Paulus ubiq; fidei fructum facit. Deinde fideles per CHRISTVM impetrare à patre omnia.

Hæc per prouerbia locutus sum. sect. 4.

PARAPHR. Hactenus quum uobis non adfuit ò discipuli amplior uis spiritus, instar paræmiarum, quæ ferè obscuritatis aliquid habent, uobis sermones mei fuerunt, tecti scilicet, sed confidite instat modo tempus, cum apertius uobis de patre meo adnunciabo, nimirum per paracletum, quem uobis toties pollicitus sum. Tum petenda per nomen meum & cognoscetis, & cum petieritis accipietis. Chari estis patri, ideo ista omnia quæ promisi futura ne

tura ne dubitetis. Adeo sane ille uos amat, ut non sit opus, quod mea illum uobis intercessione propitium reddam, iam enim uobis ille summe fauet, quia uobis datum est me diligere atq; credere, quod à patre exiui, hoc est, uerus Deus in hunc mundum & seruator omnium ueni, homo factus. In hac tantum fide persistite & omnia optime habunt. Vere enim á patre egressus, in hunc mundum ueni, cum æternum uerbum patris, sum certo factum. Iterum modo mundum relinquo hac carne quam assumpsi, & ad patrem uado, in immortalem gloriam eandem subductu rus. Per hæc uero excitati discipuli, & admiratione quadam rapti, nam hæc ultima uerba sua DOMINVS ingenti spiritu dicebat, respondebant Domino: Ecce nunc aperte & citra paræmiarum inuolucrum loqueris, nunc scimus te nosse omnia, neq; etiam opus esse, ut te quisquã interroget, quando ipse iam palam omnia loqueris. Hinc iam credimus, quod à Deo egressus es, uerus orbis seruator. Hæc uero magis ex stupore quodam, quam certa scientia discipuli dicebant, neq; enim ita plane omnia uerba CHRISTI intellexerant. Certe sermo quem eis dixerat, ipsis adhuc prouerbialis fuerat, neq; ita aperte & plane de patre adhuc edocti erant. Nam id per paracletum primum Dominus futurum promiserat. Voluit igitur illos infirmitatis suæ Dominus admonere & dicebat: Nunc creditis, nunc me ut CHRISTVM Magno scitis, sed ò quam nondum egit satis radices hæc fides uestra. Iam enim instat hora, ut me deserto, quisq; uestrum ad sua

ad sua se conferat. Sed ob id non ero solus, patre Deo mihi usq; præsente. Volui autem priusquam à uobis migrarem, hæc uos monere ut credentes mihi ueram pacem haberetis. In mundo enim afflictionem sentietis. Sed confidite, ego uici mundum, unde & uos illum uincetis.

ANNOTAT. Hæc p prouerbia, id est, tanquã prouerbia, quæ ferè rem manifestam obscuritate tegunt. Nã hic nullis alioqui prouerbijs Dominus usus est. Est enim paræmia definitore Erasmo, Celebre dictũ, scita quapiam nouitate insigne.

Et non dico uobis, quod rogaturus sim. Semper quidem intercedit pro sanctis CHRISTVS donec plene consummentur, hic autem dixit non esse opus, ut patrem pro eis roget, ut nimirum iam primum eis fauorem patris impetret, qui iam tum eximie illis fauebat, ut Christo suo credentes.

Dicunt ei discipuli. Quia quod Dominus dixit uenire horam, qua esset aperte discipulis de patre annunciaturus, satis liquet de tempore resurrectionis & aduentus paracleti eum dixisse, obscurum quoq; esse non potest, hæc discipulos ex pia quadã admiratiõe respõdisse, magis quam certa scientia. Cum enim summum erga ipsos Dominus amorem iam multis testatus esset, cœperant & ipsi uicißim eius amore ardere, atq; ex eo ut fieri solet, uidebantur sibi plura capere, ac promittebant etiam se plura habere, quam ad huc poterant uel capere uel habere.

Nunc creditis. Dum scilicet extra periculum estis, aliud declaraturi, cum periculo accesserutis propius. Huius infirmitatis suæ monendi erant, quo agnoscerent omnia Domini dona esse. Fidem tamen cum Dominum deseruerunt, haudquaquam amiserunt, exercita illa quidem fuit & adflicta, sed nequaquam oppressa & extincta.

Vt in me pacem habeatis. In Christo sancti patris bonitatem agnoscunt, & uitam æternam inde percipiunt, unde semper dum mentis oculos in ipsum conijciunt, gaudent & lætantur, in mundo autem dum illum perpetuo arguere & confundere, solumq; Deum in Christo prædicare & glorificare studet, nunquam ab impijs non afflig untur, quos contra regnum Christi semper Satan armat. Sed hoc interim consolatur eos, sciunt CHRISTVM mundum uicisse, ita ut sanctis non possit ulla in re obesse, sed oporteat in omnib. illis scrutre ad salutẽ.

OBSERVAT. Iterum ut ubiq; monemur, omnia in amore fideq; CHRISTI sita esse. Tum eum solum de patre nobis annunciare, ut uere discere liceat. Præterea conducere sæpe sanctis, ut tententur & labantur, quo se & gratiam Dei melius agnoscant, alioqui dilectiß. suos discipulos Dominus haudquaquam ita labi passus fuisset. Deinde ut cum CHRISTO in supplicio pater fuit, & si natura eius uideretur sibi inimum derelicta, sic & nobis patrem sub cruce nostra, & si nihil minus sentiat caro nunquam defuturum. Post hæc in

hæc in uno Christo esse uerum gaudium & solatium, in mundo nihil expectandum, nisi adflictionem. Postremo, mundum ita à Domino uictum, ut prodesse tantum nobis possit, lædere non possit.

CAPVT XVII.

Hæc locutus est Iesus, & sublatis oculis,

Sect. 1.

PARAPHRA. Cum hæc, quæ præmisimus Dominus dixisset, ut totus ardebat & amore suorum & desiderio gloriæ patris illustrandæ, quo magis suos corroboraret, elatis in cælum oculis, corpore ita mentis ardorem referente, orauit ad patrem in hunc modum. Pater inquit aduenit tandem hora, glorifica tuum filium, immortalitate, & omnium imperio donatum, ut uicißim ipse te glorificet, conuersis hominum cordibus per paracletum, ut te Deum & patrem suum agnoscant & adorent, quorum nunc orbis paucißimos habet. Dedisti enim illi potestatem in omnem carnem, non Iudæos solum, ut ex omni hominũ genere aliquot saluet & æternæ uitæ participes reddat, quos tu nimirum illi dedisti, ante conditum mũdum in hoc electos. Iam uita æterna, et plena electorum salus nihil aliud est, quàm ut certo cognoscant, te solum uerum Deum, & quem misisti Iesum Christum unicum mediatorem & saluato-

Potestas omnis carnis.

ſaluatorem, quem ideo hominem fieri uoluiſti, ut per eam in agnitionem tui orbis ueniat, fac igitur, cum multi filij tui, per uniuerſum orbem diſperſi, alios deos, & mediatores erga te, miſere errantes colunt, ut hæc noſtri cognitio ubiq; terrarum effulgeat, & ſentiat mundus, me ſibi ſeruatorẽ aduenisſe. Equidem hoc, quod tu ſtatuiſti, tempore glorificaui te in terra, & nomen tuum, ijs quos ad hoc ordinaſti, manifeſtaui, atq; opus, quod mandaueras, perfeci, reſtat igitur iam, ut ea nunc apud te gloria dones me hominem quoq;, quàm ut Verbum tuum, Deus ab æterno, antequã hic apud te mũdus eſſet, habui, immortali ſcilicet beataq; uita, ac ſaluifico in omnes imperio, quo tua gloria per Apoſtolos meos undiq; propagetur. Iis quidem, quos mihi erudiendos & ſaluandos dediſti, cum tui erant, à te ſcilicet conditi & in hoc, ut ſalutem conſequantur ſelecti, nomen tuum notum feci, bonitatem tuam cognitam reddidi, ſermonem enim meum fide receptum ſeruarunt, cognouerunt q; quæcunq; in me uidetrunt, abs te utiq; profecta, uere abs te & diuina eſſe. Nam quæ mihi uerba dediſti, ijs illi fidem habuerunt, uere q; cognouerunt, quod à te exiui, & miſſus ſum. Verbum tuum, uerus Deus, & ſaluator mundi, quem omnes audire debeant. Hi iam proferre, quod cœpi Euangelion debent, quámque in Iudææ angulo lucem accendi, in uniuerſum mundum differre. Pro his igitur non pro mundo te rogo. Tui ſunt & dediſti eos mihi, ſicut omnia mea tua ſunt, & tua mea, unum ſiquidem ſumus. Glorificatus iam ſum in eis, quia me Chriſtum eſſe agnoue-

Gloriã abi æterno habitam.

gnouerunt, ſed ipſorum erit, ut ad id cooperentur, ut & in alijs electis per orbem diſperſis glorificer. Cum itaque ego, non amplius in mundo futurus ſum, iam enim è mundo egreſſus ſum, quia modo uado ad te, illi autem in mundo manſuri ſunt, ut meam bonitatem ubique prædicent, tuumque in me nomen glorificent, oro pro eis, ut illis, tam difficile munus obituris, paterne adſis.

ANNOTAT. Glorifica filium tuum. Filius patrem glorificauit, dum potentiam & bonitatem eius manifeſtauit. Pater filium, dum exaltatum ad dexteram ſuam Dominum & ſeruatorem omnium, et conſtituit, & agnoſci quoq; per prædicationem Euangelij fecit. Id Dominus ipſe ſatis declarauit, cum ſubiecit. Quemadmodum dediſti ei poteſtatem omnis carnis, ut det uitam æternam, omnibus quos ei dediſti, & mox definit uitam æternam eſſe, patris & ſui cognitionem. Hæc tum mundo, id eſt, electis è toto mundo contigit, cum à patre paracletum ſuis miſit. Tum Chriſtus donator uitæ æternæ agnitus eſt, ideo & uere glorificatus. Quomodo autem, cognitio patris & Chriſti, uita æterna ſit, quæ nimirum ſola, æternam ſalutem, iuſtitiam & gaudium adfert, ijs qui eius participes facti ſunt, haudquaquã poteſt eſſe obſcurũ. Vbi enim uere Deus ut omnis boni fons & author agnoſcitur, dũq; per Chriſtũ certi ſumus, illũ nobis fauere, atq; in hoc nos de mundo elegiſſe, ut ſibi nos p ſpiritũ ſuũ ſimiles reddat, plene iuſtos et beatos, ea certe fiducia et ſpe in Deũ corda noſtra

Quæ uita æterna.

nostra uiuũt, ut huic uitæ collatum quicquid orbis habet, fumus & umbra sit, eo Dei amore perfunduntur, ut nihil non molestum sit, quod nescias te cum gratia ipsius habere. Hæc iam fiducia confundi non potest, hic amor nunquam excidere. Deus enim uerax est & opera eius perfecta. Vnde dum per spiritum Dei quo donati sancti sunt, indubitato se filios Dei sciunt, futuræ & beatæ uitæ, ut aram ita et gustum aliquem habent, tenuem quidem illum, si plenæ beatitudini, quæ nos manet conferas, sed tantum tamen, ut præ eo leue sit, omnia uitæ præsentis, & ipsam quoq; morte & quibusuis cruciatibus commutare. Hæc quidem uita Dei, dum in corpore hoc à Domino peregrinamur, imperfecta est, ut enim nondum plene Dei bonitas cognoscitur, ita neq; plene amatur, hinc tum fit ut placeant subinde, quæ Deus non probat, & peccetur, nihilominus tamen, sicut non possumus, non amare Deum & bene de ipso sperare, quem datum est nobis cognoscere, ita nequit frustra esse hic amor, & non potest hæc in Deũ spes cõfundere, indeq; necesse est, ut tandẽ perficiat hanc quam dedit uitam Deus. Hinc ergo liquet, quod æterna iure dicitur, quæ omnino perficienda est, & finem accipere nequit. De his supra 3. 5. & 6. plura.

Opus consummaui, ministerium utique circumcisionis, suo enim tempore, & suis auditoribus regnum DEI annunciauerat.

Gloria quam habui. Verus Deus & homo erat, uerbum patris per quod omnia condita sunt, inde eam gloriam

riam, ut per ipsum gubernarentur, et saluarentur omnia, habuit semper, nunc autem eam orat sibi quoq; homini. In ipso enim placuit Deo omnẽ plenitudinem inhabitare, & primogenitum eum esse omnis creaturæ, id est, Dominum omnium, sicut primogenitus ex lege, fratrũ suorum Dominus erat. In omnibus ipsum primas tenere oportuit, quia per eum instauranda sunt, quæcunq; in cælo sunt & in terra. In hanc dignitatem semen Abrahæ Deus assumpsit, & non angelos, ideo & eos huic filio hominis subiecit, sicut omnia. De his plura 1. Corinth. 15. Ephes. 1. Coloss. 1. 1. Timoth. 6. Heb. 1. & passim in scripturis, præcipue autem Apostolicis. Quæ gloria Domino Iesu collata.

Tui erant. Deus electos condidit, & Christo mediatori dedit saluandos & perficiendos.

Sermonem tuum seruauerunt. Hic uide, quid sit, seruare sermonem Dei, utiq; illum fide recipere. Nam certe discipuli nondũ eò peruenerant, ut opere eũ impleuissent.

Quia uerba, quæ dedisti mihi. Hic uide ordinem salutis. Electis Euangelion annunciatur, tum datur eis illi habere fidem, deinde in illo & per illud, Deus cognoscitur, inde continuo fiducia in eum, et amor eius nascuntur. Ex ijs mox sequitur studium sanctitatis, & officiositas in fratres.

Ego pro eis rogo. Vtique id discipulis orauit, quod in sequentibus magis explicat, nimirum ut munus suum fœliciter obirent.

Et mea omnia. Commune sibi mediatoris, & Dei regnum

Omnia mea tua.

regnum esse significat, quanquam proprie regnum Christi dicatur, dum pugna uiget contra peccatum, hoc penitus extincto, regnum proprie Dei erit, quium futurus est, omnia in omnibus 1. Corinth. xv. Nunc per hominem Christum, super omnia exaltatum cuncta reguntur & instaurantur, sed non nisi quia hic homo, à uerbo assumptus est, & idem Christus, hoc est, Deus simul & homo est. Quare quia & homo Christus regnat, cunctaq; instaurat, Dei uirtus est. Quanquam uidetur hic peculiariter de electis Dominus loqui, hi ita communes patri & Christo sunt, quod ut hic nõ assumat saluandos, nisi quos Deus in hoc elegit, & quoscunq; Deus elegit, eos suæ fidei concreditos Christus habeat, atq; saluos reddat.

OBSERVAT. Obseruandum ut sc uera habeat precatio, id solum cuius per spiritum certa mens est, quod Deo probetur, cupit & orat, id est, auidam eius se testatur. Sic uidemus bene moratos filios, tum demum cupere & orare à patre studiorum relaxationem, & ludos, cum id illi agnouerint gratum, ne quidem optaturi si sciant, patri displicere. Certe nihil bonũ, ideo neq; optabile fuerit, quod non placuerit Deo. In reliquis obseruandum amplitudo regni Dei, & uis electionis ac fidei, de quibus & supra multa dicta sunt.

Pater sancte serua eos.

PARAPHRA. Pater sancte, quando tui sunt & ad tuam illustrãdam gloriã à me paulò post in uniuersum orbem

orbem extrudendi, in prouinciam perdifficilem, seruare eos per nomen tuum, per uirtutem tuam dignare, ut sint unum nobiscum & inter se, uno scilicet nostro spiritu uiuentes & Euangelion regni tui prædicantes, sicut nos unum sumus, ut sicut ego nihil nisi quæ tibi grata sunt, & dixi & feci, ita et illi in omnibus quoq; à nobis pendeant, & nostræ se in omnibus uoluntati attemperent. Sic certe poterunt fœliciter sua legatione fungi. Hactenus custodiui eos, tum corpore tum animo, neq; perijt ex eis quisquã, nisi perditioni deuotus ille meus proditor, quem perire necesse fuit, ut scriptura impleretur, qua prædictum est, meum domesticum contra me calcaneum suum leuaturum eoq; excindendum, & loco in quo erat mouendum. Instat ut ad te uadam, quare hæc pro illorum consolatione, dum adhuc in mundo sum, & ipsi me audiunt, dico & precor, quo gaudium, quod de me habent, aucta eis, mei cognitio neplenum fiat. In mundo siquidem ut eis prædixi afflictionem habebũt, eamq; ideo, quod sermonem meum, Euangelion regni illis dedi, ut ei fidem habeant, & illud undiq; prædicent, hac illos caussa mũdus letali odio insectabitur. Non oro ut eos è mundo tollas, ne affligantur, uolo eos in mundo esse, & à mundo persecutionem ferre, hoc oro, ut eos à malo illo, mundi principe Satana liberes, ne dum adflictiones & cruciatus immiserit, detorqueat eos à meis iussis, ab illustrando tuo nomine. Non sunt è mundo sicut & ego, alius in eis, nempe noster spiritus agit, ideo mundo intolerabiles erunt. Sanctifica tu igitur illos & obsigna ueri-

gna ueritate, tuo scilicet uerbo, ut immoti stent contra omnem tentationẽ, & fortiter ueritati testimoniũ phibeãt. Nam sicut tu me misisti, ita illos mitto in mundum, ut testentur opera illius mala esse, te uero solum bonum, ubiq; prædicent. Scis quanto illis spiritu, quanta uirtute ad tam duram prouinciam opus sit. Equidem hac caussa ut illi per ueritatem sanctificati sint, sermone tuo ita imbuti, ut cum mundo, tum sibi ipsis ualedicant, & toti tuo nomini illustrando inseruiant, me ipsum modo sanctificabo, tibi in cruce imolatum, quare obsecro pater habeas eos tibi commendatos, & à malo illo ueteri humani generis hoste sic serues, ne quid illis imponat, neue in legatione sua remoretur.

ANNOTAT. In nomine tuo. Petit ut pater Apostolos suo nomine seruet, & dicit se illos quoque ipsius nomine seruasse, eandem ergo uides patris & filij esse uirtutem. Quod enim dicit in nomine tuo perinde est, atque tua uirtute, tua potentia.

Vt scriptura impleatur. Perire utiq; debuit, qui post tanta beneficia, post doctrinam uitæ, & admirandi spiritus participationem, post incomparabilem dignitatem Apostolici muneris, in mortem uendere potuit magistrũ, & Dominum suum, quem adeo innocentem & sanctum, esse ipse expertus erat. Quemadmodum igitur, sicut supra 13. Sect. 3. ostendi, in Dominum caput sanctorum, competit, quicquid de afflictionibus sanctorũ scriptũ est, imò in ipso completur, ita consequens est, ut non quadret tantum,

Quomodo in perditione Iudæ scriptura impleta sit.

tantum, sed & impleatur in hostibus Christi, quicquid uspiam scriptum est, de hostibus sanctorum. Hinc Petrus Acto. 1. ex Psalm. 69. Sit palatium eorum desertum, & ex 109. Episcopatum, uel præfecturam eius, accipiat alter, tanquam de Iuda dictum adduxit. Peculiariter quidẽ isti duo psalmi de supplicio Domini, & hostibus eius canunt, attamen quæ canunt, primum in Dauide, ut Christi typo, & hostibus eius, qui hostium Christi typi fuerunt, præcesserunt, sed adumbrata, & in Domino demum & eius hostibus, uere completa sunt. Hinc mihi uidetur Dominus præcipue de his, quæ Psalm. 69. scripta de hostibus Domini sunt, intellexisse. Illis nempe: Da iniquitatem super iniquitatem eorum, & ne ingrediantur in iustitiam tuam, deleantur de libro uiuentium &c. Hæc tametsi ad omnes Christi obstinatiores hostes pertineant, sicut tamẽ inter hos malitia et crudelitate Iudas excelluit, ita peculiariter in eũ cõpetunt. Reliqua in para. satis explicata sunt.

OBSERVAT. Obseruandum ante omnia oranda, ut unum simus sicut Christus & pater, ut nimirum eius spiritu pariter uiuamus, & gloriã Dei propagemus. Item sola Dei nos uirtute seruari, etiã ubi Dei ministri nos tueri uidentur. Sicut tũ nomen patris seruauit discipulos, cum Dominus uisus est eos seruare. Hoc dicto nihil uidetur planius, attamen quotus quisque est, qui id fide intelligat, qui uere Dei esse omnem uirtutem, qua uiuit, & seruatur agnoscat? Posthæc monemur iterum, solum Euangelion, mundum contra nos concitare, ubi ipsum uere

fuerimus amplexi. Præterea obseruandum, non esse orandum, ut è mundo nos adfligente, liberemur, sed ut à malo mundi principe, ne nos suis afflictionibus à recto detorqueat seruemur, hoc est, precandũ esse, non ne tentemur, sed ne in tentationẽ inducamur, & liberemur à malo illo tentatore, ne uspiã ab officio nos deducat. Postremo notandũ ut sanctificemur et diuini reddamur, nimirum dum probe sermonem DOMINI, & ex eo cognitionem eius fuerimus consecuti. Quanto enim plus Dei cognouerimus, tanto ardentius amabimus eum, & ad æmulandũ quoq; rapiemur. Hæc uero agit omnia in nobis spiritus DEI, quem Dominus suis donat, uirtute patris, uti eũ sanctificando semet ipsum pro nobis in cruce meruit.

Simon Lyra.

Sect. 3. **Non pro eis autem rogo tantum.**

Primum orauit pater, pro ijs, quos Apostolos in orbem ex tua uoluntate ablegabo, qui cum lux mundi & sal terræ esse debeant, recte precatus sum, ut illos à Satana seruares, & præcipue cognitione Euangelij tui sanctificares, unumq; esse nobiscum donares, quo nimirum, diuinissimo huic muneri satisfacere possint, iam precor & pro ijs, ad quos illos Apostolos amandabo, qui electi in hoc abs te sunt, ut audito Euangelio ab illis, in me credant. Et his ergo dona tuum spiritum, ut omnes, ipsi & Apostoli, in nobis unum sint, atque sicut tu in me es & ego in te, ita simus tu & ego in illis, & ipsi in nobis, ita ut totos illos agat spiritus noster, & toti ipsi à nobis in omnibus pendeat,

pendeat, uigeatq;, hoc pacto in eis uera iustitia & pietas, ex quo tum mundus sentiat & credat me, quem illi seruatorem & DOMINVM suum confitebuntur, & prædicabunt, indubitatum CHRISTVM esse, missum à te, ut iudicium & iustitiam in terra faciam. Ad hoc certe gloriam quam mihi dedisti, omnifariam potentiam spiritus tui, in sermone & operibus illis contuli, ut ita in unum corpus unuersi coalescant, id est, uere unum euadant, sicut nos unum sumus. Hinc manifestum erit, quod ego in illis sim, uiuam, loquar atque perficiam omnia, sicut tu in me es, uiuis loqueris, & perficis omnia. Sic demum perfecti erunt in unum, ut omnes unum corpus sint, & singuli aliorum membra, uidebitque mundus in eis, sic omnifariam iustitia, & uirtute florentibus, me, quem illi sectabuntur, atque de quo magistro & redemptore gloriabuntur, uere Christum esse, à te in hoc missum, ut tibi similes homines reddam, sic apparebit quod sicut me uere dilexisti, & id tam potenti & mirifico, quem donasti, spiritu declarasti, quod sic etiam uere diligas istos, quos eodem spiritu præditos esse donabis. Denique pater uolo ac peto, ut cum perfuncti fuerint quisque suis muneribus, cum pensum suum quisq; iuxta tuam ordinationẽ persoluerit, ad instaurationẽ Ecclesiæ nostræ opera sua fideliter impensa, sint in ea fœlicitatis cõditione, in qua ipse ero, et ita planè demũ uideãt gloriã meã. Dilexisti siquidẽ me etiã hominẽ. anteq̃ mũdus hic cõditus esset, igitur dilexisti et meos, quos ante iacta mũdi fundamenta, ut

huius gloriæ participes fierẽt, delegisti, dabis igitur quod peto, nempe ut hanc gloriã, cũ nomẽ tuũ satis in terra illustrauerint, beati adeant. Ipsis hæc debetur, mundus enim te non agnoscit, ideo nihil huius ad eũ attinet, isti autem te cognoscunt, uti & ego te cognosco, quia agnouerunt iam quod me miseris, quod Christus sum, unde & te hactenus cognoscunt in me, cuius sum quantus sum & qui in me omnia agis, cum igitur iustus sis pater, istis te cognoscentibus, iuxta tuam promissionem, dabis ut mecum beata immortalitatis gloria fruantur. Notum feci eis nomen tuum, id amplius faciam, quo præsentius dilectionẽ tuã erga sc sentiãt, quã in me declarasti, et sic dedant se penitus mihi, ut in eis uiuã et agam omnia, quare conueniet, ut & olim mecum, beati agant, qui modo in me permanserint, & in quibus ego permansero, cuncta meo in illis spiritu instituens & efficiens.

ANNOTAT. Vt omnes unum sint. Hæc unitas graphice à Paulo depicta est, 1. Corinth. 12. & Ephes. 4. in eo utiq; sita, ut idem spiritus omnes huc agat, ut quisq; pro sua portione & uirili, Dei gloriam in electis promoueat, donec omnes perueniant in unitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in uirum perfectum &c.

Vt credat mundus. Vbi namq; discipuli Domini ita uiuunt, ut redemptos à tyrannide peccati, & uere iustificatos eos esse, omnes uideant, conspicitur utiq; in eis regnũ Christi, et ipse Dominus indubitatus Christus agnoscitur.

Et ego gloriam. Hæc ampla illa potentia sunt spiritus, quæ

qua etiam maiora, quàm Dominus ipse, primi credentes patrarunt.

Vt sint consumati in unum. Id tum fit, cum perueniunt omnes in uirum perfectum, et mensuram ætatis plene adultæ Christi Ephes. 4.

Et dilexisti eos. Id declaratum est, cum eos tam potenti spiritu donauit.

Pater iuste. Notauit hic discrimen electorum & reproborum, unde uenit ut alij Deum discant, alij discere nequeant, unde illi apud Christum olim diuinitatis gloria perfruentur, isti minime.

Et notum faciam. Nam in cognitione Dei hic continuo crescendum est. Vt dilectio. Dum etenim absolute pij sumus, uere demum aparebit, quod Deo chari sumus.

OBSERVAT. Obseruandum Christi intercessione omnia sanctis impetrari, quanquã plura oporteat his orare, quibus maiora negotia regni Dei committuntur. Tum sicut hoc præcipue suis Christus orauit, ut unũ sint, ita dandam operã ante omnia, ut in unum corpus electi coalescant. Vt uitemus qui peccant, non ita nobis Dominus uel orauit uel cõmendauit. Impostura igitur est ueteris hostis, quod quidã nulla in re pietatẽ suam commendare melius sibi uidẽtur, quã si secedant ab ijs quos peccatores habent, nec tamen unquã ad resipiscentiã hortati sunt. Excusant postea se, quia non cũ ipsis baptismũ denuo suscœperunt, nõ esse eos fratres, ideo non esse ipsorũ partes, ut eos moneant. O dolum, ò insidias Satanæ. Vltimũ & anceps Excõmunicationem præposteré quidam urgent.

quoq; remedium est, quod laborantibus fratribus adhibeā mus, secluſio, et nos illa primum utimur, ſimiles medicis, qui medicinas dubias ac periculo plenas, initio morbi adhi bent, & gubernatori qui ſimul atq; aſperior uentus fla re cœperit, continuo eijcere in mare merces, & comea tum cogitat. Quin ſi tenet uos ardor Chriſti, ſiue fra tres, ſiue amici, ſi Eccleſiæ illius ſanctitati & puritati ſtudetis, monetis in primis fratres, quos Chriſtum audi tis confiteri, & uitam tamē uidetis eos, Chriſto indignam uiuere, & monetis non primum ſuſcipiendi baptiſmi, re nuendi iuriſiurandi, et iſtiuſmodi dogmatum, in quibus non eſt ſita pietas, ſed reſipiſcentiæ potius, idq; exemplo Iohannis, Chriſti & Apoſtolorum? Nunc cum miniſtros Eccleſiarum, in primis traducitis, & quos poteſtis aliena re ab illis laboratis, dum totos dies quæritimini nullos uſpiā eſſe Chriſtianos, quales tamē nec uos præſtatis, dum adeo parum dilectioni ſtudetis, Eccleſiam miſere ſecatis, non purgatis, in fidutiam ſui ſtultos homines erigitis, neq; quā ſanctiores redditis. Alia ratione Chriſtus, alia Paulus pu ritatem Eccleſiæ quærere docuerunt, ut nimirum qui ſpi ritualiores ſunt, in omnia ſeſe uertant, omnibus omnia fi ant, dies noctesq;, quicūq; admoneri ſe modo tulerint, mo neant, hortentur & obteſtentur, idq; in ſpiritu lenitatis & dilectionis flagrantiß. ut digne ſua uocatione uiuant, cumq; fruſtra fecerint omnia, tum demum conſortio cotti diano excludant, ſed ut ne ſicut inimicos eos habeant, ue rum nihilominus dum eſſe occaſio poſit, ut fratres admo neant.

neant. Vbi huiuſmodi quæ ſo ſpiritum Catabaptiſtæ, & qui boni etiam illis fauent, præ ſe ferunt, ubi ita ſtudio mo nendi, ut ſeccedendi et excludendi ardent? Certe quoſcunq; neglexeris, neq; monitione tua dignos duxeris, eos neceſ ſe eſt, tanquam deploratos habeas. Quàm autem iniquū & impium, illos omnes facere filios Diaboli, quos hodie noſtri Catabaptiſtæ uitandos pronunciant? In reliquis ob ſeruandum, à cognitione D E I, omnia pendere, eamq; unum Chriſtum ſuppeditare.

CAPVT XVIII. & XIX.

Hæc cum dixiſſet Ieſus, egreſſus eſt.

Peræprecium duxi, totam ſupplicij ſimul & reſurrectionis, atq; aparitionum Do mini hyſtoriam, ex omnibus quatuor Eu angeliſtis collectam, continua paraphraſi contexere, dabo operam ne quid prætercam, tum ut ſuo ordine, quo ad fieri poteſt ſingula memorem, fratres de omnibus iudiciū liberū faciant, nam alium ut quibuſdam ordinem, quàm nonnulli, idem ante me conati, dabo, ut autem lector uideat, quæ cuiuſq; Euangeliſtæ ſint, ijs quæ à Matthæo deſumpta ſunt, Matth. ſubijcietur, ijs quæ ex Marc. Marc. ijs quæ ex Luca, Luc. ijs denique quæ ex Iohanne, Iohan.

HISTORIA SVPPLICII DOmini Iesu.

Secti. prima, ea quæ in itinere ad montẽ oliuarum, cũ discipulis Dominus locutus est, cõmemorãs.

CVm finẽ itaq; precãdi fecisset Dominus, egressus est cum discipulis transtorrentem Cedron Iohan. in montem oliuarum, quo cum aliâs, tum illis præcipue diebus, noctu egredi ad precandum fuerat solitus Mat. Mar. Lu. Inter eundum uero, cum discipuli toties iam audissent Dominum ab eis migraturum, cœperunt disputare, quisnam inter eos deberet maior esse, & uelut Domino in magisterio succedere, neq; enim adhuc intelligebant, ad quid muneris essent destinati. Cum itaque ambitionis aliquid in hac illorum disputatione se proderet, ad summissionem eos, ut & antea aliquoties DOMINVS hortatus est. Reges gentium inquit dominantur eis, & qui potestatem super eas habent, honoris caussa benefici uocantur, ut uere dij sunt, & omnium beneficentissimi, qui potestate recte utuntur, sed uos ad nihil tale electi estis, quare nullus in alios dominium aut potestatem quærat, sed qui maior spiritu & uirtute fuerit, is exhibeat se ministerio erga alios tanquã minorem. Debet namque pluribus commodare, qui plura à Deo accœperit. Libeat ergo uos discipulos me magistrum uestrum imitari, qui cum sim non uestrum tantum, sed et omnium maximus, omniũ me minimũ feci, qui omnib. electis usq; adeo me seruũ addixi, ut

Maior sit minor.

ut sim pro ipsis animam meam positurus. Longum igitur ualere dicite, cupiditati regni & præcellentiæ in terris, alio uocati estis. Perduraſtis hactenus mecũ, in tam uarijs ac difficilibus tentationibus, quibus à Iudæis exercitus sum, ideo manet uos ut & antea dixi, ea apud patrem felicitatis gloria, quæ me manet. Quo loco principibus sunt, quos mensa sua dignantur, & in concilijs ac iuditijs proximos sedere faciunt, eo loco eritis mihi in regno cælesti. Vt enĩ mihi pater disposuit, ita uobis dispono, ut edatis & bibatis super mensam meam, & sedeatis super thronos principes & iuduces duodecim tribuum Iisraël. Cælestibus sane & æternis bonis & hic præ omnibus sanctis qui unquam fuerunt perfruemini, & ea potestate præterea in Ecclesia sanctorum pollebitis, ut à condito mundo nulli sancti polluerint maiore Luc. Vos illi filij estis, qui pro patribus populo Dei eritis, quos habebit ille principes in uniuersa terra, psal. 45. Quanquam autem in tantam uos euexerim dignitatem, de qua multa iam uobis dixi, omnes tamen hac nocte grauiter in me offendemini, cuius & ante monui, etenim tanquam nihil unquam in me Dei experti essetis, à me fugictis. Sed ita uisum patri est, sic experiemini, quam nihil uirium ad bonum habeatis, nisi à me. Ad hæc & me decet, ita ab omni hominũ genere, etiam amicis & domesticis adflictionem sentire, qui pro salute mundi me patri sacrificium constitui. Id est, quod Zacariah prædixit, percutiendum pastorem, & tum oues dispergendas. Sed ob hunc casum uestrum, animos ne

Apostolorum dignitas.

Scandalũ Apostolorum.

mos ne desponderitis, erigam iterum uos, & cum resurrexero, in Galilæa uos rursum congregabo, & uobis ut pastorem decet ouibus suis, præibo, ducemq; me iterũ exhibebo. Matth. Mar. Sed uere interim exercebit uos Satanas, & grauissime tentabit. Profecto Simon, Simon, Satanas expetiuit uos, ut cribraret sicuti cribrari solet triticũ, ego autem rogaui pro omnibus quidem uobis, quod ipsi audiuistis, sed peculiariter pro te Simon, qui & præ alijs cades, ne deficiat fides tua, quam pro omnibus collegis tuis aliquoties confessus es. Conuersus igitur, cum in uiam redieris, confortare & fratres tuos studc, memor casus tui. Ad hæc Petrus. Paratus sum inquiebat Domine tecum in carcerem & mortem ire Luc. Vnde si omnes alij tuo offensi periculo à te defecerint, ego non deficiam. Sentiebat enim quam amaret Dominum, non autem agnoscebat id donum patris esse, non carnis & sanguinis, quod Dominus ei post magnificam illam confessionem testatus fuerat. Dominus itaq; peculiariter Petro dicebat, nempe qui fugæ adiecturus erat & trinam negationem. Petre inquit amen dico tibi, hac ipsa nocte, in qua iam sumus, tu ante ter me negaturus es, quam bis cecinerit Gallus. Petrus autem nimium sibi confisus iterũ maiore cũ asseueratione dicebat: Si etiam simul moriendum sit, te non negabo, idem dicebant & alij: Matth. Mar. Nam adhuc extra periculum erant. Dominus igitur licet ante eis illud satis prædixisset, iterum tamen de eo uerba faciebat. Quando misi uos inquit sine sacculo, sine pera, & calceamentis, nunquid

Petri confidentia.

nunquid defuit uobis? Illi respondebant, nihil, dicebat ergo: Nunc aliter res habebit, ne ipse quidẽ, qui uobis tum omnia suppeditaui, & tutos reddidi, modo tutus ero. Sic sæuire in me impios uidebitis, ut tam necessarius uideri possit gladius, ut si quis sacculum habeat & peram, tollenda sibi existimet, neq; ea quidem uictus caussa, sed magis ut sibi gladium comparent. Tanta siquidẽ modo nobis uis imminet, ut nõ solũ sacculus cũ pecunia, pera cũ comeatu, sed & uestimẽtum, neq; extimum quidem, quo quis posset carere, sed tunica plane, interius scilicet & magis necessarium uestimentũ, gladio cõmutandum uideri queat. Dico nanq; uobis implenda tandem esse, quæ de me scripta sunt, eoq; cum iniquis iã deputabor, & ut hostis Dei, ad necem rapiar. Aduenit enim tandem finis eius, quod in hac humilitate gerendũ negotiũ pater dedit. Illi autem ad huc de uirib. suis nihil diffidentes, & gladijs amoliri posse periculum arbitrantes, ex magna sane ruditate dicebant: Domine ecce duo gladij, putas satis fore ad instantem pugnam? Quibus Dominus, satis est, frustra scilicet fore ratus eis pluribus exponere instãtem tempestatem, præsertim fuga non gladijs pugnaturis, ad hæc hora erat ut se ultro in mortem daret, quanquam Petrus altero gladio ad gloriam Dei fuerit usus, sed inscius. Luc.

Syncedoche, qua p necessitatẽ gladij, atrocitatẽ intelligit tentatiõis. Luc. 22.

Dum uero hæc cum discipulis commentaretur, uenerunt in uillam quæ dicitur Gethsemane. Matth. Mar. ibi erat hortus in quem Dominus cum discipulis introiuit. Iohan. Iussis q; discipulis reliquis in certo loco sedere, donec procederet

Sect. 2. cõtinens precationem in horto.

procederet paulum & oraret, assumpsit Petrũ sibi atq; duos filios Zebedæi, quos & ad alia secretiora admiserat, & gloriam suam in monte uidere promiserat. Coram his cœpit admodum perturbari, angi & mœstus esse, dicebatq;, mœsta est anima mea usq; in mortem. Ita uolebat se uerum hominem esse prodere, & tentationibus per omnia fratribus assimulari. Grauem noxam, nimirum toti us mundi uoluu eluere, grauiter igitur cruciari ipsum, non corpore tantum, quid enim est corporis cruciatus, si mens non sentiat? sed animo et totis uiribus oportuit. Cum itaq; summe adflicto animo esset, ita ut morti proximus esset, in mortem enim usq; tristabatur, more suo & sanctorum omnium, ad patrem confugit. Quem quo attentius & liberiore spiritu inuocaret, etiam ab his tribus selectioribus discipulis, pusillum progressus, quantum forte iactus est lapidis, procidit in terram, orauitq;: Pater mi inquit, si fieri potest transfer hunc calicem à me, attamen non mea, sed tua uoluntas fiat. Quærulabatur enim magis apud patrem, quam supplicium deprecabatur. Volens siquidem in hanc horam uenerat. Sed animo indicibiliter anxio atq; trepidanti, ob instans supplicium, hinc releuatio aliqua erat, quod patri suum æstum, naturæq; sensum, ita testaretur, admonitusq; inde præsentius sic uoluntatem patris esse, etiam confortaretur. Cum itaq; oraßet id quod dictũ est, hoc est, æstus animi, horrore usq; in mortem perculsi, in sinum patris, multis indubie lachrymis, & singultibus ac flagrantiß. cogitationibus effudißet, probeq; firmata consi-

Mœstus fuit usq; in mortẽ.

Quærulatio magis fuit quam precatio, quod Dominus orauit.

deratione, sic esse uoluntatem patris, & salutem mundi requirere, resumpto non nihil spiritu ad discipulos redijt, ut ij sane, qui adeo perturbatis sunt animis, haud diu uno in loco consistere possunt, offendit autem illos dormientes. Vt ergo Petrus alijs confidentius ei respõderat, ita hunc nominatim increpuit. Simon ne una inquit hora potuisti mecum uigilare? Vbi quæso animus ille, meccũ in mortẽ iturus? Vigilate & orate, ne intretis in tentationẽ, quæ grauissima uobis imminet. Spiritus satis promptus, at caro infirmior est, quam ut satis perduraturi. Orandũ igitur uobis erat, nõ dormiendum, si saperetis. Sed erant suo casu docendi, quam non infirma solum, sed prorsus ad omne bonum impotens caro sit, & omne robur à Deo, in dctum quidem surda aure Domini increpationem & monitionem transmiserunt. Redijt ergo ad orationem, quando & in selectiß. uiderat, quod sibi dolorem augebat, nihil quod consolaretur. Oportuit enim cum adfligi undiq;. Iterum uero orauit quod antea, hoc est, animi perturbationem, cum uoluntate patris, eius consolationem precatus, contulit. Indeq; iterum inuisit discipulos, quos iterum quoq; reperit dormientes, grauati enim erant oculi eorum, neq; poterant Domino increpiti quicquam respondere. Sic rursum afflictionem accepit, à quibus debuerat accipere consolationem. Tertio itaq; ad precem se se contulit, & orauit prolixius, totus enim angore conficiebatur, unde sudor eius, guttis sanguineis in terram decurrebat. Cum itaq; angor & perturbatio animi maior esset,

Angelus consolatus est.

esset, quam ferre amplius posset, apparuit illis angelus, et consolatus est eum, indubie cum efficatia menti eius, ingentem salutem, quam supplicio suo esset perfecturus, simul & gloriam patris, quæ inde plurimum illustranda erat, proponens. Hac itaq; consolatione percepta, surrexit & ad discipulos redijt, cumq; adhuc dormirent, dixit eis per ironiam. Dormite iam & quiescite, scilicet ea est rerum tranquillitas nobis & pax, ut uobis dormire liceat. Quam stupetis ad omnia, quæ uobis de instante tempestate prædixi, surgite tandem, satis superq; somno indulsistis. En appropinquauit hora de qua dixi, iam filius hominis in manus peccatorum tradetur. Surgite eamus illis obuiam, appropinquauit qui me tradit. Mat. Mar. Luc.

Sect. 3. ea quæ dum caperetur acciderũt complectens.

Nouerat siquidem Iudas hanc precandi stationem, quod crebro in eum locum, Dominus cum discipulis suis secessisset. Accepta igitur cohorte prætoria, tum assumptis & ministris pontificum, scribarum phariſæorũ & seniorum, uenit illò cum laternis, facibus et armis. Iohan. aderatq;, Domino adhuc cum discipulis loquente. Dederat aũt signũ ijs quos secum adducebat, quem osculatus fuisset, eum esse Dominum, monuitq; ut comprehensum caute ducerent. Veritus scilicet ne si ut antea aliquoties factum uiderat, diuina uirtute elaberetur, ipse non satisfecisse uideretur sponsioni suæ, & periclitaretur de precio proditionis. Vide quo cæca ruat impietas, quanque audeat, quæ nouit haud quaquam suarum uirium esse. Cum ergo aduenisset, antecedebat enim turbam, ilico accessit, Dominoq;

Dominoq; dixit: Aue rabbi rabbi, & osculatus est eum. Ad quem Dominus: Amice ad quid ades? Iuda, osculo filium hominis prodis? Matth. Mar. Luc. IESVS ita que sciens omnia quæ super se uentura erant, iamq; horam esse, ut illa perferret, processit obuiam ijs, qui ad capiendum se uenerant, dicitq; eis: Quem quæritis? Quibus respondentibus se IESVM quærere Nazarenum, dixit: Ego sum. Quod cum audissent, astante illis Iuda proditore, abierunt retrorsum & ceciderunt in terram. Quo utiq; Iudæ, cohorti, Iudæorumq; ministris & discipulis, abunde satis Domini diuinitas, declarata fuit, si animi fuisset, qui ei potuissent animum aduertere, quod sentiebant & uidebant. Hoc igitur emisso diuinitatis suæ fulgore, quo luculentissime declarauit, se ultro suam animam ponere, neq; quenquam posse eam sibi eripere, rursum interrogauit capturos se, quem quærerent, quibus iterum dicentibus, se IESVM quærere Nazarenum, rursum respõdit eis: Dixi uobis quod ego sum, si ergo me quæritis, sinite hos meos discipulos abire. Idq; quod dixit, ab hostibus suis impetrauit, sed sua uirtute, magis quam illorum uoluntate. Sicq; uerum fecit sermonem suum, quem antea ad patrem dixerat. Ex ijs quos dedisti mihi non perdidi quenquam. Nam & corpore suos seruare uoluit. Iohan. Videntes autem ij qui cum DOMINO erant quod futurum erat, dicebant ei, Domine percutiemus ne gladio? Quod enim antea DOMINVS

per id

per id quod dicebat, tam necessarium fore gladium, ut omnis pecunia, comeatus, & adeo tunica quoq; gladio commutanda esset, magnam hostium uim, & uolentam adfore manū significare uoluerat, illi, ut adhuc carnales erāt, inde collegerant, uti se gladio debere, quare & tum dixerant, Domine ecce duo gladij hic. Dominus autem nihil tale uoluerat, id tamen antequā responderet hic eis, Simon Petrus, qui studio Domini plurimum ardebat, habens alterum gladium, eduxit eum, atq; seruo pontificis, nomine Malcho, amputauit dexteram auriculam. Continuo igitur Dominus: Sinite inquit huc usq;, remitte in uaginam gladium Petre. Nescis quod prouerbium, ex lege mutuatum iactari soleat. Gladio debere perire, quicunq; gladio fuerint usi, utiq; absq; mandato Dei. Si non ultro me supplicio offerrem, dubitas in manu mihi esse, ut à patre impetrem mihi duodecim legiones angelorum? Non uis tu ut bibam poculum, quod miscuit pater, feram quæ ille ferenda mihi decreuit? Quomodo ergo implerentur scripturæ, quæ prædixerunt, me ista passurum? Matth. Mar. Luc. Iohan. Mox attacta auricula mutilati, restituit eam illi, eo cum diuinitatem suam rursum potenter & clare exerens, tum præbens benefaciendi hostibus egregium exemplum Luc. Conuersus autem ad turbam hostiū, inter quos & principes sacerdotum, magistratus templi, & seniores erant, dicebat: Tanquam ad latronem existis cū gladijs & fustibus, ad comprehendum me, non opus erat tam ualida manu, cottidie in templo palam uidentibus & audientibus uobis sedi & docui, cur non tum manus mihi iniecistis? Certe sæpe uoluistis, quis igitur uos continuit? Agnoscite igitur me meā sponte, ut scripturæ impleantur, in manus uestras uenire, alioqui posse hic tam tutus à uobis esse, quàm fui in tēplo. Sed hæc est hora illa uestra, & potestas tenebrarum, nunc uisum patri est, ut me principi tenebrarum, qui uos agit, & uobis illius satellitibus, me tradat, huius mandatum ultro & lubens subeo, ut orbis uideat, quàm uere ipsum diligam, & scripturæ impleantur. Tunc discipuli omnes, relicto eo fugerunt. Matth. Mar. Luc. Cohors igitur & tribunus ac ministri Iudæorum, comprehenderunt IESVM, & ligauerunt eum, & abduxerunt ad Annam primum. Erat enim socer Caiaphæ, qui erat pontifex anni illius. Erat autem Caiaphas is qui concilium dederat Iudæis, expedit unum hominem mori pro populo. Iohan. Quispiam autem adolescens sequebatur Dominum, sindone amictus super nudum, eum adolescentuli, qui aderant comprehenderant, sed ille relicta sindone, nudus ab illis aufugit. Adeo enī solus tū uoluit pati pro suis Dominus, ut non solū nō passus sit ex discipulis quenquam simul capi, sed etiam effecerit, ne hic adolescens quisquis fuit, cum ipsum sequeretur, in hostium manibus hæreret. Mar.

Cum ergo Caiaphas pontificatu fungeretur ad eū, Annas ita uinctum Dominum misit. Iohan. Interea resumptis animis Petrus, & alius quidam discipulus, eminus DOMINVM sequebantur. Alter autem Sect. 4. Continens quæ apud pontificē

runt, & Petri negationes.

ille discipulus notus pontifici erat, eo confisus introiuit cum IESV in atrium pontificis, Petro foris ad hostium manente. Egressus igitur rursum ille alter, egit cum ostiaria ut liceret & Petrum introducere. Illa autem ubi uidit sedentem ad lumen Petrum, accenderant enim serui & ministri inferius in medio aulæ, siue atrij, ignem, & consedentes una, atq; circunstantes calefaciebant se, erat siquidem frigus, & Petrus erat cum illis calefaciens se, eo quod cuperet uidere finem, fixis itaq; in eum oculis ostiaria, dicebat ei: Num & tu ex discipulis es hominis istius? & tu cum IESV Galilæo eras. Continuo respondit ille: Non sum, non noui eum, nescio quid dicas. Matth. Mar. Luc. Iohan. Exeuuit foras in uestibulum, & gallus cecinit. Mar. Sed id nihil adhuc cum mouit. Quin cum rursum uidisset eum altera ancilla, atq; dixisset præsentibus, & hic cum IESV Nazareno erat, iterum negauit, idq; cum iure iurando. Matth. Mar. Adeo euanuerat ille animus paratus simul cum Domino mori. Sicq; labi conueniebat, qui suis uiribus plusquam CHRISTI uerbis fisus erat, quiq; omnibus fuerat confidentior. Interea pontifex IESVM interrogabat, de discipulis suis & doctrina, cur scilicet ausus fuisset, sibi discipulos congregare, quam doctrinam illis tradidisset nouam, quid esset his molitus. Cui Dominus respondit: Ego palam locutus sum mundo, quæ docui in synagogis, ac templo ubi omnes Iudæi conueniunt, docui, unde te non potest latere, quam tradiderim meis doctrinam, nequaquam certe,

certe, ut tu cupis uideri seditiosam & legi Dei derogantem. Cito testes non unum & alterum, sed quotquot me audierunt, illos roga qui audierunt, quæ ipsis sim locutus. En hi sciunt, quæ dixerim & docuerim, mihi enim de me ipso testificanti, scio nullam habebis fidem. Hæc cum DOMINVS dixisset, utiq; summa cum modestia, attamen assistens unus ministrorum, & uolens gratificari suo domino, dedit alapam IESV, dicens: Sicne respondes pontifici? Cui Dominus respondit. Si male locutus sum, testificare de malo, sin bene, cur me cedis? Iohan. Sed quia hora erat ut Dominus suo supplicio, & indicibilibus cruciatibus, electos sanctificaret, nihil ei ueritas, nihil summa innocentia & modestia profuit, ita concitarat Satan omnes, ut uelut rabidi canes uniuersi cõtra eum irruerent, & quanto quisque atrociore iniuria & contumelia afficere eum posset, tanto se pluris habendum duceret. Hinc qui tenebant eum uiri, omnes ei illudebant, expuebant in faciem eius, & cædebant eum colaphis, alij autem palmas in faciem eius dabant, cũq; circumtexissent eum, percutiebant faciem eius, & interrogabant, dicentes uaticinare, quando prophetam te facis, quis est qui te percussit. Et alia multa conuiciantes dicebant in eum. Tum certe in medio erat canum, thaurorum, leonum & unicornium, de quo canit psal. uigesimus secundus, tum audiuit uituperationem multorum, ut canit psal. 32. multiplicatos super capillos capitis hostes suos sensit, ut canit

psal. 69. Petrus autem cum post primam negationem in uestibulum egressus fuerat, & in uestibulo rursum negasset, non animaduerso galli cantu, ad ignem post pusillum reuersus, rursum stabat & calefaciebat se cum ijs, qui illic aderant. Illi ergo dicebant ei: Nũ & tu ex discipulis eius es? & unus ex illis, dicebat ei: Et tu de illis es. Petrus autem negabat & dicebat, homo non sum. Luc. Iohan. Et interuallo interiecto fere horæ unius, accesserunt qui astabant & dicebant ei: Profecto tu ex illis es, loquela tua te prodit, Galilæus siquidem es. Et unus ex seruis pontificis, cognatus eius, cuius absciderat Petrus auriculam, dicebat ei: Nonne ego te uidi in horto cum illo? Tunc cœpit se deuouere & deierare, quod non nosset hominem, & continuo adhuc illo loquente, gallus secundo cantauit. Matth. Mar. Luc. Iohan. Et conuersus Dominus, qui scilicet à ministris illic detinebatur, & continuis contumelijs, ac uerberibus uexabatur, intuitus est Petrum. Luc. Hinc recordatus uerbi quod DOMINVS dixerat ipsi, antequam bis gallus cecinerit, ter me negabis, indeq; ut par erat, ingenti pudore perfusus ac indicibili pœnitudine correptus, quod Dominum suum & seruatorem, cum quo in mortem usque ire, tam grauiter erat pollicitus, sanctéq; iurauerat, toties iam negasset, & quidem audientem & uidentem, egressus est foras, & fleuit amare. Matth. Mar. Luc. Tũ sensit quã temere, & impia confidentia, sibi arrogasset, quod DOMINVS ipse ne-

ipse negabat. Ex hoc utique casu, in omnem usque uitam, & de se sensit modestius, & fratrum lapsus tulit humanius.

Cum uero illuxisset, conuenerunt seniores plebis, principes sacerdotum & scribæ, in domo pontificis, & duxerunt Dominum in concilium suum. Principes autem sacerdotum, seniores & totum concilium, quærebant falsum testimonium contra IESVM, ut morti eum traderent, nec inueniebant, quæ uel ipsi esse momenti alicuius iudicare potuissent, tam nullam etiam mali speciem in omni doctrina, & uita sua Dominus admiserat. Nouissime demum post multam inquisitionem, duo falsi testes prodierunt, qui dicebant se à Domino audisse, quod dixisset. Possum destruere templũ Dei, & in triduo rædificare illud. Cum autem ut aliorum, ita & horum testimonia, non satis idonea uiderentur. Surgebat in mediũ princeps sacerdotum, & cupiens Dominum in suis ipsius uerbis illa queare, dicebat ei: Nihil respondes ad ista, quæ contra te hi testificantur, putas frustra esse, quæ dicunt contra te testimonia? IESVS autem tacebat. Quid enim diceret ad testimonia, quæ nec tantis suis hostibus, idonea uidebantur? Rursum igitur dicebat pontifex: Adiuro te per Deum uiuentem, ut dicas nobis, an tu sis Christus ille filius DEI benedicti. Tum ne uideretur Dominus, aut parum reuereri patrem, per quem adiuratus erat, aut certe illos metuere, & non audere coram ipsis

Sect. 5. Complectens quæ in Iudæorum concilio gesta sunt, & exitium Iudæ.

quoq; profiteri iam uinctus, quod ante liber sæpe professus fuerat, respondit eis Matth. Mar. Luc. Si uobis dixero quod uerum est, non credetis, & si quid uos interrogauero, non respondebitis mihi, neq; dimittetis me. Luc. Eoq; satis caussæ esset, ut sicut cœpi, perpetuo eorum uobis tacerem. Sed ut uideatis me & patrem honorare, per cuius me nomen adiurastis, & nequaquam timere uos, ut quod uerum est, uobis fateri non ausim, respondeo & fateor uobis, quod tu pontifex id dixisti quod res est. Nunc nihil minus credere sustinetis, uidebitis autem me, quem modo ut filium hominis contemnitis, & neci dare meditamini, sedentẽ à dextris Dei, proxima à Deo potestate omnibus imperantem, tandemq; in nubibus cæli uenturum, ad iudicandum uiuos & mortuos. Hanc mox gloriam apud patrem accipiam, simulatque uos me neci deritis. Amodo certe, post hunc unum diem, aliter me non uidebitis, quã ad dexteram DEI, omnium potestate pollentem, quod & antea uobis prædixi. Tum omnes dicebant. Tu ergo es ille filius Dei? Respondit DOMINVS. Vos dicitis me esse, & sum. Tunc pontifex discidit uestimenta sua di. prolocutus est blasphemiã. Quid insuper egemus testibus? Ecce nunc ipsi audistis blasphemiam. Quid uobis uidetur, quid iudicatis? At illi omnes respondentes, dixerunt: Reus est mortis. Matth. Mar. Luc. Hæc itaq; in concilio suo, quod mane inierant omnes principes sacerdotum, & seniores aduersum IESVM, ut eum

Amodo uidebitis.

ut eum morti traderet, acta sunt, & sic se illi ad accusandum eum apud præsidem, instruxerunt. Matth. Mar. Porrò cum operæ precium uideatur, & quem exitum Iudas ille proditor accœpit narrare, libet eam historiam hic interponere. Cum audisset hic, quod damnatus Dominus esset, tum primum pœnitentia eum inuasit, compulitq; triginta illos argenteos, pro quibus eum uendiderat, referre ad principes sacerdotum & seniores, ac dicere, peccaui tradens sanguinem innoxium. Qui responderunt ei, quid ad nos? tu uideris. Adeo nihil existimabant referre, quod ipsi innoxium sanguinem emisissent, & in mortem tradidissent. Hæc hypocritarum sanctitas & iustitia est. Iudas autem proiectis argenteis abijt, & laqueo se suspendit, creputiq; medius, & diffusa sunt omnia uiscera eius, innotuitq; istuc omnibus habitãtibus Hierosolymis. Principes autem sacerdotum accœptis argenteis dicebant, nõ licet eos mittere in Corbonam Chald. קורבנא Kurbana, id est, in donum uel oblationem, quia precium sanguinis est. Mira uero religio, non uereri innoxium sanguinẽ fundere, non autem audere precium sanguinis, donis & oblationibus Dei apponere. Sic culicem excolant hypocritæ, & deglutiunt camelũ. Illi ergo præpostere religiosi mito consilio emerunt argenteis illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorũ, unde uulgo ager ille uocatus est, uernacula illis lingua חקל דמא, id est, Chakal dema, quod agrum sanguinis significat. Tunc impletum est, quod uates Domini Zacariah, qui & Iirmeiah uocatus

Iudæ exitus.

fuit, prædixit nempe quod triginta argenteos, precium æstimati quem æstimatum emerunt, à filijs Iisraël, hoc est, à selecto ex multis Iisraëlitis Iudah daturi essent, pro agro figuli, sicut id Dominus ordinauerat. Insigne certe fuit, ut à discipulo tam charo Dominus uēderetur, & non carebat mysterio, quod eodem precio, quo Dominus uenditus erat emeretur ager pro sepultura peregrinorum, quia uere quies, morte CHRISTI comparata est ijs, qui hic peregrinantur à Domino, ius ciuitatis supernæ Ierusalem consecuti, ideo dignum hoc fuit, ut nominatim à propheta prædiceretur. Nunc prosequenda est historia supplicij Dominici.

Sect. 6. Quæ Domino in prima inquisitione apud Pilatum, & mox apud Herodem quoq; acciderūt, memorans.

Postquam igitur Iudæi ad accusationem Domini satis instructos se putarunt, surrexit è concilio uniuersa corū multitudo, & præsentarunt ipsum Pilato. Luc. Nolebant autem ingredi prætorium, ne se profanarēt, postridie Pasch suum sancti celebraturi, ita religiosa est impietas. Egresso ergo ad ipsos Pilato, & roganti cuius Dominum accusarent, responderunt: Si non esset hic nocens, nequaquam tibi eum tradidissemus. Qua responsione superbatis, Pilatus nonnihil, ut uidetur offensus, iussit illos secundum suam legem eum iudicare. Qui negarunt sibi licere, occidere quenquam, quod ita diuinitus ordinatum esset, ut à gentibus Dominus crucifigeretur, id quod ipse suis etiam prædixerat. Iohan. Cœperunt ergo Dominum accusare trium, quod gentem euertisset, doctrina scilicet quā uideri

uideri execrabilem uolebant: quod uetasset dare tributa Cæsari: & demum quod Christum se regem fecisset, quo sperabant illum reum maiestatis se peracturos. Luc. Stantem ergo coram se præses rogauit, num esset rex Iudæorum, hoc enim sua referre putabat, de doctrina nimirum, quatenus Cæsareæ potestati nihil derogabat, non erat solicitus. Matt. Marc. Luc. Iohan. Dominus ergo interrogabat, unde id de eo quæreret, an à se ipso, uel si audisset ab alijs. Volebat enim Dominus, ut iure debuerat, alienus adeo uideri, ab affectatione regni terreni, quod absurdū esset, huius aliquid de se uel suspicari. Vnde & Pilatus uelut significans, nihil tale se quidem suspicari, dicebat: Num ego Iudæus sum? Equidem Romanus, rerum uestrarum ignarus sum, nesciens qua ratione Christus uester uenturus sit. Mihi quidem nihil uideris præ te ferre regium. Gens autem tua & pontifices tradiderunt te mihi, & hi te huius accusant, quid ergo feciſti? Respondit ergo Iesus: Regnum meum non est de hoc mundo, alioqui haberem meos ministros, qui defendere me conarentur. Atque ita Christum cælorum regem se esse confitebatur, & simul tamen significabat Pilato, à se nihil esse periculi metuendum ei regno, cui ipse ministrabat, cuius scilicet Iudæi ipsum accusauerant. Iohan. Hinc itaque colligens Pilatus ipsum nihilominus regem esse, dicebat: Ergo rex es tu? Cui Dominus respondit, tu dixisti. Matth. Marc. Luc. Iohan. Addit autem causſam, cur hoc fateretur, quod esset in hoc natus, & huius causſa uenisset in mundum, ut testi

Interrogatus de regno.

monium ueritati perhiberet, utiq; hinc potiß. quod unus omnium electorum rex et saluator esset, sed quia id electi tantum credunt, addebat. Omnis qui ex ueritate est, audit uocem meam Iohan. Videns itaq; Pilatus, alienum eum à crimine imminutæ maiestatis, cui ipse quidem merebat. prodijt ad Iudæos iterum affirmans nullam se in ipso necis caussam inuenire. Luc. Iohan. Continuo ergo principes sacerdotum inualescebant, accusantes Dominum, quod commouerit populum, docens per uniuersam Iudæam, exorsus à Gallilæa. Pilatus igitur audita mentione Gallilææ, an Gallilæus esset interrogauit, atq; cognito quod ad ditionẽ Herodis pertineret, remisit ipsum ad Herodẽ, qui eo tempore Hierosolymis erat. Vnde Herodes non parum gauisus, quod pridem uidendi eius cupidus fuißet, interrogauit ipsum multis. Sed Dominus illi nihil respondit, quãuis adstarent principes sacerdotum & scribæ, acriter eum accusantes. Cũ igitur Dominus Herodi tanquam cani & porco nihil respondere dignaretur, fortasse quia etiam nihil ad gloriam Dei facturum rogaret, Herodes ipsum cũ satellitio suo spreuit, cui & induto albam uestem, illuserunt, atq; inde ad Pilatum remiserunt. Hinc uero reintegrata inter Herodem & Pilatum amicitia fuit, quæ non nihil scissa fuerat. Sic conuenerũt reges terræ, contra Dominum & Christum eius Psalm. 2.

Adductus Herodi.

Sect. 7. continens alteram præsi

Pilatus uero cum sibi Dominus reductus eßet, conuocatis principibus sacerdotum, & magistratibus ac plæbe, dixit

dixit neq; se neq; Herodẽ caussam necis in eo deprehendere potuisse, eoq; uelle se emendatum ipsum dimittere. Lu. Accusabant autem Dominũ summi sacerdotes de multis, ipse autem nihil ad ea respondit, sed neque Pilato, poscenti suam ad illorum accusationes responsionem, adeo ut miraretur. Matth. Marc. Cum ergo in festo solutum esset, populo donari unum ex uinctis, & haberet præses in uinculis insignem latronem, Barrabam, captum cum autoribus seditionis, qui & in seditione cædẽ patrauerat. Hunc tanquam insignite populo inuisum, cum Domino composuit, cumq; plæbs more suo, donari sibi unum ex uinctis postulasset, rogauit eos, utrum uellent sibi dimitti Barrabam, an Iesum regem illum Iudæorum, qui dicitur Christus. Matth. Marc. Luc. Iohan. Sciebat enim quod propter inuidiam tradidissent eum. Principes autem Sacerdotum & seniores, persuaserunt turbis, ut peterent Barrabam Matth. Marc. Rogata ergo plæbs utrum dimitti uellet, exclamauit simul uniuersa turba: Dimitte nobis Barrabam Marth. Marc. Luc. Iohan. Rogante rursum præside, quid ergo uellent fieri, ei qui diceretur rex Iudæorum. Iterum clamauerunt, crucifige eum. Quibus Pilatus: Quid enim mali fecit? At illi uehementius clamabant. Crucifige eum. Matth. Marc. Videns igitur hoc consilium non succeßisse, conuertitur ad aliud, cuius & ante meminerat; Nullum inquit crimen capitale comperio in eo, castigatum ergo dimittam illum. Luc. Et ap-

dis inquisitionẽ, consilia dimittendi Dominum, et flagellationem eius.

prehensum

Flagellatur et coronatus spinis illuditur.

prehensum Iesum fecit flagellari. Tum milites praesidis duxerunt eum intro in atrium praetorij, atque totam cohortem congregauerunt ad eum, exutumq; suis uestibus, amiciuerunt chlamyde coccina, & plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius, arundinemq; dederũt in dexteram eius, tum genu flexo in speciem adorantium, illudebant ei, salutantes eum, aue rex Iudæorum, & dabant ei alapas. Cumq; expuissent in eum, accæperunt arundinem, et percutiebant caput eius. Mat. Mar. Iohan. Flagellatum itaq; Dominum, spinis coronatum, consputum, cæsum & illusum, eduxit Pilatus foras ad Iudæos, uel miserabili eo spectaculo sperãs illorum se odium erga Dominum nonnihil emolliturum. Ecce adduco eum uobis, inquiebat foras, ut cognoscatis quod nullam in eo causſam inuenio. Exuit ergo Iesus foras, gestans spineam coronã, & purpureum pallium. Et dicit eis Pilatus. Ecce homo. Pontifices autem & ministri uiso illo, clamabant: crucifige eum, crucifige eum. Quibus praeses: Accipite eum uos et crucifigite, ego enim nullam in eo supplicij causſam inuenio. Contra Iudæi: Nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori, quia filiũ Dei se fecit. Cum hoc audisset Pilatus, magis timuit, nimirum Iesu causſa, ne forte tale aliquid præ se tulisset, & nõ posset ideo à se absolui. Vnde prætorium iterum ingressus, dicit ad Iesum: unde es tu? Sed Iesus nihil ei respondebat. satis enim antea ueritati testimonium tulerat, professus se quidem Christum regẽ esse,

esse, sed cuius regnum non esset huius sæculi, unde nihil erat, quod Pilatus potestati Cæsaris sui timeret, aut causſam haberet contra eum pronunciandi. Pilatus ergo offensus quod sibi non loqueretur, dicebat ei: Cur mihi non loqueris, nescis mihi potestatem esse, crucifigendi te, & absoluẽdi te? Eo autem cum plus æquo sibi arrogasset, quod in cõtemptũ Dei uergebat, à quo definito cõsilio, potestati tenebrarum in præsens permissus fuerat, nemine alioqui quicquam contra ipsum potente, castigat dictum præsidis. Nõ haberes potestatem, inquit, aduersus me ullam, nisi tibi datum esset esupernis. Nunc cum magistratu fungeris accæpta diuinitus in me potestate, minus sanè peccas, quàm ij qui tibi me tradiderunt, ex solo mei odio contra me furentes, & nulla publica functione, adhoc adacti. Ex eo quærebat Pilatus absoluere eum. Iudæi autem clamabant dicentes: Si hunc absolueris, non es amicus cæsaris, quicunq; enim se regẽ facit, contradicit Cæsari. Iohan. Instabãt itaq; uocibus magnis, postulantes ut crucifigeretur, & inualescebant uoces eorum ac summorum sacerdotum. Luc.

Pilatus itaq; cum audisset hunc sermonem, produxit Iesum foras, sedit q; pro tribunali in loco, qui dicitur, Lithostrotos, Hebraice autem Gabbatha, id quod locũ editiorẽ significat. Erat autem paraſceuc paſchæ, dies, qui proxime paſchæ diem antecedebat, quo parabant, quæ ad festũ requirebantur. Et hora fermè sexta, id est, circa finem, secundæ portionis diei, quæ à tertia diei hora incipiebat, ita tota

Sect. 8. cõtinens condemnationem Domini, eductionẽ, et crucifixionẽ.

Vincitur Pilatus improbitate Iudæorũ.

tota usq; sextam, tertia hora uocabatur. Vnde Marcus hõra tertia crucifixum Dominum memorat, hac eadem scilicet secunda diei parte, quæ iam fermè ad finem uenerat. Iohan. Sedente autem Pilato pro tribunali, misit ad eum uxor eius, dicens: Nihil tibi cum iusto illo, multa enim passa sum hodie in somnis propter eum. Sic curauit Deus Pilatum officij sui admoneri Matth. Ille autem dicebat Iudæis: Ecce rex uester. Quasi di. Vos contenditis hunc se regem uestrum fecisse, uidete cum, ut nihil tale præ se ferat, illi autem clamabant: Tolle tolle crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem uestrum crucifigam? irridens scilicet eos. Isti contra: Non habemus regem nisi Cæsarem. Huc eos furor agebat, ut in totum regnũ Christi, quod cuncta gens auidissime expectabat, abnegarent. Iohan. Videns igitur Pilatus quod nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, abluit manus coram populo dicens: Innocens ego sum à sanguine huius iusti, uos uideritis. Et respondens uniuersus populus, dixit: Sanguis eius super nos & super filios nostros. Matth. Tunc adiudicauit Pilatus ut fieret quod illi postulabant, ac dimisit eis Barrabam, Iesum autem tradidit arbitrio eorum, ut crucifigeretur. Quẽ rursus exuentes chlamyde, induerunt uestimentis suis, & abduxerunt ut crucifigerent Matth. Mar. Luc. Iohan. Dominus igitur adiudicatus necì, exibat baiulans suam crucem in eum locum, qui caluaria dicebatur, Hebraice autem, id est, lingua qua tum Hebræi uulgariter utebantur, quæ Chaldaismum resipiebat, גלגלתא, hoc est, golgotha Iohan.

Inter

Inter eundum autem, apprehenderunt Simonem quendã Cyrenensem patrem Alexandri & Rufi, uenientem ex agro, & illi imposuerunt crucem, ut portaret post Iesum. Id forte, quod Iesus debilior iam esset, quàm ut ligni molẽ portare posset Matth. Marc. Luc. Sequebatur autem Dominum multa turba populi, & mulierum quæ plangebãt & lamentabantur. Neq; enim omnibus amor & obseruantia eius exciderat. Ad has conuersus ille dixt: Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super uosmetipsas & super filios uestros flete. Venient enim dies, in quibus dicetur: Beatæ steriles et uentres qui non genuerunt, et ubera quæ non lactarunt. Tunc incipient montibus dicere, cadite super nos, et collibus operite nos. His futuræ obsidionis & excidij calamitatem illis prædicebat, in qua experti fuerunt, quid sibi fuissent precati, cũ dixerant, sanguis eius super nos, & filios nostros. Addebat autem. Quia Si in humido ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? Quo significauit, si diuina uoluntate, ita in se sæuiretur, innocentem, & ligno humido atq; fructifero simulẽ, multo durius sæuiendũ in gentem Iudaicam, ligno arido & sterili simile. Ducebantur autẽ et alij duo facinorosi cũ eo, ut interficerẽtur Lu. Et postq; uenerunt in locũ qui dicitur Caluaria, dederunt Domino bibere uinũ myrrathum, id acetum erat cum felle mixtum, sed ille cum gustasset, nõ sumpsit Matth. Marc. Ibiq; crucifixerunt eum, & duos latrones cum eo, unum à dextris, alterum à sinistris eius, quo impletum

Educitur ad supplicium.

pletum uaticinium Iesch. 53. fuit. Et cum sceleratis deputatus est. Matth. Marc. Luc. Iohan. Iesus autem dicebat: Pater remitte illis, nesciunt enim quid faciant. Luc. Imposuit uero Pilatus titulum cruci Domini, hæc Hebraice, Græce & Latine continentem: Iesus Nazarenus rex Iudæorum. Matth. Marc. Luc. Iohan. Iudæi autem cum hanc inscriptionem legissent, ut erat locus hic propè Ierusalem, petebant à Pilato pontifices, ut scriberet Iesum dixisse: Ego sum rex Iudæorum, non simpliciter rex Iudæorum, uerũ ille scripturam, diuina utiq; ordinatione adductus, immutare noluit, quæ sanè uerum Euangelion Christi continebat, qua scilicet prædicabatur uerus ille esse, & indubitatus Meschiah rex, Iudæis missus. Ita in media morte, cœpit ad gloriam exaltari, & regnum suum auspicari.

Milites autem cum crucifixissent Iesum, accœperunt uestimenta eius, fecerunt q; quattuor ex illis partes, ut uni cuiq; militi pars una cederet. De tunica uero inconsutili & per totum contexta, quia scindi commode non potuit, sortiti fuerunt, ut impleretur illud Psalm. Partiti sunt uestimenta mea sibi, & super uestem meã miserũt sortẽ. Et milites quidem hæc fecerunt, sedentes q; seruabant Dominum ibi. Matt. Marc. Luc. Iohan. Stabat autem iuxta crucem Iesu, mater eius, & soror matris eius & Maria Magdalene. Cum ergo uidisset Iesus matrem, ac discipulũ astantem quẽ diligebat, dicit matri suæ: Mulier ecce filius tuus, deinde dicit discipulo, ecce mater tua. Et ex ea hora accœpit eam in curam suam. Mulierem uocauit more suo, quòd

Sect. 9. memorans quæ pẽdente Domino in cruce acciderunt.

quòd maior multo esset, quàm ipsa cum genuisset, filij tamen officium noluit posthabere. Vnde morituri discant suis prospicere. Stabat uero populus spectans, & prætereuntes cõuitia iaciebant in Dominum, mouẽtes capita sua, & dicentes: Tu ille qui destruebas templum, & in triduo ædificabas? Serua temetipsum, si filius Dei es, descende de cruce. Similiter et principes sacerdotũ, illudentes cum scribis & senioribus, dicebãt inter se: Alios seruauit seipsum non potest seruare. Si rex Israël est, descendat nunc de cruce, et credemus ei. Confidit in Deo, liberet eum nũc, si uult eum. Dixit enim filius Dei sum. Sic ad crudelissimũ supplicium etiam execrari & irrideri Christum suum pater uoluit. Vnde & Psal. 22. hæc ferè conuitia omnia prædicta sunt. Illudebant autem ei & milites Luc. Quin & unus de his, qui erant suspensi facinorosorum, id ipsum ei exprobrabat: Si tu es Christus, inquiebat, serua teipsum et nos. Adeo ab omni genere hominum blasphemari ipsum oportebat. Respondẽs autem alter increpabat eum dicẽs: Ne tu quidem times Deũ, quũ in eadem damnatione sis? Et nos quidem iustè, nam digna factis recipimus, hic uero nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum: Domine memento mei cum ueneris in regnum tuum, et dixit illi Iesus: Amen amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso, particeps gloriæ meæ. Dum uero hæc fierent appetijt hora sexta, tertia dici pars, quæ & ipsa solebat tota, usq; ad horam nonam, sexta hora uocari. Diem enim habebant finitum horis 12. totidem & noctem, et utramq; per partes quatuor

Blasphematur & irridetur.

distinctam, noctis partes uigilias uocabãt. Facta ergo iam sexta hora, tenebræ ortæ fuerunt, super totam terram, usq; ad horã nonam, et circa horã nonã clamauit Iesus uoce magna, dicens: Eli eli lama sabachtani, hoc est, Deus meus, Deus meus, cur deseruisti me? Quidam autem illic stantium, cum audissent, dicebant: Heliam uocauit iste. Cæteri uero dicebãt, sine uideamus, an ueniat Helias liberaturus eum, Matth. Marc. Postea sciens Iesus, quod omnia iam cosummata essent, ut consummaretur scriptura, nimirum in omnibus, quæ de supplicio suo prædixit, dicit: Sitio. Vas igitur erat positum aceto plenum, Iohan. Illi uero impleuerunt spongiam aceto & hysopo, & impositam harundini, admouerunt ori eius. Matth. Marc. Iohan. Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit, cõsummatum est. Iam enim ad finem pertulerat, quæ prædicta erãt, omnia, Iohan. Et cum clamasset uoce magna Iesus, ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum, Luc. Et hæc cum dixisset, inclinato capite emisit spiritum. Et ecce uelum templi scissum est, in duas partes, à summo usq; ad imum, Mat. Mar. Lu. Et terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum, qui dormierãt, surrexerunt, & egressi è monumentis post resurrectionẽ eius uenerunt, in sanctã ciuitatẽ, & apparuerunt multis, Matth. Centurio uero, qui adstabat ex aduerso illi, & qui cum eo erant, custodientes Iesum, cum uidissent quod sic emisso clamore expirasset, uisoq; terræ motu, & his quæ acciderant, timuerunt ualde & glorificabant DEVM.

Clamat se derelictũ.

Psal. 69.

Prodigia à morte Christi.

Dicen-

Dicentes, uere filius Dei erat iste, Matth. Marc. Luc. Et omnes turbæ eorum, qui simul accesserant, ad spectaculum istud, & uiderant quæ contigerant, percutientes pectora sua, reuertebantur, Luc. Stabant autem omnes noti eius procul, & mulieres quæ secutæ eum erant à Galilæa, ministrantes ei, inter quas erat Maria Magdalene & Maria Iacobi, parui, & IESV mater, & Salome mater filiorum Zebedæi, aliæque complures, quæ ascenderant cum eo Hierosolymam.

Iudæi autem quoniam parasceue erat, Sabbathi magni, nempe quo pascha erant celebraturi, indignum rati, ut corpora punitorum magno illo Sabbatho in cruce remanerent, rogauerunt Pilatum ut fractis cruribus ipsorũ, tollerentur. Milites igitur utriusque latronis crura quidem fregerũt, ad Dominum autem ubi uenissent, iam mortuus erat. Crura itaq; eius non fregerunt, sed unus militum, lancea latus eius fodit, & continuo exuit sanguis & aqua. Id uisum à sese testatur Iohannes, uerumq; affirmat, ut & nos credamus, facta ait præterea hæc, ut scriptura impleretur, os non comminuetis ex eo. Et rursus alia scriptura: uidebunt, in quem pupugerunt. Post hæc uespera facta, nempe post horam nonam, uenit uir quidam, dues & honestus senator, nomine Ioseph, uir bonus & iustus, qui consilio & facto Iudæorum non consenserat, oriundus ex ciuitate Iudæorum Arimathæa, qui & ipse expectabat regnum DEI, eratque discipulus IESV, sed occultus propter metum Iudæorum,

Sect. 10. de sepelitione Domini.

Sepelitur. hic sumpta fiducia, accessit ad Pilatum, ac postulauit corpus Iesu, Math. Mar. Luc. Iohan. Pilatus autem admiratus, si iam mortuus esset, accersiuit ad se Centurionem, interrogauit illum, an iam duãu mortuus fuisset. Vtq; rem cognouit ex Centurione, donauit corpus Ioseph. Venit autem & Nicodemus, qui uenerat ad Iesum nocte primũ, ferens mixturam myrrhæ & aloes, ad libras fere centum Iohan. Accœperunt ergo corpus Iesu & inuoluerũt sindone munda, cum aromatibus, sicut mos est, Iudæis sepelire. Erat autem, in eo loco, ubi crucifixus fuit, hortus, & in horto monumentum nouum, quod sibi Ioseph è petra excíderat, in quo nondum quisquam positus erat. Ibi ergo propter parasceuem Iudæorum, quod in propin quo esset monumentum, posuerunt Iesum, & aduoluerũt lapidem ad ostium monumenti, Matth. Marc. Luc. Iohan. Ita glorioſe sepultus est, qui mortuus erat ignominioſe. Iam enim incipiebat glorificari. Et dies erat parasceue, & Sabbathum illucescebat, appropinquabat enim finis horæ nonæ, uel si mauis undecimæ, ultimæ scilicet portionis diei, quæ sexta apud nos pomeridiana fuisset. Subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo uenerant de Gallilæa, uiderunt monumentum, & quemadmodum positum erat, corpus eius, Matt. Marc. Luc. Reuersæ uero parauerunt Aromata, & unguenta, ac Sabbatho quidem quieuerunt secundum præceptum, Luc. Postridie autem parasceues, Sabbatho nimirum magno, conuenerunt principes sacerdotum & pharisæi ad Pilatum, memorantes, Dominum, nuem

quem ipsi impostorem uocabant, dixisse se tertio die resurrecturum, eoq; petebant, ut iuberet sepulchrum muniri usq; in tertium diẽ, ne discipuli suffurato eius corpore, dicerent plæbi, surrexisse eum à mortuis, & fieret error posterior, peior priore. Quibus Pilatus custodiam permisit, ut munirent sepulchrũ sicut scirent. Qui sepulchrũ munierunt obsignato lapide, & adhibitis custodibus.

Finis historiæ supplicij Dominici.

ANNOTATIONES ET OBSERVATIONES promiscue, in totam Dominici supplicij historiam.

PLurima sanè obseruãda in hac historia occurrunt, et explicanda quoq; non nulla, pauculis, ut scilicet temporis cogit angustia indicatis, reliqua studiosis Christi animis animaduertenda relinquã. Quanq; ex ijs quæ dicemus & diximus, istis quoq; quæ relinquemus, non nihil lucis accessurum sit.

Quod usq; rudes adeo erant Apostoli, & terreni regni dignitatẽ atq; fœlicitatẽ continuo somniabãt, licet tam multis ad cogitanda cælestia erigere illos Dominus fuisset conatus, monet eius, qd' sæpe iam notatũ est, sine spiritu, in corde docente, auribus corporeis frustra omnia ingeri, tum hunc definito à patre tempore tantum dari.

Quod uero Apostolis Dominus promisit in sua mensa locũ, & iudices fore duodecim tribuũ Israël, futuræ ui

Quid sedere in mensa Christi, & super thronos.

tæ, suprcmã dignitatẽ per ea uoluit exprimere, quibus in hac uita summa dignitas constat. Qui enim in eadem mensa cũ Cæsare edunt, & proxime eũ sedent in concilijs & iudicijs, ut sunt principes Electores, ij sanè dignitate reliquos omnes antecellũt. Tales iã sunt Christo Apostoli, per quos uniuerso hominum generi salutẽ attulit. Maior siquidem apud Deum habetur, qui ei similior est, id est, plures pluribus beneficijs iuuerit.

Locus Zaca.

Illud è Zacariah propheta adductum, habetur cap. 13. Ebraicè nõ sine figura, ut idẽ tamen sensus sit, in hunc modũ legitur. Gladie excitare super pastorẽ meũ, & uirum cognatũ meũ, dixit Dominus exercituũ, percute pastorem et dispergetur grex, et reducã manũ meã super paruulos etc. In Galilæa iterũ præcessit Apostolos, cũ uisendum se plusquã 500. fratribus exhibuit, atq; inter eos uelut pastor inter oues suas è dispersione rursũ collectas, uersatus est.

Pro Petri fide dixit se orasse Dominus, nõ q; non & pro aliorũ fide orauerit, nã pro omnib. Apostolis ac etiã creditu ris p ucrbũ eorũ orauerat, ut supra habuimus, sed quia præ alijs casurus erat, hoc dicto uoluit etiam præ alijs ei prædicere, fore quoq; ut resurgeret. Qui ideo p fide Petri Dominũ orasse uolũt, q. esset reliquis caput cõstitutũ, idq; dignitatis ad successores suos ab eo trasmissum, somnijs delectantur.

Circa id, quod per gladij necessitatẽ figurate Dominus, imminẽtis periculi magnitudinẽ significauit, uide quãin sanũ sit et pnitiosum, omnia uerba Domini et scripturæ iuxta literã, et simpliciter accipere, ex hoc enim loco siper

mittas literam simpliciter accipiendã, & tropum reijciendum, conuincetur Dominũ uoluisse suos pugnare gladio, quo nihil magis cum omni doctrina eius pugnat.

Trepidatio illa et mira anxietas Domini, quæ ei sanguinẽ sudorẽ excussit, humanæ naturæ, et qdẽ cõpositionis insignitæ nobilis, argumentũ fuit, tũ indicauit, quã undiq; tẽtari illũ pater uoluerit. Certe nemo uerus homo tantos cruciatus, et adeo dira tormẽta, tũ mortis genus ignominiosissimũ, imminere sibi cõsiderabit, qui nõ summe animo cõsternetur et exanimetur, nisi uel natura stupeat, uel diuinitus aliò mẽs auocetur. Cũ igitur Dominus uerus esset homo, tũ præsentiss. oĩa animo pspiceret, esset deniq; sensibus, totaq; naturæ & corpusculi cõpositura, tenerrimus ac subtilissimus, sic afflicta, sic anxia anima eius reddita fuit, ut nisi mentẽ aliò pater, nẽpe in cõsiderationẽ bonæ suæ uolũtatis, et perficiendæ ab ipso omnũ salutis auocasset, indubie prorsus exanimatus cõcidisset. Nequaq; autẽ totã à contẽplatione instantis supplicij auocauit, alioqui omni mœrore et anxietate ea cũ laborasset, sed hactenus tantũ, ne mœrore penitus conficeretur. Hinc uides in oratione eius, utrusq;, supplicij & paternæ uoluntatis, quasi quandam librationem. Transferri siquidem calicem, & non transferri orabat, nam addebat, non mea sed tua uoluntas fiat. Vnde quod orabat, ferè huiusmodi erat. Vide pater, ut tantum cogitatio imminentis supplicij, me afficiat, si posibile esset, quã uellem me ab istis tormentis seruari, at non est, neque posibile, neque bonum, unde non mea sed

De angore Domini.

tua pater uoluntas fiat. Sed quid faciam, iam exanimor, supra uires est, quod patior pater, ò acerbam horam, ò intolerabile tormentũ, quærulatio nãq; magis, quã precatio erat, ut dixi. Hinc procidebat nunc in faciem & istiusmodi apud patrem quærebatur, nunc innitebat discipulos, nusquam potuit consistere, præ cruciatuum, quos sentiebat incredibili atrocitate, donec per angelum consolaretur. Quanquam autem ingens fuerit miraculum sudor ille sanguineus, et cũ inenarrabilis doloris, tum sensus præsentissimi, indiciũ, haud tamẽ adeo mirum fuisset, si isto dolore fuisset planè enectus, quando Homerũ ferant dolore absumptũ, tantũ quod in insula quæstionẽ à piscatoribus ppositã nõ potuisset soluere. Itẽ Diodo. dialecticũ, lusoria quæstione nõ ptinus ad interrogationes Stilobonis dissoluta. Gaudio uero, Sophoclem et Dionysiũ Siciliæ tyrannũ, utrũq; accepto tragicæ uictoriæ nuncio, item matrẽ pugna illa Cannensi filio incolumi uiso, cõtra fãlsum nunciũ.

Bis diuinitatis suæ Dominus certissimũ argumentũ exhibuit, prius prostratis uerbo Iudæis, alterũ sanata Malchi auricula. sed quia hora erat, ut pateretur, et potestas tenebrarum superiores habere uideretur, seruos Satanæ, nihil ista mouerunt. Hinc uideas, quid sit esse Satanæ seruum.

Ad Annam duxerunt Dominũ primũ, is uero uinctum misit ad generũ suũ, q pontificatu tũ fungebatur. Et is Dominũ interrogauit de discipulis suis et doctrina, in eius quoq; domo Petrus negauit, licet Iohan. ita uideatur hæc narrare, quasi Annas Dominũ interrogasset, & primum in eius ædibus Petrus negasset. Sed q animaduertit, q Iohan.

pontificẽ tantũ Caiapham uocat, is facile uidet, nihil ab eo narratũ, quod in domo Annæ actũ sit, sed tantũ quæ apud Caiapham, quodq; post memoratam & Petri negationẽ, & pontificis erga Dominum interrogationem, subiecit. Misit eum Annas uinctum, ad Caiapham pontificem, perinde esse, ac si scripsisset, miserat enim Annas &c. Transpositio enim est, posterius narrauit, quod gestum erat prius. Cum enim narrare de Petro cœpisset, ut Dominum fuisset secutus, consequenter memorauit, quo esset eum secutus, nempe usq; in atrium pontificis, ex hac tum occasione memorauit, quæ illic & Petro & Domino acciderũt. Cum igitur nõdum narrasset, quomodo Dominus ad pontificem uenisset, postea id historiæ inseruit, ab Anna eum unctum, ad Caiapham fuisse missum, ex quo significauit, nihil apud Annam Domino accidisse, memoratu dignum. Discipulum illum notum pontifici, quidam Iohannem intelligi uolunt, sed non est uerisimile, multo minus, quod adolescens ille fuerit sindone amictus super nudum, discipulum enim quẽ diligebat IESVS, se uocare solet. Tum quomodo Galilæo piscatori notitia fuisset Hierosolymis apud pontificem? & si fuisset, quomodo id illi non in præsenti nocuisset, quando ex intimis fuerit Domini discipulis, æque ac Petrus.

Illud amodo uidebitis filium hominis sedentẽ à dextris &c. perinde est, ac si dixisset, posthac nõ uidebitis eum, nisi sedentem à dextris uirtutis Dei. Ab eo enim tempore Amodo uidebitis.

mundo se subduxit, de quo supra, unde præter cum diem illis non est uisus, nisi in gloria patris.

Qui Zacariah idem Iirmeiah.

Testimonium de triginta argenteis cum apud Zacariah clare legatur, uerisimilior mihi eorum sententia uidetur, qui putant Zacariah binominem fuisse, & etiam Iirmeiah uocatum. Sic certe Matthæus Barachiam nominauit, quem scriptura Ioiada uocat, quem ita binominem fuisse, doctiores censent.

Quod Iudæi grauatim ad accusationem descenderunt, ingenium retulerũt omnium eorum, qui cum ueritate bellum gerunt. Ii enim nihil æque refugiunt, quàm ut causſam suam, manifesto iuditio approbent. Sic hodie hostes Euangelij, uideas eò perduci non posse, ut uel ipsi suã causßam palàm, & cum ratione tucantur, aut nobis ad tuendam nostram facultatem faciant. Vnum hoc urgent, ut Pilatus Christum indicta causſa, tantum ad ipsorum præiuditium, condemnet.

Hostes ueritatis iuditium fugiunt.

A gentibus tum rerum apud Iudæos potientibus uoluit Dominus morti adiudicari & occidi, ut tanquam ure ociſus, moreretur ignominioſißime.

Læsæ maiestatis accusatus fuit, ita & Paulus & omnes semper adsertores ueritatis. Nam eiusmodi defectionem docent à principe mundi & Deo conantur homines adducere. Cæterum autem alieni adeo agunt, ab omni affectatione terreni regni, atq; magistratus contemptu, ut absurdißimũ sit quicquã huius, de illis uel suspicari. Sed qui agit in incredulis, Deus huius mundi, ut sentit eos totos in hoc

Imminutæ maiestatis accusantur omnes precones ueritatis.

hoc incumbere, ut sua tyrannis soluatur, ita quo eos opprimat, semper id agit, ut aduersarij externæ illi potestati, quam nemo magis illis obseruat, uideantur.

Regnum Christi non est de hoc mundo, id est, situm in externo dominatu, unde & gloria, diuitijs, et potentia externa usq; destituitur, ut in capite Christo, ita & mẽbris. Ergo hic reiectamenta mundi nos esse oportet, in regeneratione demum cum Christo regnaturos.

Regnum Christi.

In hoc natus Christus fuit, ut testimonium ueritati perhiberet, & præcipue huius, quod uerum regnum sit, uita, & felicitas, sibi ut regi & seruatori, syncera fide addici, hanc ergo unam & summam ueritatem, se Christũ & saluatorẽ esse electorum, fateri & testari eum oportuit. Quam fateri & prædicare, Euãgelion regni & uitæ est.

Quæ prima ueritas.

Qui ex ueritate est, nempe electus ad uitam, is audit uocem eius, hoc est, fide recipit, unde Pilatus & sirogasset quid ueritas esset, non sustinuit tamen responsionem percipere. Non enim ex ueritate erat, non ex Deo natus, quæ Iohan. pro eodem accipit, ideo sermo Christi, præsertim de Euangelio regni haud quaquam potuit illi magni haberi.

Qui ex ueritate.

Ab Herode quoq; sperni & ignominia affici Dominum oportuit, ut nihil apud Iudæos sublime esset, à quo nõ aliquid pateretur. Ita quicquid mundi est, sanctis aduersatur. Ad hæc uaticinium secundi psal. Quare tumultuatæ sunt gentes, populi meditantur inania, astiterunt reges terræ, & principes secretarij, conuenerunt in unum, ita impleri

Omnia aduersa Christo.

impleri oportuit, uti impletum in hoc, & Apostoli intellexerunt. Acto. 4.

Populus persuaderi potuit, ut Barrabam insignem latronem Domino præferret, ita Satanæ & ministris eius obnoxium est, quicquid non est ad bonum confirmatum, uirtute ex alto. Paulo ante bis bene dictus Christus erat, nunc ad crucem poscitur, præ deploratißimo latrone & seditioso. Expendat pectus Christianum, quanta hæc fuerit Christi seruatoris nostri, nostræ salutis caußa susceptа humilitas. Cur ei non omnia credimus, cur cum ipso non libet mori, & crucifigi mundo?

Populi inconstantia.

Flagellatus & spinis coronatus, miserecq; illusus & consputus, ad misericordiam tamen Iudæorum pectora mouere non potuit, ea erat uis Satanæ. Qui quos detinet, omni etiam humanitatis sensu exuit.

Pilatus multis modis conatus fuit Christum liberare, partim manifesta innocentia eius, partim odio in Iudæos, quo flagrabat impulsus. Sed reuera id Domini opus fuit, quo obstinata Iudæorum impietas magis proferetur.

Admonitus fuit per uxorem, ne quid & circa ipsum diuina bonitas negligeret.

Christus usq; tacuit ad Iudæorum accusationes, quia sciebat horam aduenisse, ut moreretur, tum erant falsa adeo quorum accusabatur, ut per se præses uideret sola inuidia ipsum premi. Non igitur erat, quod præsidi suam innocentiam approbaret, aliàs abunde eam cognoscenti, sistuendi eam, animum quoq; habuißet.

Cur tacuit.

Iudæi

Iudæi reiecerunt imperium Christi, prælata ei Cæsaris tyrannide, & sanguinem Christi super se, & filios suos uenire optarunt. Hinc ablatum ab ipsis regnum Dei fuit, & sanguinis Christi per Ro. incredibili atrocitate sumpta ultio.

Aegyptio nempe Cyrenensi, imposita fuit crux Christi, quo significatum accipio, crucem Christi saluificam, gentibus dehinc imponendam, Iudæis satis dira quidem cruce imposita, sed non Christi, hoc est, quæ eßet saluti. Et hic quidem Cyrenensis cum pater à Marco prædicetur Alexandri & Rufi, uidetur etiam ipse in suam domum Christum postea recepisse.

Dederunt Domino, cum ad locum supplicij uentum eßet, uinum myrrhatum bibere, ut Marcus habet, alij habent acetum felle mixtum, quod idem sit oportet. Acetum igitur, quia corruptum uinum est, uinum à Marco est uocatum, amarum simul erat, ex mixtione fellis, et myrrhæ, inde uinum myrrhatum dixit. Annotauit Erasmus ex Plutarcho, haustum acetum uulneratis mortem accelerare, ea forte caußa, aderat & uas positum, aceto plenũ, cuius Iohannes meminit, unde damnatis bibere daretur, quo citius transfixi manus & pedes, morerentur. Dominus tamen primum oblatum, noluit bibere, uolens statutum à patre tempus pati, quem ille tamen citius latronibus supplicio eripuit. Mortuus enim erat, cum latronibus oporteret frangere crura, unde & Pilatus celeritatem mortis eius mirabatur, ut in historia ex Iohanne adductum est. Po-

Vinũ myrrhatum.

stea añ

ſtea autem cum alioqui iam ſpiritum traditurus eſſet, accepit acetum, ut Iohannes narrat, impleri enim ſcripturã uoluit, potauerunt me aceto &c. Pſal. 68.

In latrone Chriſtum tam egregie agnoſcente, & prædicante, ubi iam noti omnes procul ſtabant, ubi ſilebant ora Apoſtolorum, cum obmutuiſſet uox illa: Benedictus qui uenit in nomine Domini, immenſa Dei bonitas, mirum in modum illuxit. Vnde plane diſcendum, ne de quoquam, niſi oppugnante ſalutis doctrinam, iam cognitam ſibi deſperemus, poſtquam tot primis, hic omnium nouiſſimus latro præpoſitus fuit, paradyſiq; promiſſionem, ante omnes mortales, percepit. Paradyſum uero, ut & Paul. 2. Cor. 12. uocat locum diuinorem, in quo apertior Dei gloria refulget, diuinitatis q; perfruitio donatur.

Paradyſus latroni.

Tenebræ factæ ſunt ſuper totam terram Iudæorũ ſcilicet, id præſagium fuit, illos poſtquã Dominum ſolem iuſtitiæ á ſe reiecerant, & morte affecerant, horrendis tenebris ignorantiæ & impietatis adobruendos.

Tenebræ.

Eli Eli. Id uero Eli, Eli, &c. initium eſt pſalmi 22. & uerbũ שבקתני, id eſt, Schebaktani Chaldæum, pro Eb. עזבתני, id eſt, Azabtani poſitum. Hæc autem ſimpliciter dicta à Domino accipio, ſicut & quæ in monte oliuarum orauit. Quæſtus fuit his ſe in manibus impiorum, ad omnem ipſorum libidinem, à patre derelictum, quanquã uolens ſpiritu, omnia perferret, ſicut in horto de atrocitate ſupplicij quærebatur, quod tamen ultro uolebat ſubire. De deſperatione eius, nolim quicquam affirmare, præter ſcripturam. Scripturam ſequi quam noſtras cogitationes, tutius eſt, uerus homo fuit, ueri hominis affectus & habuit & prodidit, gloriæ tamen patris omnes deuinctos, de his ſup. ubi conflictatio Domini in monte oliuarum, tractata eſt.

De deſcenſu Domini ad inferna, multi multa diſputarunt, ſed per pauca ad rem, quia præter ſcripturam ferè omnia. Vnde blaſphemi quidam, uiſi ſibi habere articulum fidei, nullo ſcripturæ loco firmatum, concludere uolant eſſe credenda, quæcunq; Eccleſia, id eſt, pontifices et Theologi cum Monachis præſcribunt, etiamſi nullam ex ſcripturis habeant rationem. Sed ſi recte accipias hanc uocem infernus, ibi memorant Euangeliſtæ Chriſtum ad infernum deſcendiſſe, ubi narrant mortuum & ſepultum. שאול enim pro quo in ſcripturis, nos ferè infernus legimus, ſepulchrum ſignificat, quod nunquam ſaturatur, & ſemper quodammodo petit, iuxta illud 30. Vnde Petrus Act. 2. & Paulus 13. probaturi Dominum à mortuis reſurrexiſſe, adducunt illud, pſal. 15. Non relinquas animam meam in inferno, nec ſines ut ſanctus tuus uideat corruptionem, ubi pro eodem ponitur, animam non relinqui in inferno, & ſanctum non uidere foueam corruptionis, nempe pro eo, quod eſt, non relinqui in morte. Vnde Petrus cum dixiſſet: Quem DEVS ſuſcitauit ſolutis doloribus mortis quatenus impoßibile erat teneri illum ab ea, hoc ipſum probaturus, locum illum pſalmi adduxit.

De deſcenſu ad inferna.

In huiuſmodi

In huiusmodi infernum dicebat se Iacob cum dolore ad filium suum Ioseph descensurum, cum discerptum à bestia putaret 1. Moscheh 37. Et ubi timebat Beniamin, alteri filio ex Rachel, dicebat alijs filijs suis, qui abducere illũ in Aegyptum uolebant, eos si illi aliquid accideret, canos suos cum dolore ad inferos depulsuros. Quid hic aliud ad infernum descendere, quàm recondi corpus sub terra? Sic cum terra uiuos absorbuisset Korach & coniuratos suos, dicebantur, uiui descendisse ad infernum, id est, in sepulchrum, sub terram, ad mortuos 4. Moscheh 16. Hinc subinde in psalmis, gloriantur sancti se ereptos ex inferno, exaltatos ab inferno, ut psalmo 30. 49. & alijs. Nec aliter scriptura uspiam de inferno loquitur, quàm ut sit communis omnibus, tam sanctis, quàm impijs, Gehenna autem solis impijs attribuitur. Quare facere ex inferno desperationem, cogitatio humana est, & non debebat tanta cum authoritate Ecclesijs proponi. Ad hũc ergo modũ descendit & נפש, id est, uita uel animatum corpus Domini in infernum, hoc est, uere mortuum, repositum fuit in sepulchrum, sed quia à morte detineri authorem uitæ impossibile erat, ut Petrus inquit, ideo non potuit in sepulchro, & inter mortuos relinqui, aut permitti, ut sanctus Domini uideret, foueam corruptionis, id est, corrũperetur, sicut sepulti alij. Cæterum spiritus Christi, ubi corpus reliquit, in paradisum concessit, ubi secum futurum et latronem illi promiserat.

Ad hoc enim ut sanctos qui in inferno erãt, id est, adormiebant

mierant corpore in puluere terræ, sicut & electos uniuersos, à morte, in æternam uitam trnsferre, nulla scriptura quicquam aliud prædixit, à Domino perficiendum, quàm ut moreretur pro suis. Somnia igitur sunt, quæcunq; Theologi superioris sæculi de limbo patrum, & reali descensu illo Christi, quomodo etiam ad locum damnatorum & purgatorium accesserit, disputarunt. Neq; firma quidem existunt, & quæ recentes quidam commenti sunt, infernum esse desperationem. Scriptura post hanc uitam sanctis quietem, uitam cum Christo & regnum patris. Impijs gehennam & ignem æternum, paratum Diabolo, promittit, nõ infernum. Veteres patres memorat ad infernum descendisse, sed quo descendit, omne quod genitum est. Nihil de limbo, nihil de purgatorio, nihil de descensu spiritus Christi ad loca quædam obscura, mittenda igitur hæc sunt, ut inuenta hominum, & gratiæ agendæ magis Domino, qui filium suum pro nobis & electis omnibus in infernum protrusit, id est, uere mori uoluit, ut per mortem eius à morte nos liberaremur, & reuocato illo rursus à mortuis nihil dubitaremus, & nos ad beatam immortalitatem reuocandos. Hæc confirmat, quod hunc articulum, descendit ad inferna, non fuisse nec in symbolo Romano, nec in symbolo orientalium Ecclesiarum Cyprianus testatur, & apud Tertullianum nõ recensetur, quare adiectum tanquam explicationem superioris, sicut & ille, communionem sanctorum, nihil ambigendum est.

Cæterum quod uelum scissum fuit, cum Christus tradi-

 disset

disset spiritum, significatum accipio, tum fuisse abrogatas cerimonias legis, & irritum factum testamentum uetus, cum iam nouum, morte eius esset confirmatum, de quo in Matth. 26.

Terra mota, & petræ scissæ, uidentur significasse orbem commouendũ Euangelio, et saxea pectora, scindenda per pœnitentiam. De his canunt, Psal. 97. 98. & 99.

Monumenta aperta, è quibus post resurrectionem Domini sanctorum corpora egressa sunt, uirtutem mortis Christi testata sunt, qua scilicet ad uitam electi reuocãtur.

Quod Centurio & alij Dominũ, filium Dei agnouerunt, & prædicarunt, specimen fuit, fructus qui à morte eius expectandus erat, nimirũ ut iam plurimi, præcipue autem gentium, ipsum Christum, & per eum patrẽ agniturí essent, atq; ita uitam æternam percepturi.

Eo autem quod sanguis & aqua de latere Domini exiuit, indicatum est, à morte Christi, esse omnium peccatorum expiationem expectãdam, quam sanguine fieri oportuit, tum spiritum sanctum, aquas uiuas illas, quibus in totum electi mũdantur, & ad omnẽ pietatem fœcundãtur, de quibus Iechezkel 37. Iohan. 7. & alibi.

Mortuo Christo Ioseph. et Nicode. fortiores.

Ioſephum & Nicodemum, ausos mortuo CHRISTO ministrare, qui uiui occulti tãtum discipuli erant, propter metum Iudæorum, præter immensam Domini facilitatem, qui usque infirmos adeo tulit, uirtutem mortis eius quoque testatur & fructum, unde scilicet fortior, ac uere filiorum DEI spiritus, electis contingit, sicut istis

istis usu uenit. Notatur quoq; quàm ferax salutis sit, Christo uel infirmo adhærere.

Ad cuius mortis precium, magis commendandũ et preciosa illa sepultura fecit. Ita & nos tum uere honorabimur, & cum Deo regnabimus, ubi cum ipso quoq; antea mortui, et in nihilum redacti fuerimus. Iudæis autem mos fuit, preciose sepeliri, cum aromatibus, ad testandam spem resurrectionis. Nos omnia contemnendo, & animam nostram, pro Domino perdendo, hanc spem profiteri debemus, & sumptus facere in pauperes.

Sepulchrum Christi Iudæi uoluerunt munitum, ita ad gloriam resurrectionis Christi, inuiti seruierunt. Neque aliter euenit impijs omnibus, erga pios. Quibus enim lædere eos uolunt, ijs promouent salutem ipsorum.

Innumera insunt præterea huic historiæ, quæ non sine magno pietatis fructu, ab electis perpendi possunt, sed quibus sancta eorum, quæ Dominus nobis dixit, fecit, & pertulit, curiositas fuerit, ijs per se illa occurrent, in propatulo enim posita sunt. In his ergo inquirendis & excutiendis studiosi simus, missis blasphemis nugis, quas somniorum prædicatores, sanctissimæ huic historiæ hactenus assuerunt, quasi uero non supra quàm satis, ad summum supplicium fuissent, quæ Euangelistæ conscripserunt. Sed hi putarunt, tum demum cum fructu se hanc historiam recitasse, cum mulierculis, Domini causſa lachrymas extudissent, cum magis ad lachrymandum super se ipsis iuxta uerbum Christi, auditores prouocare debuerant.

Certe ſupplicium Domini, in hoc perpendendum eſt, ut non dubitemus, nos iam eo, à morte in æternam uitam aſſertos, quo hinc etiam exultemus, gratias agentes patri, qui filium ſuum pro nobis in mortem tradidit, & filio qui tam crudele & infame ſupplicium pertulit. Tum ut peccatum odiamus, quod tam inuiſum Deo eſt, ut non niſi morte filij ſui potuerit expiari, deniq; ut ita in mortẽ uſq; fratrum ſalutt, & nos conſecremus. Sic demum cum fructu hiſtoriam ſupplicij Domini noſtri, perpenderimus. Ipſe huiuſmodi mentem nobis donet.

HISTORIA RESVRRECTIONIS & apparitionum Domini.

CAPVT XX. & XXI.

QVanquam colophon & conſummatio ſit Euangelicæ hiſtoriæ, Chriſtũ à mortuis reſurrexiſſe, quo credito, plena demum fides, & cognitio Chriſti eſt. Vix tamen quicquam Chriſti aliud, uiſi ſunt Euangeliſtæ magis uarie memorare, quod ad exercendam noſtram cum fidem, tum diligentiam ita fieri à DOMINO placuit, quare neque nobis diſplicere debet, dare autem operam nos conuenit, ut certus nobis hiſtoriæ huius ordo conſtet, ſitq; in promptu quod calumniatoribus, uel pro confirmatione infirmorum, reſpondeamus. Proinde conabor hanc hiſtoriam ordinare, ut ſibi omnia apud quatuor hos noſtros Euan-

Euangeliographos conſonent, ſed ipſorum uerba ſecutus, iudicent Chriſtiani.

Venerant cum Domino noſtro, è Galilæa mulieres aliquot, Luc. 8. nominantur Maria Magdalene, de qua ſeptem exierant dæmonia, Ioanna uxor Cuſæ procuratoris Herodis & Suſanna, Luc. 24. additur Maria Iacobi, cuius & Matth. meminit, uocans matrem Iacobi, & Ioſe. Quibuſdam uidetur hanc illam fuiſſe matris Domini ſororem, quam Iohan. 19. uxorem Cleophe uocat. In Matt. præterea mater filiorum Zebedæi additur, quam putant Salomen illam fuiſſe, cuius meminit Marcus, quod perpenſa locorum conſonantia, non uidetur diſſimile uero. Hæ ergo mulieres cum multis alijs, aſcenderant à Galilæa, cum Ieſu Hieroſolymam, & miniſtrauerant ei de facultatibus ſuis, ut teſtantur Luc. 8. & Matth. 27. Quæ ergo uiuentem & beneficia omnibus impendentem ſecutæ fuerant, abeſſe rapto ad ſupplicium, & cruciatus perferenti, non ſuſtinuerunt. Hinc cruci affixo, aſtabant, & dum ſepeliretur ſequebantur, uiſuræ ubi poneretur, ut etiam in mortuum officioſe eſſent. Hæc memorant Matt. Marc. Luc. & Iohan. Sepulto autem Domino cum parãſceue eſſet magni Sabbathi, quod iam ueſpera facta, inſtabat, abierunt paratum aromata, antequam Sabbathum illuſceſceret. Sabbatho uero ſecundum legem quieuerunt. Obſeruantiam legis diuinæ, iure, ſuo erga Dominũ amori, hac in re præferentes, Luc.

In ueſpera igitur, Matth. hoc eſt, nocte, ſed quæ propè Sect. 2.

finem erat acceptura, nempe illucescente iam die, ortoq; sole, Marc. sed profundo adhuc crepusculo, Marc. Luc. ut tenebræ etiamnum ad monumentum essent, Iohan. Venerunt mulieres illæ, & nonnullæ cum illis, Luc. ad monumentum, portantes aromata, quæ parauerant ad ungendum Dominum, Matth. Marc. Luc. Iohan. Sed antequam ad illud ueniissent, Dominus surrexerat, facto terræmotu, magno. Angelus enim Domini, descenderat de cælo, & lapidem ab hostio monumenti remouerat, sedebatq; super eum. Cuius aspectus sicut fulgur, & uestimenta ut nix erant. Vnde timore concussi custodes, erant similes mortuis. Ex his postea quidam principibus sacerdotum, quæ facta erant, renunciauerunt, qui habito cum senioribus consilio, copiosa pecunia à custodibus, hoc mendacium pacti sunt, ut inuulgarent noctu discipulos ipsis dormientibus, corpus Iesu furatos esse, promittentes simul securos illos se reddituros à præside. Id mendacij cum hi custodes sparsissent, ita receptum est à Iudæis, ut ne hodie quidem aliter credant, Matth.

Vt Dominus resurrexit.

Mulierculis autẽ, quo desiderio Dominici corporis uidendi & ungendi tenebantur, nihil in mentem uenerat de grandi illo lapide, qui hostio monumenti fuerat admotus, donec iam in itinere essent. Dum autem respicerent uiderunt reuolutum, Marc. ingressæ ergo monumentum, corpus Iesu non inuenerunt. Sed ubi mente consternatæ, Luc. respexissent, uiderunt adolescentem sedentem à dextris amictum stola candida, & expauerunt. Is ergo iubebat eas

bat eas bono animo esse, neque expauescere, scire se quod quærerent Iesum Nazarenum, eum surrexisse, & ostendebat eis locum in quem Dominum posuerant, iubebatq; abire, ac discipulis & Petro, quod Dominus esset eos præcessurus in Galilæam, ubi ipsum essent uisuri, sicut eis dixisset, renunciare. At illæ, ut perterritæ erant, horum nihil recte perceperunt, unde abeuntes cito fugerunt à monumento, habebat enim eas terror, & stupor, neque cuiquam quicquam dicebant, timebant enim, Marc.

Sect. 3.

Maria Magdalene tamen, ubi ad se rediisset, resumpto nonnihil animo, sola Petrũ & Iohan. adijt, quæstũ de sublato corpore Domini. Tulerunt, inquiebat, Dominum de monumento, & nescimus ubi posuerint eum. Hac uoce excitati duo discipuli, cuestigio sepulchrũ adierunt, nec dubium, quin comitante Maria. Qui cum sepulchrũ uacuum inuenissent, seorsim positis, sudario & linteaminibus, Iohan. credidit, nimirũ sublatũ corpus Iesu. Nam scripturã, quod oportuisset ipsum à mortuis surgere, nondum nouerãt, coq; uerba Christi, quæ de resurrectione illis sæpius prædixerat, haudquaquam recte intellexerant.

His itaque discipulis ad sua reuersis, Maria apud sepulchrum hæserat plorãs. Dum ergo fleret inclinauit se in monumentũ, et uidet duos angelos amictos albis, unum ad caput, & alterũ ad pedes, illic ubi posuerant corpus Iesu. Hi rogabant eam quid ploraret, quibus illa: Sustulerunt Dominum meum, nec scio ubi posuerũt eum. Ilico conuersa retrorsum, ut anxia erat in quærendo corpus Domini,

Prima Domini apparitio.

continuoq; respectabat, uidit Iesum adstantem, sed putabat hortulanum esse, eoq; rogabat eum, si ipse sustulisset Dominum, ut sibi indicaret, ubi eum posuisset, quo eum tolleret. Cui Dominus: Maria. Ad quam uocem conuersa agnouit eum, quæribunda enim continuo uertebat se & respectabat, sicubi uideret corpus Domini. Dicebat ergo illi: Raboni, & uolebat ipsum fortasse amplecti, præ nimio scilicet amore eius et gaudio, quod rursum carne præsentem uidisset. Verum Dominus cũ uideret eam, carnalẽ sui præsentiam plus æquo admirari, animum eius ad cælestia, amplexusq; fidei erigere uolebat, eoq; à tactu sui eam repellebat, di. Noli me tangere, nondum enim ascendi ad patrem. Quasi di. Ne putes quod carne præsentem uides, in hoc omnia te consecutã, dixi antea discipulis meis, quod expediret eis, ut abirẽ ad patrẽ. Ad quem ubi ascendero, mittam spiritum paracletum uobis, & omnia perficiam. Hæc debetis expectare & carnalem meam præsentiam tanti non facere, nolo igitur ut tu me modo tangas, ne carnali præsentiæ nimis addicaris, discere debes, fide post hac me regnantem in cælestibus amplecti, quare abi potius, & nuncia fratribus meis, qui & ipsi carnale usque regnum expectarunt, me ad patrem meum & uestrum, ad Deum meum & uestrum ascensurum. Vnde uobis spiritu meo adero, & ad fœlicitatem uestram omnia attemperabo, ne putent me corpore hic porrò actum, & carnaliter regnum Israëlis restituturum. Cõsoletur autem uos & ad optimam spem erigat, quod pater & Deus meus, uester

uester quoq; pater et Deus esse dignatur, aquod quẽ utiq; impetrabo uobis omnia. Abijt itaq; hæc ad discipulos & nunciauit illis quod Dominum uidisset, & quæ sibi dixerat. Hæc Iohan. quibus consonat Marcus ita scribens: Cũ surrexisset autẽ IESVS mane primo die Sabbathi, apparuit primum Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat septem Dæmonia, illa profecta nunciabat ijs, qui cum illo fuerant lugentibus & flentibus. Sed illi licet audissent Dominum uiuere, & ab hac uisum esse, non crediderunt. Lucas etiã meminit, Petrum sepulchrum inuisisse.

Sect. 4.

Interea autem, & reliquæ mulieres, quæ cum Maria Magdalenæ, primum adfuerant, & perterræfactæ una fugerant, nihil cuiquam dicentes, animos resumpserunt, & reuersæ ad monumentum, cupientes nimirum certiores de retã stupenda reddi, uenerunt. Vbi ergo adhuc abesse corpus IESV uidissent, mente consternabantur. Mox autem uiderunt duos uiros adstantes in uestibus fulgurantibus. Matthæus unius tantum meminit, quia unus duntaxat mulieribus loquebatur. Hic igitur pauefactis et uultus in terram declinantibus mulieribus, dicebat: Nolite timere uos, scio enim quod IESVM qui crucifixus est, quæritis, non est hic, surrexit enim sicut dixit. Venite uidete locum, ubi positus erat Dominus, Matth. Quid quæritis uiuentem cum mortuis? non est hic surrexit. Q.d. & paulo ante adfuistis, uidistis sepulchrum uacuum, audistis à me surrexisse Dominum, atq; uiuere, & uos præcessurum in Galilæam. Quid igitur rursum adestis, & uiuentem, inter

tem, inter mortuos usq; quæritis? Non est hic, iterum dicimus, surrexit enim. Recordamini tamen eorum, quæ ipse uobis prædixit, cum adhuc in Galilæa esset. Nempe quod oportuerit filium hominis tradi in manus peccatorum & crucifigi, & resurgere die tertio. Luc. Cito igitur euntes, dicite discipulis eius, quod & antea mandaueram, surrexisse Dominum à mortuis, & præcessurum uos in Galilæam, ubi eum uidebitis, ecce dixi uobis, habete tandem fidem uerbis.

Altera apparitio Domini.

Recordatæ igitur uerborum Domini, Luc. digressæ à monumento celeriter cum timore & gaudio magno, currebant ut renunciarent discipulis eius, Matth. illis undecim & cæteris omnibus, Luc. Cum autem essent ad renunciandum discipulis, ecce IESVS occurrit illis, dicens. Auete, illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Quibus ille: nolite timere, ite & renunciate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me uidebunt, ut illis pollicitus sum. Iterum uocat fratres suos, qui se paulo ante negauerant, sic autem blandiens, ad spem regni sui, erigere illos uolebat. Tangi uero se ab his Dominus passus fuit, quo certiores resurrectionis suæ testes ad discipulos essent, Mariam autem Magdalenam, nimium ob præsentiam suam carnalem, exultantem, uoluerat ad cælestia magis miranda prouocare, eoq; tangere se prohibuerat. At uero ut nondum habebant spiritu illustrata pectora Apostoli, ubi omnia à mulieribus audiuissent, uisa fuerunt eis uerba mulierum, deliramenta, neq; crediderunt illis, Luc.

Eodem

& XXI. Sect. 5. Apparitio Domini 3.

Eodem die uidendum sese Dominus exhibuit & duobus discipulis petentibus Emauntem. Qui mox reuersi ad discipulos Hierosolymis congregatos undecim Apostolos, & qui cum illis erant, narrauerunt eis quæ uiderant. Quibus illi uicissim narrabant Dominum uere resurrexisse & apparuisse Simoni. Dum autem hæc loquerentur, & fores clausæ essent, stetit IESVS ipse in medio eorum, & pacem precatus, consternatis adhuc animis, ostendit manus & pedes, contrectareq; se & uidere iubebat. Expauefacti enim putabant se spiritum uidere. Deniq; comedit cum eis, uel ut sic resurrexisse se, illis persuaderet. Postea donauit eis spiritum sanctum, constituit Apostolos, donauitq; mentem eis, ut scripturas intelligerent, agnoscerẽtq; sic scriptum esse, eoq; et sic fieri oportuisse, ut Christus pateretur, et resurgeret à mortuis tertio die, & prædicari in nomine eius pœnitẽtiam & remissionem peccatorum, in omnes gentes, initio facto à Hierosolymis &c. Hæc Luc. & Iohan. habent, Marcus quoq; duorũ meminit, quibus Dominus in uia uisus erat. Post octo uero dies, Thomæ caussa, ut uidetur, rursum congregatis discipulis apparuit, stans in medio ipsorum, cum fores clausæ essent, tangendumq; se Thomæ exhibuit, & resurrectionem suam persuasit. Iohan.

Apparitio 4.

Apparitio 5.

Sect. 6. Apparitio 6.

Vndecim autem discipuli post hæc abierunt in Galilæam in montem ubi constituerat illis IESVS. Cumq; uidissent eum, adorauerunt eum, quidam autem dubitauerunt, quam postea incredulitatẽ eis exprobrauit, ut Marmemorat.

memorat. Hæc Domini apparitio illa insignis uidetur fuisse, qua plusquam quingentis fratribus simul apparuit, cuius meminit Paulus 1. Corin. 15. Antea tamen, cum in Galilæam uenissent discipuli, & in mari Tyberiadis, hoc est, lacu Genesar, piscarentur, apparuit Simoni Petro, Thomæ, Nathanaëli, & filijs Zebedæi, quam historiam Iohan. conscripsit, addens ea tertia iam uice discipulis Dominum apparuisse, nimirum congregatis. Ipso die scilicet resurrectionis semel, post octo dies iterum, & hac tertia uice, in piscatione. Post hac reuersi Ierusalē sunt, ubi iussit eos Dominus sedere donec uirtute induerentur ex alto, donati promisso spiritu.

Sect. 7. Cumq; ita per quadraginta dies, identidem cōspectus discipulis, & locutus de regno Dei fuisset. Luc. in Act. uolens tandem, patris dexteram petere, testatus sibi omnem potestatem datam in cælo & in terra. Matth. iussit eos in uniuersum mundū abire & prædicare Euangelion omni creaturæ. Mar. & docere omnes gētes baptizātes eos, in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, docentes eos seruare, quæcunq; ipse præcepisset. Quo uero animaret, ut quamlibet repugnante mundo, fortiter hæc mandata obirent. Adiecit: Ecce ego uobiscū sum omnibus diebus usq; ad consummationem sæculi. Matth. Vt autem simul ostenderet, quanti sua doctrina, & Euangelion habendum sit, affirmabat, quicunq; Euangelio credidissent, & suscepto baptismo, id fuissent confessi, eos fore saluos, qui autem prædicato Euangelio non credidissent esse condemnandos. Tum

dos. Tum simul magnam signorum uim, apud eos qui crediderant, secuturam promisit.

Post hæc eduxit eos foras Bethaniam, & sublatis in altum manibus suis, benedixit eis. Et factum est, dum benediceret eis, recessit ab eis, ac ferebatur in cælum. Luc. nubes q; subduxit illum ab oculis eorum. Et ipsi adorato eo, regressi sunt Hierosolymam cum gaudio magno, & erant semper in templo, laudantes, & benedicentes Deum. Luc. Postea accepto spiritu sancto in linguis igneis. Act. 2. egressi prædicauerunt ubiq; Domino cooperante, & sermonē confirmante, per signa subsequentia. Finis.

Ad hunc modum, ordinanda mihi quidem hæc historia uisa est, Ecclesiæ iudicent, sed diligenter inter se Euangelistarum narrationibus collatis, & perpensis. Illud quidem quod Matth. uespera, monumentum mulieres adysse adserit, reliqui Euangelistæ mane, facile conciliatur, cum constet noctem, uesperam in scripturis dici, ut factum est uespera, & mane dies unus. Vt igitur in nocte recte dicitur factum, quod factum est in termino noctis, ita quod mane, nondum die pleno orto, hoc est, in fine uesperæ factum est, recte factum dicitur in uespera. Ortum dici uidetur Matth. eo significasse, quod adiecit, quæ lucescit in unam, id est, primam sabbathorum, hoc est, primum diem septimanæ. Quid uespera.

Mulierum sedulitas & feruor, ut & Apostolæ, ad Apostolos fuerint factæ, monet admirandæ gratiæ Dei, quæ continuo delectatur, ex nouissimis primos facere. Notatur etiam,

tatur etiam, quam mire Deus suis prospiciat, qui filio suo ab his mulierculis uoluerit necessaria utæ ministrari.

Resurrexit cũ terræmotu.

Resurrexit Dominus cum terræmotu, ut & mortuus erat, ac paulo post spiritum sanctum misit, morte enim & resurrectione eius, uirtute spiritus sancti prædicatis, commouendus erat uniuersus orbis. Angeli primi resurrectionis præcones extiterunt, adeo superat fides, omnem captum rationis. Vestibus fulgurantibus apparuerunt, in quo immortalitatis gloria repræsentata est.

Rãtio cur bis adfuisse mulieres, credendũ sit.

In historia bis mulieres ad sepulchrum uenisse posui, caussa est, quod Marcus scribit, cum primum adfuissent, fugisse à monumento perterritas, neq; cuiquam quic quã dixisse. Matth. aũt & Luc. scribunt, audito Angelo, cũ timore & gaudio magno, cucurrisse etiam, ut renunciarẽt discipulis. Bis igitur adfuerunt, primum fugerunt territæ, & nemini quicquam dixerunt, secundo cum timore quidem, sed simul gaudio abierunt celerrime, nunciatum discipulis quæ audierant. Id quod usu uenisse mulierculis, adeo Domini amore flagrantibus, ac simul propter incredulitatem trepidantibus, sane uerisimile est.

Fraude pontificum auersa fuit, ueritas resurrectionis Domini nostri, à gente Iudaica, quia excæcandi & reijciendi erant. Vt igitur ueritatis dilectionem respuerunt, ita missa illis fuit, efficax erroris operatio, licet hoc commentum pontificum, per se plusquam inane esset. Si enim dormierunt ministri custodes, qui uiderant discipulos suffurari corpus Domini?

Per totam

Per totam uero hanc historiam uidemus Domini boni tatem, cum suorum incredulitate mirifice certasse. Etenim cum ne Angeli quidem persuadere illis resurrectionem suam poterant, exhibuit ipse se uiuum illis, multis argumentis, ut Lucas in Actis testatur, alloquutus eos fuit, uidendum & tangendum sese præbuit, comedit una, adhibuit testes mulieres, & discipulos quosdam, quos ut & alijs ueritatem attestarentur, certos de sua resurrectione reddidit, adeoq; nihil omisit, quo illam creditam suis efficeret, idq; necessario sane. Nam in fide resurrectionis Domini sita est salus nostra tota. Mortuus siquidem est, propter peccata nostra, resurrexit autem propter iustificationem nostram. Rom. 4. Satisfieri pro peccatis nostris oportebat, ideo mortuus est, ut autem iustificemur, opus spiritus est, qui gratiam Dei, per Christum factam nobis persuadeat, & fide syncera ita instruat, ut efficaciter illa sese per dilectionem exerat. Hic iam spiritus regnantis Christi donum est, neq; potuit locuplete adeo orbi contingere, nisi postquam deuicta morte & peccato, regnum sanctorum ipse iniuisset. Et quæ demum fiducia in eum, ut seruatorẽ esse potuisset, si mortuus pro peccatis nostris, in morte hæsisset? Quis satisfactum credere sustinuisset, illo adhuc in carcere mortis detento, qui dissoluturum debitum nostrum sese recepierat? Mori ergo oportuit eum, ut indignatio Dei, à nobis submoueretur, interiretq; & in nobis peccatum: resurgere uero, ut per spiritũ eius, ad imaginem ipsius continuo reformaremur, hoc est, iustificaremur.

Quam necessaria fides resurrectionis.

Quisquis

Quisquis igitur resurrexisse à mortuis Dominũ credit, & satisfactum pro se, & ad beatam uitam spiritu eius, sese renouandum dubitare non potest, fiducia in Deum certa & efficaci uiuet, nihil sibi à peccato, uel morte timens, peccatũ aũt quottidie mortificabit, ut cum Christo suo, peccato & ipse mortuus, Deo uiuat. Hinc Petrus constare fœdus bonæ conscientiæ erga Deum, per resurrectionem IESV Christi, qui est ad dexteram patris, affirmat. De gratia siquidem Dei, non nisi per fidem in Christum certi esse poßumus, iam ut dixi, si non uictorem mortis, regnare eum ad dexteram patris, omnibus prælatum credamus, eo niti fides nostra haud poterit. Non ergo abre fuit, tam diligenter fidem resurrectionis suæ astruere, neq; mirum si natura hominis difficile ad eam peruenire potuerit, & hodie poßit, cum in illa nihil boni sit, neque segniter certe hanc remorari & Satanas soleat, ut in qua nouerit, salutem hominum totam esse sitam.

Singularis autem erga Petrum Domini gratia declarata est, cui licet se negaßet, peculiariter & annunciari suam resurrectionem, & etiam ipse apparere uoluerit, uti ex Luc. & 1. Corinth. 15. liquet. Neq; sane uulgaris fuit & Thomæ exhibita.

In historia uero, quam Lucas de duobus discipulis, qui Emauntẽ petierant, & Domino adiungente se illis, & tandem etiam se illis reuelante, primum obseruandũ, quam utile sit de rebus Christi loqui. Isti enim & si nulla ferè fide in Dominum, reliqua, de gestis tamẽ eius loquerentur,

rentur, aduunxit se illis, & plenius de se edocuit, ac mox aperte se illis rediuiuum agnoscendum exhibuit. Ita non poterit Christi congnitio non plena tandem contingere illis, qui auide de ipso & cum amore eius, cogitant & loquuntur.

Deinde exposuit eis scripturas, exorsus à Mose & omnibus prophetis. Siquidem quicquid uspiam, in scripturis de misericordia, bonitate & sapientia Dei, tum de expiatione & purgatione peccatorum scribitur, proprie Christo competit. Sic & postea, ubi congregatis omnibus aderat, mentem dedit eis, ut scripturas intelligerent, quas in ipso oportuit impleri. Multa autem apertißima oracula in Mose, Prophetis & Psalmis de Christo scripta sunt, quæ singula enumerare & enarrare propriũ librũ requirerent, quare mihi transmittenda hic sunt, & quod liber hic alioqui suprà quàm institueram creuerit, & quod angustia temporis excludor, ne uel mediocrem illorum numerum luccat adducere. Qui prophetas hodie enarrant Lutherus, Oecolampadius, & Capito noster, ista diligenter indubie ostendent, & explicabunt. Si quid & mihi datũ fuerit, uel in Psalmis aliquando fratribus depromam. Diligenter autem hic notandum, Christum suis dedisse mentem ut scripturas intelligerent. Cui enim ipse hanc nõ donauerit, obsignatus illi liber erit scripturarum, quicquid acuminis, uel peritiæ habuerit. Deniq; non prætereundum, quod cognito Domino, ilico hi duo regreßi ad discipulos fuerunt, quamlibet uespera esset. Neq; enim po-

 test Chri-

test Christum non prædicare ardentißime, qui uere eum agnouerit.

Illa uero quæ Iohannes memorat, amandatos discipulos ad prædicandum, donatum spiritum sanctum, signo flatus, datamq; facultatem peccata remittendi, explicata sunt fusius in Matth. 16. in illud, & dabo tibi claues regni cælorum. Vtiq; nihil aliud est remittere peccata, Apostolis quidem commissum, quam in Ecclesiam Christi recipere, peccata retinere, Ecclesia arcere. Hoc igitur ut rite curarent, donauit eis spiritum sanctum, signo flatus adhibito, sicut panem & uinum adhibuit, cum donaret suis suum corpus & sanguinem. De ui huius spiritus in ueris Apostolis lege, quæ Paulus scripsit 2. Cor. 3. Porrò cũ flatu suo Dominus spiritum S. dedit, ut significaret uere eum & suum spiritum esse.

Id etiam notandum, quod Iohannes memorat Dominum uenisse ad discipulos suos τῶν θυρῶν κεκλεισμένων id est, cum fores essent clausæ, non autem διὰ τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, id est, per clausas ianuas, unde Artocreatistæ hinc non non probabunt duo corpora simul in eodem loco fuisse, tum ex eo Christi corpus esse ubiq;. Vt enim inuisibilem se totum facere potuit, ita potuit & per inuisibiliter apertas fores ingredi, neq; oportuit duo corpora esse simul in eodem loco, multo minus, idem corpus simul in diuersis locis. Nihil igitur potuerunt isti excogitare pro tuendo suo dogmate expeditius, quam Christum non esse uerum hominem, hoc est, non assumpsisse

corpus

corpus nostræ naturæ, si id non adeo impium esset, totiusq; fidei nostræ subuersio.

In Galilæa uoluit potißimum Dominus se uisendum suis exhibere immortalem, in qua regione & antea lucem Euangelij potißimum effulgere placuerat. Visum enim Deo fuit ut ita gloriosa hæc redderetur diebus postremis, quæ prioribus contempta fuerat, de quo in Matth. cap. 4. fol. 105. Ad Iudæam autem & Hierosolymam redire ipsos uoluit, quia ex Tzion lex, & de Ierusalem uerbum Euangelij egredi debuit. Iesa. 2. Mich. 4. Tum ibi decebat glorificari Christum, quod per prædicationem Euangelij factum est, ubi ad mortem usq; fuerat humiliatus. Vnde & cælos inde uoluit petere, unde petierat suppliciũ, nempe è monte oliuarum, cui Bethania adiacet.

Iohannes præterea memorat tertio Dominum Petrum rogasse si se plus alijs amaret, eoq; deferente id ad ipsius cognitionem, commendasse ei curam ouium suarum, his uidetur hoc uoluisse dicere: Tu uero Simon, præ te fers magnum mei amorem, & uis uideri præ his fratribus tuis me diligere, si ita est, fac id in eo declares, ut fideliter pascas oues meas. Omnino enim illũ præcipuum Apostolum in circuncisione constitutum, uel id probat Paul. Gal. 2. ubi ita sibi creditũ Euangelion præputij gloriatur, sicut Petro circuncisionis &c. Qui ergo Petri uolunt esse successores, uerbo Dei diligenter pascant Christi oues.

Cæterum in eadem historia, quia Iohannes ipse ser-

monem fratrum qui putabant ipsum non mortuum, correxit, negauitq; Dominum dixisse, non moritur, sed si uelim eum manere &c. nō dubito & ipsum mortuū fuisse, & Dominum eo quod dixit si uelim &c. tantum Petrū uoluisse à superuacanea de fratre cura reuocare.

Quod autem Iohannes testatur plura Dominum signa, & alia fecisse, quā scripta sunt, aut etiam scribi potuerint, nequaquam fenestram apperuit fingendi & statuendi quiduis, ut quidam hæc uerba diuexant, quia adiecit, quæ scripta sunt, in hoc scripta esse, ut credamus, quod IESVS est ille Christus, ille filius Dei, indeq; uitam habeamus æternam. Si enim hucsufficiunt, quæ scripta sunt, nihil est, quod præterea desideremus. Nam si singula conscripta essent, nihilo plus docere possent. Quod autem adiecit mundum non potuisse capere libros, si ad unum omnia Christi fuissent conscripta, nota hyperbole est. Et certe, cum infinita ferè fuerint, nam nihil omnino dixit aut fecit, quod non diuinum fuerit & Christum egregie retulerit, quis singula cum fructu memoraßet aut perpendißet? Ad quid igitur fuissent conscripta? Negligi enim ea à nobis indignum fuißet.

Amandaturus autem ad prædicationem Euangelij, dicebat discipulis. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, quam quidem Apostoli diligenter ubiq; prædicarunt, memorantes illum cunctis principatibus & potestatibus præfectum, omniaq; subiecta esse pedibus eius. Huius ergo discipulos admonuit, quo alacrius Euangelion prædicandum susciperent, cum eius se legatos agnoscerent, qui omnium potestatem haberet, quem dubitare non possent se nunquam deserturum, aut passurum mali aliquid accidere, quamlibet contrà mundus sæuiret. Ad idem & illud adiecit: Ecce ego uobiscum sum, usq; ad consummationem sæculi. Quid enim desit boni, aut adsit mali ei qui continuo præsentem secum habeat eum, cui data est omnis potestas in cælo et in terra? Etenim in hoc, mundum carne reliquit, & dexteram patris, id est, inuisibilem Dei maiestatem petijt, ut spiritu suo adimpleret omnia. Iuxta illud Ephes. 1. Suscitauit eum ex mortuis, & sedere fecit ad dexteram suam in cælestibus, supra omnē principatum & potestatem, & uirtutem & dominium, & omne nomen quod nominatur, non solum in sæculo hoc, uerum etiam in futuro, & omnia subiecit sub pedes illius, & eum dedit caput, super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus illius complementum, qui omnia in omnibus adimplet. O utinam hanc Domini nostri præsentiam uere omnes agnosceremus, & indubie nemo pro carnali eius præsentia digladiaretur.

Porrò iam iam in cælum ascensurus, sublatis manibus benedixit suis, ut signo eo, benedictionis uerba, quibus indubie ea ipsis precatus fuit, quæ promiserat, penitus discipulorum cordibus insiderent. De ascensu uero Domini ad cælos, superius c. cap. fol. 147. diximus. De cælo uero latius in Matth. cap. 3.

Sublato itaq; in cælum Domino, discipuli cum ingenti

gaudio, reuersi sunt Ierusalem, experti demum quod Dominus uerum dixerat expedire ipsis, ut carne abiret, dum enim carne eis aderat, carnales usq; erant, & carnalia sapiebant, ubi carne eis se subduxit, & spiritu adesse cœpit, gaudio solido affecti summa cum alacritate, toti in prædicando & extollendo Deo erant, & quidem loco celeberrimo nempe in templo, donec potentiori & insignio ri uirtute spiritus Dei instructi, abirent prædicatum ubique Domino cooperante & sermonem ipsorum sequentibus signis magnifice confirmante.

Ita solida pietas, syncerag; fides, tum demum & nobis aderit, quando Dominum nostrum IESVM Christum, pro peccatis nostris mortuum, ad dexteram patris in cælestibus omnibus imperantem, & salutem nostram fœliciſsime perficientem adorauerimus, agnoscentes ipsi à patre omnium potestatem traditam, ipsi nos curæ esse, nostræ deniq; salutis causa, ita regnare & regnaturum, donec omnia subiecta, pedibus eius fuerint, & expurgato in electis omni peccato, deuictaq; morte, hoste ultimo, Deus fuerit omnia in omnibus. Cum ipse scilicet regnum suum intercedendi pro nobis peccantibus, à peccatis nos purgandi, contra Satanam defendendi, & à morte liberandi, Deo & patri tradet, quando nimirum nihil peccati reliquum in electis omnibus fuerit, pro quo intercederet, quo purgaret, aut cuius causſa Satanæ uel morti, contra nos aliquid permitti poſſet. Hoc bratam & glorioſum Christi filij sui regnum donet nobis optimus & clementiſsimus pater,

pater, plene agnoscere, & ei saluandos nos penitus offerre, atq; consecrare, ut superna tantum quæramus & curemus, ubi Christus rex noster & seruator est ad dexteram patris sedens, non terrestria, nempe ut huc toti incumbamus, ut cæleste hoc & solum fœlix regnum, quam plurimis innotescat, quam latiſsime propagetur, communeq; fiat omnibus gentibus, ut ualedicant rebus huius sæculi, in quibus etiã externi hominis fœlicitas frustra quæritur, ut bis insanum sit, quicquam ab illis interno homini expectare, uni uero Domino nostro IESV Christo sese dedant, & per omnia consecrent.

In eo siquidem uno patri cõplacitum est, uniuersam plenitudinẽ inhabitare, & per eũ reconciliare cuncta erga se, pacificatis per sanguinẽ crucis eus, per eundẽ, siue quæ in terra sunt, siue quæ in cælis.

Coloſs. 1. Huic sit gloria in sæcula,

Amen.

Iudicent fratres, & iudicent cum omnia ad analogiam fidei, diligenter exegerint, quæ probauerint, accepta referant Deo, quæ minus, mihi, sed de ijs moneant amice.

INDEX IN
IOHAN. M. BVCERI.

Abraham quæ in ſua promißione uiderit 170. d.
Abrogatio legis 198. b.
Allegoriæ quomodo tractandæ 80. d. b. & 81. d.
Apoſtolorum dignitas 209. b. 235. d.
Aſcenſus Chriſti quis ſit 147. d.
Aſini pullus quid adumbrarit 194. b.

B

Baptiſmatis ſignificatio 40. b.
Baptizarunt infantes Apoſtoli 42. d.
Bona opera Domini quæ 180. d.

C

Cæci uident & uidentes cæci fiunt 175. d. b.
Caro quid in ſcripturis ſignificet 22. d. et 77. b.
Cephas dictus Petrus 56. b.
Cerimoniarum formator Moſche 49. b.
Chriſtianum poße fungi magiſtratu 161. d.
Chriſtus cur Verbū dicatur 13. d. Chriſt. Deū eſſe 171. d.
Chriſti & Moſche collatio 27. d.
Chriſtus ille adorandus יהוה 14. d.
Chriſto etiam ut homini, Dei uocabulū competit 181. b.
Chriſti incarnatio quæ attulerit orbi 35. d. b.
Chriſtus primogenitus omnis creaturæ 13. b.
Cælum quid 76. b. 60. d. 147. d.
Cognoſcunt Deum & impij 17. d.
Corpus Chriſti tantum pij edunt 135. d.
Creaturas cur Deus operibus ſuis adhibeat 172. d.
Credere in Criſtum idem quod carnem eius edere 133. d.

D

Delitijs quatenus utiliceat 191. b. & 192. d.
Deus homines inæqualiter uiuere uoluit 193. d.
Deus ſolus mentes noſtras ſaciat 132. b.
Dextera Dei quid 147. d. Dij cur dicti ſint iudices 181. d.
Dilectio Chriſtiana mortuos luget 185. d.
Dilectio erga Deum in quo declaretur 215. b.
Dilectio mundi qualis 228. d.
Dilectio inſigne Chriſtianorum 210. b.
Diſcrimen electorum & reproborum 176. d. 170. b.
Diuinitas Domini unde cognoſcatur 214. d.

E

Eccleſia quæ elementa habeat 199. d.
Eccleſia regnum cælorum dicitur 49. d.
Electionis uis 207. b.
Electi quibus potißimum peccatis ſint obnoxij 104. d.
Error Marcionitarum confutatur 77. d. b. & 78. d. b.
Errores occaſionem dant doctrinæ ſanæ 15. d.
Euangelion quid ſit proprie 9. d.
Exaltatio Chriſti morte 156. b.
Excommunicatio quomodo exercenda 243. d. b.

F

Fides duplex 68. b.
Fides quid & cur opus uocetur 126. d.
Fidei uis 91. b. Fides uita iusti 136. d. & 135. b.
Fugam docebit spiritus 99. d.

G

Gaudium uerũ unde 235. d. Gloria dei quid 171. b.
Gloria Domino Iesu collata quæ sit 239 d.
Gratia posterior 27. d. Gratia prior 26. d. b.
Gratia quid sit 22. b.

H

Hypocrisis etiam inter discipulos Domini 150. b.
Hora cuiq; sua à patre definita est 158. b.
Hos Anna quid 194. b.
Hostes Euangelij qui sint potissimum 99. d.
Humana commenta reddunt turgidos 154. b.

I

IEsus quare unctus dicatur 56. d.
Ignorantiæ peccatum non imputat Deus 228. b.
Impijs Dominus excæcationis occasionis obijcit 158. b.
Iohan. cur dictus filius tonitrui, & dilectus Christo 10. d.
Iudæi cur ex Mosche Christum non discant 121. d. b.
Iudæi cur credere nequeant 108. d. & 109. d.
Iudicium mundi 197. d.

K

Κοινωνία quid significet 142. b.

L

Lauare pedes quid sit 207. d.
Leuare plantam quid 209. d.
Lex per Christum data 13. b.
Liberum arbitrium confutatur 200. b.
Libertas spiritus 108. d.
Loca ab Apostolis citata quomodo per anagogen intelligenda trigesimo primo b.
Locus Ieschaiah 6. explicatur 220. b.

M

Maior sit minor 244. b.
Mandata Christi quæ sint 217. d. b.
Mandata Dei seruare quid 220. b.
Mansio Dei quæ sit 220. d.
Mendax cur omnis homo dicatur 158. b.
Merces quid in scripturis 107.
Metreta quid 62. d. b.
Miraculorum uerorum usus 185. b.
Miscellanea Euangelistæ scripserunt 135. d.
Missus quis sit 94. d.
Mosche de Christo scripsit 120. b. 115. b.
Mors quorumlibet somnus in scriptura dicitur 184. d.
Mundi quomodo purgantur 224. d.
Mundus quid? 20. d. b. 127. d. 228. d.
Mystica facta cur sæpe à uiris Dei adhibita 87. d.

N

Nasci ex aqua quid 72. b.
Natura cognitionis Christi 103. b.

Nemō Deum uidit unquam 28. b.
Noua quæ ſpiritus Dei orbi attulerit 200. d.

O

Officia unicuiq; certa Deus deſtinauit 193. b.
Omnia in figura illis contigerunt explicatur 4. b.
Oracula de Chriſto quomodo eruenda 31. b.
Oratio uera ut ſe habeat 239. b.
Ordinati ad uitam, tantum credunt 139. b.
Ordo miraculoum quæ Iohannes narrat 183. d.
Ordo operū Dei 67. d. Ordo ſalutis 239. d.
Oues quæ ſunt perire nequeūt 179. d. Ouile unū 178. d.

P

Paedobaptiſmi utilitas 44. d.
Panis quem frangimus explicatur 142. d. b.
Panis uiuens 131. d.
Parabolis cur Chriſtus delectatus ſit 105. b.
Parate uiam Domini quomodo intelligendum 32. d.
παῤῥησία quid 152. d. Paracletus quid 215. d. 229. d.
Pax Chriſti quæ ſit 222. d.
Perſeuerantia piorum prædicanda 128. b.
Philoſophi Euangelio homines præpararunt 105. d. b.
πλεροφορία 108. d. Precatio uera ut ſe habeat 239. b.
Præcepta purificationum 84. d.
Præcepta quomodo tractanda, & quàm uaria ſint 83. b.
Propheta quis 104. d.
Prophetant & reprobi ſed ignorantes 188. d.

Q

Quicquid

Quicquid petieritis quomodo intelligatur 217. d.
Quid inter ſanctos ueteris & noui teſta. interſit
Quomodo externa cænæ habēda 137. d. b. (39. d.
Quomodo maiora quā Dominus fecerint diſcipuli 210. d.

R

Ratio ſemper noxia quærit 103. d.
Regnum cælorum Eccleſia 40. d.
Regnū Dei in quo ſitū 39. d. Reg. Dei uidere 71. d.
Reſurgent omnes uoce Chriſti 113. b.

S

Sabbathum cur Dominus ſanctificauit 110. d.
Sabbathum quomodo uioletur 110. b.
Sacrificia quorum nos admoneant 84. b.
Samaritanus tranſgreſſor dicitur 98. d.
Sanctos, qui hinc diſceſſerunt uiuere 171.
Salus ex Iudæis 101. b. Satan bona uertit in malū 95. d. b.
Satan in quos ius habeat 222. d.
Scandalū Apoſtolorū 245. d. Schiloah quid 172. d.
Scopus ac ſtatus hiſtoriæ Iohannis 110. b.
Scriptura lex Dei dicitur 181. d.
Scriptura quibus de Chriſto teſtatur 119. b.
Scripturæ quid potiſſimum doceant 85. b.
Scripturæ quomodo in ꝓditione Iudæ impletæ ſint 241. d.
Semen Dei, ubiubi fuerit tandem fructificat 101. d.
Sermo Chriſti condemnabit impios 203. d.
Seruitus peccati 108. d. Spiritus ſancti nomina 37. d.
Spiritus Domini datur abſq; inſtrumētis 179. b. et 180. d.

Spiritus

Spiritus filiorum Dei ab utero datur 139. b.
Spiritus filiorum hic imperfectus 39. b.
Spiritus libertatis 27. a.
Spiritus mundum arguit de peccato et iustitia &c. 232. b.
Spiritum recipere quid? 209. a. (& 233. a.
Spiritus quid doceat & suggerat 220. b.
Spiritus timoris 26. a. b.
Spiritus ubi uult spirat quomodo intelligendum 153. b.
Studium literarum haud negligendum 153. b.
Symbola cur à Christo data 40. a.
Symbolis tribuuntur quæ per illa significantur 72. a.

T

Tenebræ quid? 89. b.
Tentatio nobis non est deprecanda 241. b.
Testimonium Iohannis 114. b.
Testimonium scripturæ de Christo 119. b.
Tractus patris qualis 130. b. Triplex ætas pop. dei 49. b.
Typorum interpretationes 83. a. b.
Typorum non omnia rebus ipsis aptanda 84. b.

V

Vaticinium Ieschaiah explicatur fol. 31. a.
Venire ad Iesum 127. a. Veracĕ esse quid sit 158. b.
Verbũ extet ne prædicatũ non est uehiculum spiritus 179. & 180. a.
Veritas quid? 23. a. b.
Veritas quomodo nos liberet 167. b.
Veterum exempla quatenus imitanda 47. b.

Vnitas

Vnitas Christianorum in quo sita 242. b.

Z

Zelus domus tuæ &c. quomodo intelligatur 56. a.

ERRATA.

Folio 3. a. huic. fol. 8. a. tollendum. eodem b. immittit. 20. b. leg. tam. 21. b. hæc ab Euang. pericope. 23. a. le. inæquita. 24. a. prolapsa. 24. b. deificationĕ. 29. a. salutifera. 31. a. omnibus. 32. b. id uero in. 33. b. existimatus. 35. a. in gratiam. 36. b. plenus. 40. b. quibus. 46. in Moschen. 47. b. admonitioneq; 49. a. inuenti. 60. a. immensum. 60. a. electi. 68. a. eos. 74. b. regnum est. 78. a. mortale. 90. a. homo. 96. a. usq; ad Iohannĕ. 98. a. institutũ. 17. a. sedandam. 110. κολυμβήθρα. 111. detentus. 112. assseueratione. 114. b. morer. 121. b. quod Mosche nõ credant. 132. a. simus. 136. b. sine illo esse non potest. 141. b. expunge, re. 146. a. nobis. 153. a. autĕ. 154. b. factiosus. 158. b. ferè. 160. a. scrupus. 201. b. bis. 213. a. in uia. 216. b. amandabat. 218. b. ipsi. 218. b. libeat. 233. b. in iniustitia. 234. a. asueuerant. 234. a. pauculæ cerimoniæ. 235. b. sum caro factus. 244. a. in quibusdã. 252. a. traderent.

ARGENTORATI APVD IOANNEM HERVAGIVM MENSE APRILI. ANNO M. D. XXVIII.

Ein Zentner pfeffer 15 fl
26 Pfund 380.